SEXTI AURELII PROPERTII

OPERA OMNIA

EX EDITIONE CH. TH. KUINOELIS

CUM NOTIS ET INTERPRETATIONE

IN USUM DELPHINI

VARIIS LECTIONIBUS

NOTIS VARIORUM

RECENSU EDITIONUM ET CODICUM

ET

INDICIBUS LOCUPLETISSIMIS

ACCURATE RECENSITA.

VOLUMEN SECUNDUM.

LONDINI:

CURANTE ET IMPRIMENTE A. J. VALPY, A. M.

1822.

ELEGIA XI.

FŒMINAS IMPERARE AMANTIBUS.

QUID mirare, meam si versat fœmina vitam,
 Et trahit addictum sub sua jura virum?
Criminaque ignavi capitis mihi turpia fingis,
 Quod nequeam fracto rumpere vincla jugo?
Venturam melius præsagit navita noctem:
 Vulneribus didicit miles habere metum.

Cur admiraris si puella vitam meam versat, et ad suum arbitrium me mancipatum sibi cogit servire? Cur *etiam vitium infame desidis hominis affingis mihi, quasi non possim frangere pedicas Amorisque catenas rupto jugo? Facilius doctiusque nauta noctem seu tempestatem venturam præsentit, milesque* *doctus est vulneribus*

Plurima in Elegiis Propertii male digesta Viri eruditi non immerito queruntur: præsertim Lipsius II. Var. Lect. 25. Scaliger transpositionibus plurimis Elegias melius connectere tentavit, in cujus tamen nimiam audaciam passim graviter, sæpe etiam immerito, multi invehuntur. Exempla aliquot locorum male cohærentium dedit Schraderus Emend. cap. 5. p. 94. et seqq. Rectum hac in re judicium est eruditi Britanni in Misc. Obs. T. II. p. 103. 'In Propertii poëmatibus aliquando connectio non invenitur, quod partim ascribo ipsi Poëtæ, qui hoc modo scribere amabat, sed partim quoque contextui corrupto, perditis aliquot versibus, et quibusdam extra ordinem turbatis.' Sic Burm. Inscribitur in Dresd. *Excusatio quod serviat fœminæ, et agit de imperiis earum.*—1 *Vexat* Heins. nulla de causa, Barthio censente; et, Burmanno pronuntiante, invito Propertio.—2 *Adductum* damnat Burm. quod in Voss. 4. *Sua signa* in aliis legi notat L. Lat. quod sua venere non destitui, monente Burm.—3 *Carminaque* cod. Palat. C. Com. Mentel. Voss. 3. Vulg. defendunt Burm. Broukh.—4 *Solvere* v. alii ap. L. Lat.—5 'Miror eorum pertinaciam, qui lect. non nauci, *mortem*, tam studiose fovent. Jam plus quam duo sunt sæcula, postquam monuit Beroaldus in priscis codd. legi *noctem*.' Broukh. '*Noctem* recte edidit Broukh. quod confirmatur a Perr. v. c. Vat. 1. 2. 5. tribus Voss. Dorv. 2. neque aliter affert Nestor in Vocab. p. 107. b. et ita legend. jam monuit Palm. in Spicil. p. 806. T. IV. Fac. Crit.' *Burm. Mortem* dant plurimi codd. et vetustæ edd. Legit Markl. *V. vetulus p. n. mortem. Vetulus* rejicit Burm. *Venturos* .. *Coros* Heins. nimia licentia, pronuntiante Burm. *V. annosus p. n. noctem* vult Jacobs. in Ep. ad Ast. p. XXXV. Nihil mutand. statuit Kuin. Fortasse, ait Lachm. dederit Poëta *V. pavidus p. n. noctem.*—6 'Mihi certum est a Poëtæ manu fuisse *modum*.'

NOTÆ

1 *Quid mirare*] Pluribus exemplis fœminarum, quæ viris imperarunt, demonstrat, quanta sit mulierum in viros potestas, quantumque sit imperium; deinde in laudes excurrens Augusti turpes Antonii et Cleopatræ, Capitolio etiam Romanisque arcibus formidabilis, insectatur amores.

3 *Criminaque*] Mihi ignaviæ desidiæque crimen assimulas.

4 *Quod nequeam*] Quod non possim amoris pedicas perfringere, de quibus Ovid. Amor. III. 11. 3. 'Scilicet asserui jam me, rupique catenas.'

Ista ego præterita jactavi verba juventa:
  Tu nunc exemplo disce timere meo.
Colchis flagrantes adamantina sub juga tauros
  Egit, et armigera prælia sevit humo;
Custodisque feros clausit serpentis hiatus,
  Iret ut Æsonias aurea lana domos.
Ausa ferox ab equo contra oppugnare sagittis
  Mæotis Danaum Penthesilea rates;

timere. Tales ego, quales nunc tu, *quondam effudi voces in mea prima juventute; tu vero edisce metuere*, et sapere, *meo exemplo. Colchis subegit tauros ignem spirantes aratro æneo, seminavitque in terra armiferas acies. Sopivit etiam ora metuenda custodis draconis, quo vellus aureum adiret domum Æsoniam. Olim furens Penthesilea Mæotis equitando ausa est Danaorum classem telis adoriri. Cui postea-*

Bronkh. '*Mod.* recepit Broukh. contra omn. libros; reclamante Vulpio, qui recte monet *metum* esse, præsensionem futuri periculi.' *Barth.* 'Nescio quos codd. (nullos enim memorat) secutus fuerit Broukh. *Metum* exhibent omnes mei, et edd. priscæ: idque propugnat 'timere' disticho seq. Franc. quoque dubitabat an 'habere modum' ita simpliciter possit dici. *Metum* affertur in Lexico L. L. Fabriano in 'Habere.'' *Burm.*—8 *Cavere* placebat Grutero x. Suspic. 8. p. 501. in Misc. Lips. Nov. P. III. p. 501. Nihil tentand. hic contra Mss. pronuntiat Burm.—9. 10 'Ita hunc l. affert etiam Nestor in Vocab. p. 175. *Flagrantis* Borr. meus uterque, et pr. edd. *Armifera* præter Livin. etiam Guyeto placebat; quod parum interest. [Id. censent B. B. et Vulpius.] *Sævit* vitiose in Aldd. [In his legi *flagranteis* dicit Barth. qui monet id habere et Brix. et suam Venetam] Colin. Gryph. aliisque.' *Burm.*—12 'Pro *aurea lana* prave *laurea* in Voss. 3.' *Id.*—13 'Ita recte in Mentel. ut ex uno Colb. affert Broukh. quod non insuper habend. notat. Male in reliquis omn. codd. et edd. vetustis legitur *quondam opp.*' Burm. *Equis* Dresd. *Oppugnante* Guarn.—14 '*M.* Regg. [Dresd.] et in margine Colb. 2. vere.' *Broukh.* '*Injectis* omnes fere libb.

NOTÆ

9 *Colchis flagrantes tauros*] Colchis dicitur Medea, a Colchide, unde fuit oriunda; quam fabulantur carminibus seu incantamentis effecisse, ut Jason tauros ignem naribus spirantes, qui vellus aureum servabant, domaret, domitosque sub juga duceret, quos Poëta dicit 'adamantina,' quia nimirum, ita dura, ut non possent frangi. Vide Apollon. Lib. III.

10 *Prælia sevit humo*] Medea etiam draconis dentes in terra seminare docuit Jasonem, unde nati sunt homines armati, qui in invicem irruentes sese mutuis vulneribus trucidarunt.

11 *Custodisque serpentis*] Draconem intelligit illum pervigilem, qui custodisse fingitur aureum vellus, quem Medeæ carminibus ac veneficiis sopitum interfecit Jason, ut vellus aureum rapere posset.

12 *Æsonias domos*] Ut Iolchon, Magnesiæ in Thessalia oppidum, vellus aureum veheretur, ubi nimirum Æson, Jasonis pater.

14 *Mæotis Penthesilea*] Amazonum regina Penthesilea dicitur 'Mæotis,' h. e. Scythica, quia nimirum Amazones illam Scythiæ partem, quæ ad paludem Mæotim, Tauricam Chersonesum, ac Tanaim amnem spectat, incoluisse dicuntur. Illa porro Pen-

Aurea cui postquam nudavit cassida frontem,
  Vicit victorem candida forma virum.
Omphale et in tantum formæ processit honorem,
  Lydia Gygæo tincta puella lacu,

quam cassis frontem detexit, *eximia* ipsius *pulchritudo hominem* sui *victorem devicit*. *Omphale* etiam, *Lydia puella*, *quæ lacu Gygæo lavit*, *in tam magnam pul-*

scripti cum Ed. pr. et Brix. *Meotis* Venet. *Panthesilea* Brix.' *Barth.* '*Injectis* edd. Rheg. et Volsci, qui tamen in Notis, '*Mæotis*, quoniam e Scythia venerat, ubi est palus Mæotis:' sive ita emendaverit, sive in suis invenerit codd. Male igitur Heinsius ex hac Mss. scriptura ad marg. ed. Ald. conjecerat *Ingestis*. In lect. *Mæotis Penthesilea* Propertium agnosco: et vestigium huj. scripturæ est in Ask. in quo corrupte *mectis*. Neque aliter [i. e. quam *Mæotis*] jam excusum fuit in Ber. Aldd. Junt. Colin. Gryph. Grasseri, ceterisque edd. *Infectis* ex aliis profert L. Lat. *Danaas* emendabat Franc.' *Burm.*—15 'Sic omn. codd. (nisi quod *fronte* in Borr.) et Nestor in Vocab. p. 29. Scaliger ad Manil. p. 507. ita hunc l. affert, *Cujus ut auratam n. casside f.* vitio memoriæ, ni fallor.' *Id.*—16 *Suum* Vat. 5. quomodo conjecerat Markl. *C. virgo* Franc.—17. 18 '*Omphalie* Guy. cum cod. Reg. et ed. Brix. Heins. hoc e glossa autumat esse, substituto *An non in t.* vel *Nonne etiam*, vel *Nec non*, vel *Quin etiam*. *Gygeo* Brix.' *Barth.* '*Omphale et in t.* edidi ex veterum membr. auctoritate. Copulam enim *et* inserunt Mentel. Vat. 5. Voss. 3. Nam in ceteris *Omphale in*, quo vitio inquinatos etiam olim fuisse alios codd. patet, quia sic affert Oct. Mirandula in Viridar. Illustr. Poët. fol. 184. b. et sic in antiquis edd. Miror Broukhusium, metro adversante, edidisse [cum Barthio] *Omphale in tantum:* neque id incuriæ typi ascribendum, quia sic etiam affert ad IV. 9. 50. et quia cod. suo ascripserat, 'Mediam in hac voce corripi auctor est nescio quis M. Herrichen, ipso fine Thesauri Fabriani.' Sed, quicumque ille fuerit, non erravit, et ideo potius hiatum hoc in versu statuit. Secunda enim in *Omphale* corripienda est. Guy. hic tentabat *Omphalie*, vel *Omphalia*, sine dubio quia *Omphaliæ* etiam in codd. aliis legitur, ut in Regiis [cf. sup.] et meo altero haberi. Sed eo non opus est: et recte rejecit Schraderus Emend. cap. 8. p. 152. Heinsius conjecerat, *An non in t. . . . tincta puella l.* vel *lota puella l.* quod ed. Aldinæ ascripserat: ut per Lydiam puellam subintelligatur Omphale, cujus nomen a glossatore insertum putabat: et sic vocatur Ovidio II. F. 356. sed Λυδίη 'Ομφάλη etiam in Diotimi

NOTÆ

thesilea, auxilium Priamo Trojanisque ferens contra Græcos Trojam oppugnantes, plurima fortitudinis virtutisque supra sexum suum edidit documenta, demumque cum eorundem Græcorum classem impeteret, ab Achille est interfecta.

16 *Victorem virum*] Achillem, qui, Penthesileæ a se occisæ formositate captus, eam sepulturæ esse mandandam contendebat, nolebatque eam in fluvium Scamandrum projici, ut persuasit Diomedes.

17 *Omphale*] Lydiæ regina, cui Hercules amore flagrans servivit, et quæ eundem etiam Herculem sibi servientem ad lanificium et ad pensa trahenda compulit.

18 *Lydia Gygæo lacu*] In Lydia, cujus regina fuit Omphale, lacus fuit quidam nomine Gygæus, qui postea mutato nomine dictus est Colous, quem 40. tantum stadiis ab Sardibus abesse refert Strabo Lib. XIII. qui ibidem etiam narrat ad eundem lacum simias diebus festis solennibus saltare consuevisse.

Ut, qui pacato statuisset in orbe columnas,
  Tam dura traheret mollia pensa manu.
Persarum statuit Babylona Semiramis urbem,
  Ut solidum cocto tolleret aggere opus;
Et duo in adversum misit per mœnia currus,
  Ne possent tacto stringere ab axe latus:

chritudinis laudem venit, ut ille, *qui in orbe terrarum tyrannis monstrisque purgato columnas constituisset, manu tam laboriosa ac forti molles lanas carperet. Semiramis condidit Babylonem civitatem Persarum,* adeo *ut opus integrum muris coctilibus excitaret; duæque quadrigæ contra invicem concurrentes per muros possent prætereuntes axe stricto latus sibi non contingere. Perduxit etiam Euphratem per*

Epig. Græco, neque *Omphales* nomen facile a librariis insertum puto.' *Burm.*—19 '*Statuisset* hoc in versu et mox *statuit* Heinsio inconcinnum, et alterutrum corruptum esse videbatur. Itaque hic *posuisset* malim, quam mox *Persarum posuit*, cum Schradero Emend. cap. 8. p. 153. idque etiam prætulisse videtur Patruus meus ad II. Æn. 295.' *Id.*—20 *Jam* Burm. 1. *Dira* Neap. Damnat Burm. Conjecerat Markl. *Huic dura.* 'Jacobs. Ep. ad Ast. p. XXXVI. 'Vulg. lect. *Tam dura* ita Propertiana est, ut eam mutari vix tulerim. Quare scribend. puto *Cui, qui p. s. &c. Tam d. &c.*' Mihi locus nulla medicina indigere videtur.' *Kuin.*—21 Nova hinc El. cum titulo, *De Semirami*, incipit in Regg. Burm. 2. primisque edd. *Orbem* iid. Regg. et priscæ edd.—22 *Et* Burm. 1. *Solitum* Voss. 3. *Agger* Burm. 1. Voss. 2. *Ager* 1. '*Coctus t. ager* Ask. unde legi posset *coctus t. agger*. Suspectum hunc l. habuit Heins. Ep. ad Græv. T. IV. Syll. p. 532. quia Babylon Assyriæ potius quam Persica urbs fuerit. An igitur *Assyriam st.* emendand. Sed hæc ap. poëtas sæpe promiscue posita occurrunt: nihil itaque hic innovand.' *Burm.*—23 *Ut* Perr. v. c. Colot. Vat. 1. 2. *Missi* iid. cum Exc. Scal. Borr. Ask. Groning. Leid. 2. tribus Voss. Dorvv. Burmm. Palat. 1. C. Com. Bon. Guarn. et Veneta ap. Barth. Et sic Heins. sed mutavit (monente Burmanno) Broukh. et edidit cum Vulp. Gött. Barth. et Burm. *immisi*, quod in melioribus libb. esse ait Gebh. et quod omnino scripserat Poëta, pronun-

NOTÆ

19 *Pacato statuisset in orbe columnas*] Herculem significat, qui dicitur ad Oceanum Occidentalem, extremasque orbis oras, postquam mundum monstris tyrannisque purgasset, tanquam laborum suorum metas, duas exstruxisse columnas, alteram in extrema Hispania, Calpen dictam, alteram Abilam vocatam, in Africa.

21 *Statuit Babylona Semiramis*] Semiramis Assyriorum regina, Nini regis uxor, quæ post obitum sui conjugis, intelligens Assyrios ægre mulieris imperium passuros, illius obitu dissimulato, personam ejus assumsit, donec filius Ninus, seu Ninyas, adolesceret, sicque annos quadraginta regnavit. Semiramis dicitur militia, triumphis, victoriis, divitiis, et imperio mortales omnes superasse. Ipsa Babylonem ad fluvium Euphratem ex coctili latere merito dicitur condidisse, cum illam urbem ex oppido maximam fecerit, stupendisque eam muris, turribus, portis centum æneis, hortis pensilibus, templo longe magnificentissimo, ceterisque operibus ac opibus admirandis ornaverit; adeo ut Babylon inter septem orbis miracula meruerit annumerari.

23 *Duo per mœnia currus*] Babylonis muri, a Semiramide ædificati, al-

Duxit et Euphratem medium, qua condidit arces,
  Jussit et imperio surgere Bactra caput.
Nam quid ego heroas, quid raptem in crimina Divos?
  Jupiter infamat seque, suamque domum.

mediam urbem, quam exstruxit, voluitque regni sui totius præcipuam urbem esse Bactra. Sed quid ego heroas, quid Deos in crimen vocem? Jupiter ipse *se ac*

tiante Broukh. Sed *immissi* pro, missi, duriusculum videbatur Francio: et *misit* rectius videbatur Burmanno; et sic in Dresd. Mentel. Brix. Aldd. Colin. Grasseri, Gryph. Lond. aliisque: sic conjecerat Markl. et id verum putat Barth. eique favere statuit Burmannus lectionem *misit* in pr. edd. '*Immissi* quis primus excogitaverit, nescio. Id Dousæ dederunt A. 1592. Sed antiquitus editi *misit* exhibent, quod qui probant, frustra sunt. Recte *missi* Beroaldus.' *Lachm.*—24 *Nec* Regg. Colbertt. Neap. Leidd. tres Voss. Dorvv. Burm. 1. *Non* Vat. 5. *Nec possem* Borr. *Tacito* Leid. 2. quod improbat Burm. *Stringier axe* legebat Heins. ad oram ed. Ald. et in Ep. ad Græv. Sed optime se habere vulgatam censet Burm.—25 '*Eufr.* Brix. Aldd. cett. Broukh. Vulp. etiam Gött. h. l. non vero supra El. 3. vs. 4. Ideo nos hic mutavimus.' *Barth.* qui edidit *Euphratem.* *Eufratem* dat Broukh. *Euphraten* Burm. Lachm. *Auxit* Burm. 1. *Ab Euphraten* Voss. 3. *Quam c.* Burm. 2. *Quo* Ask. *Medium, quam condidit, arci* Heins. et recte, pronuntiante Burm. *Quas* Markl.—26 'Historia postulat ut cum Burmanno P. [qui id ascripserat ed. Broukhusianæ,] et Schradero [Emend. cap. 8. p. 155.] scribamus *subdere.*' Lachm. Hanc emend. certissimam vocat noster Burm. *Capta* pro *Bactra* Voss. 3.—27 *Crimina* prætulit Burm. ex Leid. 2. Voss. 4. et suo 1. Sic dant Lond. Burm. Lachm. et huic lect. favent, monente Burmanno, illi codd. in quibus *carmina*, ut in Voss. 3. et uno Reg. (ita in hoc solenniter, notante Barth.) In reliquis *crimine*, ut ediderunt B. B. Cant. *Captem in crimina* Dresd. *Captem* quoque Voss. 3. quod damnat Burm.—28 'Dicitur Jupiter se suamque domum infamare, sc. quia servierit tot mulieribus, quæ in eum exercuerunt imperium: quod huj. El. argumento convenit, quæ in multis codd. et edd. vetustis inscribitur, *De imperiis fœminarum.*'

NOTÆ

titudinem ducentorum cubitorum, latitudinem quinquaginta habebant. Via supra muros ita lata strata erat, ut duæ quadrigæ inter se occurrentes sine periculo sese invicem attingendi commeare possent. Vide Herodot. Lib. I. Q. Curt. Lib. V.

25 *Euphratem*] Fluvius Euphrates, ex Armeniæ montibus ortus, pluribus vastisque regionibus peragratis, per Mesopotamiam currens, mediamque Babyloniam intersecans, in Tigrim influit, cum quo junctis simul aquis duobus ingentibus ostiis in sinum Persicum delabitur. Babylonem urbem, dum stabat, mediam etiam secabat Euphrates, unum stadium latitudine occupans. In flumine fuisse pensiles hortos tam celebres refert Strabo Lib. XVI.

26 *Imperio Bactra caput*] Bactra civitas fuit Bactrianæ regionis seu Bactrianorum primaria, quam Assyriorum imperio adjecit Semiramis, ut refert etiam Diodorus Lib. III.

28 *Jupiter infamat*] Quis nescit Jovem apud omnes scriptores ita mulierosum in primis haberi, ut suis furtis et adulteriis se cœlumque ipsum, in quo pellices regnare conqueritur apud Senecam Juno, turpiter infamaverit?

Quid? modo quæ nostris opprobria vexerat armis,
Et famulos inter fœmina trita suos,
Conjugii obscœni pretium Romana poposcit
Mœnia, et addictos in sua regna patres.
Noxia Alexandrea, dolis aptissima tellus,
Et toties nostro Memphi cruenta malo!

suam domum dedecore afficit. Quid? quam magnum dedecus nuper intulit nostris armis fœmina etiam suis servis prostituta? Petiit a suo libidinoso marito Romam urbem pro mercede, suoque imperio mancipatos patres. O funesta terra Alexandrina, fraudibus aptissima, tuque, o Memphi, tam sæpe nostra pernicie et sanguine

Burm.—29 Lineam non interponunt B. B. B. L. '*Vexerit* Dresd. Brix. Venet. Aldd. cett. contra sensum.' *Barth.* Sic omnes fere codd. *Vixerit* cod. Scal. *Vexerat* Groning. Mentel. quod probavere Broukh. Guy. et dant B. B. B. L. *Duxerat*, vel *dux fœda opponitur* a. Heins. Not. p. 625. quod nimium a vulg. recedit, censente Burm. qui pronuntiat *opprobria* non esse solicitanda.—30 '*Hei f.* Acidal. [ad Vell. II. 59. cum *hei* ardori orationis et indignitati rei magis conveniat. *Kuin.*] *Heu* Livineius, et ex Passeratii Mss. Guyetus, improbante Heins. in Notis, qui *Ut* præferebat. Sed nihil corrigend.' *Burm.* *Intus f. tecta* cod. Palat. *Tracta* pro *trita* in aliis legi notat L. Lat. —31 'Ex Floro IV. 2. nuper Andreas Dacerius, in Horat. I. Od. 37. collegit emendand. esse in Prop. *Conjugii*, aptissime ac verissime. Sed ex eopse Flori loco id docuerat jam pridem Passeratius, atque etiam Ph. Rubenius II. Elect. 2. quos f. Dacerius non vidit.' *Broukh.* '*Conjugii* secutus sum, plerisque viris doctis probatam, Rubenio, Ryckio ad Tac. XIII. A. 19. p. 205. Freinshemio ad Flor. IV. 11. 2. Gronovio II. Obs. 25. Broukhusio tam ad h. l. et ad El. præc. vs. 57. quam ad Tibull. III. 6. 15. p. 343. In plerisque enim Mss. hic legitur *Conjugis obscœni*, ac priscis edd. *Conjugis obscœnæ* tamen præfert Heinsius N. Prop. idque vehementer patri suo D. Heinsio probatum addit, ex Flor. IV. 2. ubi tamen 'pretium libidinum' æque hic tueri potest *Conjugii obscœni pretium*, quam *Conjugis obscœnæ*.' Burm. *Conjugii* verissimam emend. censet Barth. et rectissimam Lachm. nisi quod, monente Lachmanno, sic legend. *trita suos, Conjugi et obsc.* —32 *Abductos* Palat. 1. *Adductos* Voss. 4. Ask. Burm. 1. quod etiam ex aliis profert L. Lat. *Jura* emendaverat Heins. ex vestigiis cod. Mod. in quo *rura*. *Regna* anteponit Burm.—33 '*Al.* recte edidit Broukh. Et hanc veram vocis scripturam probavit. *Alexandria* enim in plerisque codd. [et Brix.] *Alexandrina* Borr. Ask. Leid. 2. Voss. 3. Dorv. 2. et vetustæ edd. [cum edd. Mur. Lond.]

NOTÆ

29 *Quæ nostris opprobria*] Cleopatram intelligit, quæ Romano nomini bellum inferendo magnum dedecus attulit, quia nimirum mulier illa, servis suis ac eunuchis subacta prostitutaque, ut ait Poëta, ausa est Romanæ virtuti minas intentare, bellumque etiam inferre.

31 *Conjugii obscœni*] Cleopatræ procacitatem execratur, quæ poposcerat ab Antonio, spurco suo conjuge, imperium Romanum pro stupri pretio ac mercede, ut testatur etiam cum Propertio nostro Florus IV. 11. 'Hæc mulier Ægyptia,' inquit, 'ab ebrio imperatore pretium libidinum Romanum imperium petit: et promisit Antonius; quasi facilior esset Partho Romanus.'

32 *Addictos patres*] H. e. Senatum sibi mancipatum et adjudicatum eo penitus modo quo debitores creditoribus addicebantur.

Tres ubi Pompeio detraxit arena triumphos.
  Tollet nulla dies hanc tibi, Roma, notam.
Issent Phlegræo melius tibi funera campo;
  Vel tua si socero colla daturus eras.
Scilicet incesti meretrix regina Canopi,
  Una Philippeo sanguine inusta nota,

cruentata, ubi arena tres triumphos abstulit Pompeio. O *Roma, nulla dies hanc tibi maculam delebit. Felicius tibi successissent fata in campo Phlegræo, etiam si cervicem jugulumque præbitura eras socero. Regina scilicet, scortum Canopi incesti, insignis infamia Philippææ genti inhærens, confisa* est *nostro Jovi latrantem*

et sic correxerat Markl. Sed *Alexandrea* in Colot. ut etiam Perr. in marg. ed. Ald. scribend. annotaverat: nec aliter affert Nestor in Vocab. p. 9. b. et hoc ubique prætulerunt VV. DD.' *Burm.* Hoc exhibent Vulp. Gött. B. B. B. L. —34 *Heu* pro *Et* Livin.—35 *T. tibi* Voss. 3. *Distr.* Leid. 1. *Verna* pro *arena* Heins. quam ingeniosam conj. vocat Burm.—36 Hunc et vs. 40. transponit Lachm. Pro *Roma* legebat Guy. *Magne*, ut ad Pompeium ipsum referatur. Quod non esse rejiciend. pronuntiat Burm. nisi quis defendere velit vulgatam eo sensu, ut Romam ipsam pudere deberet fati Pompeii, qui, adversus Cæsarem Romanam libertatem defensurus, invalido nec amplo satis exercitu instructus contra eum tenderit. Hanc conj. non admittend. censebat Ruhnken.—37 *Essent* Borr. *Vulnera* Ask.—40 *Philippeio* Brix. *Adusta* omn. fere

NOTÆ

34 *Memphi cruenta malo*] Sermonem Poëta convertit ad Ægyptum, cujus quondam metropolis regiaque civitas fuit Memphis, ab Osiride condita ad Deltæ verticem, ex altera Nili parte, e regione loci illius in quo postea conditum est Cairum, vulgo *le grand Caire*. Unde eos falli certum est, qui Cairum volunt hodiernum idem esse ac veterem Memphim, cum tamen Cairum sit ex altera parte Nili, e regione veteris Mempheos, quæ nunc diruta jacet. Ad urbem porro Memphim fuerunt illæ pyramides Ægyptiæ quæ inter orbis miracula fuerunt numeratæ, de quibus Martial. Spectac. 1. 'Barbara Pyramidum sileat miracula Memphis.'

35 *Tres Pompeio triumphos*] Littus Ægyptium, in quo fuit occisus Pompeius, tres dicitur ipsi eripuisse triumphos, quia nimirum triumphorum trium gloriam fœde interfectus amisit. Cicero pro Cornelio Balbo dicit Pompeium de tribus orbis terrarum partibus triumphasse: 'Qui tot,' inquit, 'habuit triumphos, quot oræ sunt partesque terrarum.' Tres etiam triumphos asserit Pompeio Plin. VII. 26. itemque Vell. Paterc. lib. II. Albinus etiam lib. I. Rerum Rom. ap. Prisc. lib. VII. 'Ille cui ternis Capitolia celsa triumphis Sponte Deum patuere; cui freta nulla repostos Abscondere sinus,' &c.

37 *Phlegræo campo*] 'Phlegræum campum' vocat Pharsalicum in Thessalia, ubi cum socero suo, Julio Cæsare, Pompeius infaustis avibus decertavit.

39 *Incesti regina Canopi*] 'Meretrix regina Canopi' dicitur Cleopatra, Ægypti, cujus civitas est Canopus, regina, quæ libidine furens Antonio non modo, sed etiam servis suis, corporis copiam fecisse traditur. Dici-

Ausa Jovi nostro latrantem opponere Anubim,
  Et Tiberim Nili cogere ferre minas;
Romanamque tubam crepitanti pellere sistro,
  Baridos et contis rostra Liburna sequi;

Anubin opponere, Tiberimque compellere Nili minas pati, ac Romanam tubam fugare sistro strepitanti, navesque Liburnicas rostratas longis Baridos vectibus oppug-

codd. quod rectum censet et exhibet Lachm. *Inusta* repositum est a Scaligero ex suo cod. bene, censente Broukh. (qui Passeratium audire nolit,) et recte, censente Burm. Hoc ed. Ald. etiam ascripserat Perr. et dant B. B. B. L. Conjecerat Heins. *Unica Pellæo*, vel *Et Ptolemæo*. Vulg. tuetur Burm.—41 *Musa* Groning. Damnat Burm. *Appon.* Dorv. 2. '*Anubim* scribe cum Neap. et vid. de talibus disputantem Huschkium in nupera ad Tibull. annotatione.' *Lachm.* Sic scribit et Barth. *Anubin* Broukh. Burm.—44 *Ilaridos* Voss. 4. *Cunctis* Leid. 1. Voss. Ask. Dorv. 1. *Comtis* 2. *Conchis* Dresd. *Cannis* Heins. Nihil mutant cett. codd. aut edd. vetustæ: neque aliter affert Nestor in Vocab. p. 74. et 157. *Contis* defendit Burm. et dant B. B. B. L. '*Nostra* Voss. 4. adeo ut sic f. etiam in suis codd. invenerit Victorius x. Var. Lect. 9. nam typi vitium esse putat Broukh. [Vitium esse haud dubie, pronuntiat Barth.] Ita certe etiam affert Canter. ad Lycophr. p. 82. ed. Steph. *Rostra*, ut legendum, agnoscunt reliquæ omnes membr. et edd. priscæ.' *Burm.*

NOTÆ

tur etiam Canopus 'incestus,' vel propter incestas regum Ægyptiorum cum sororibus suis nuptias, vel propter Canopicorum civium perditissimos mores. Seneca trag. in Octav. 'Hausit cruorem incesta Romani ducis Ægyptus iterum.'

40 *Philippeo sanguine*] Cleopatra dicitur infamia genti et sanguini Philippi et Alexandri, Macedonum regum, ita inhærens, ut nunquam tolli queat. Reges nimirum Ægypti, e quibus originem ducebat Cleopatra, orti fuerant ex stirpe Philippi Macedonis, ut testatur Q. Curt. lib. IX. 'Ptolemæus,' inquit, 'sancius regis solicitudinem in se converterat. Sanguine conjunctus erat, et quidam Philippo genitum esse credebant. Certe pellice ejus ortum constabat.'

41 *Latrantem Anubim*] Pugnam Actiacam designat, qua in invicem commissos fuisse Deos dicit Romanorum et Ægyptiorum. Ut enim apud Romanos Jupiter Deorum maximus in Capitolio colebatur, ita Anubis apud Ægyptios impense summaque religione colebatur, qui 'latrans' dicitur, quod cum canino capite, seu caninum habens caput, effingeretur.

43 *Romanamque tubam*] Quemadmodum versu præcedenti Tiberi Nilum opposuit, ut Romam et Ægyptum significaret, sic et hoc loco tubam Romanam opponit sistro Ægyptiaco. Sistrum enim est musicum instrumentum sonorum et argutum, quo peculiariter in suis tripudiis utebantur Ægyptii, sicut tuba utebantur Romani.

44 *Baridos*] Baris navigii genus fuit, quo vehebant Ægyptii mortuorum ad sepulcrum cadavera.

Rostra Liburna] Liburnæ seu Liburnicæ naves rostratæ sunt, celeritate ac agilitate commodissimæ, quibus utebantur Romani: dictæ porro sunt Liburnæ a Liburnis Illyrici populis, qui hujus navigii usum adinvenerunt.

Fœdaque Tarpeio conopia tendere saxo,
  Jura dare et statuas inter, et arma Marî.
Quid nunc Tarquinii fractas juvat esse secures,
  Nomine quem simili vita superba notat,
Si mulier patienda fuit? Cape, Roma, triumphum,
  Et longam Augusto salva precare diem.

nare, ac turpia tentoria rupi Tarpeiæ infigere, jusque dicere inter statuas et arma Marii. Quid jam prodest fasces esse confractos Tarquinii, quem vita superba simili nomine designat, si fœmina fuit ferenda? O Roma, accipe triumphum, vitamque Augusto Cæsari *diuturnam* per eum *incolumis precare. Nihilominus tandem*

—45 '*Canopeia* Palat. membr. Brix. Colin. sed Aldd. cett. *canopea*. Græce est κωνωπεῖον.' *Barth.* '*Canopia* Borr. Leid. 2. 3. Harl. *Canopeia* Colot. Vat. 2. Regg. Colbertt. Ask. Voss. 1. 4. Groning. Dorvv. et mei, cum pr. edd. In aliis antiquioribus *canopea*. Sed *conopeïa* admitti nequit. Recte *conopia* scribi, si penultima corripiatur, ut h. loco; *conopea*, si producatur, ut hic male edidit Broukh. [cum Barth.] monet Bentl. ad Horat. Epod. IX. 16.' *Burm.* qui ergo *Conopia* dat, ut Lachm.—46 '*Dare et* Heins. Livin. *Mori* Vat. sed jam Livin. vidit id esse pro *Mari*.' Barth. '*Dare et* recte edidit Broukh. quomodo Perr. in marg. ed. Ald. correxerat ex v. c. idque legitur in Colot. Vat. 1. 2. nam in ceteris codd. et edd. Aldd. Junt. Colin. Gryph. aliisque, omissa est copula *et*; idque propugnant, qui confugiunt ad solitam cantilenam de ultima, natura brevi, ante duas consonas producta, diversarum ætatum poëtas confundentes; sed plurimis exemplis contrarium ap. Veteres obtinere ostendit Barthius ad Claud. B. Gild. 186. Hinc *Jura daret* Regg. et pr. edd. Merito itaque id rejecit Broukhusius, licet Vulpius, qui sine copula edidit, eum aliter notet censuisse ad Tibull. I. 5. 28. In multis etiam codd. et edd. antiquis hic legitur *mari*, litera minori; inde in aliis enata est scriptura *mori*: ut in Ask. Leid. 2. Voss. 3. 4. sed *Marî* vere correctum est.' *Burm.* Bene additum *et* pronuntiat Lachm. *Dare et*. dat Barth.—47 Huc transfert Lachmannus vss. 59. 60. In plerisque codd. et edd. priscis legitur *Tarquini*. Burm. jubet ut videas sui Patrui Notas ad Virg. VI. Æn. 818. *Tarquinii* dant B. B. B. L. *Factas* damnat Burm. quod in Voss. 4.—48 *Omine* Burm. 2. sed in ejusd. marg. pro varia lect. *Nomine*: cui receptæ lect. favere censet Burm. codices, in quibus *Nemone* vel *Nemine*. *Quas* Neap. Borr. Burm. 1. *Tulit* pro *notat* Voss. 4. In nonnullis *vocat*, ut Vat. 5. Ed. pr. et ed. Scal. *Notet* Burm. 2.

NOTÆ

45 *Tarpeio saxo*] Saxum Tarpeium idem est ac illud quod a Virgilio dictum est 'Capitoli immobile saxum,' unde et mons Tarpeius et Tarpeia rupes pro Capitolio sumitur, ut sæpius jam diximus.

46 *Inter, et arma Marî*] In ipso nimirum Capitolio, ubi erant Caii Marii statuæ tropæaque, et arma ab ipso hostibus erepta: de quibus vide Plut. in Cæs. itemque Suet. in eodem Cæs. c. 11. 'Tropæa,' inquit, 'Caii Marii de Jugurtha, deque Cimbris ac Teutonis, olim a Sylla disjecta restituit.'

47 *Tarquinii fractas secures*] Tarquinium Superbum intelligit, qui fuit ultimus regum Romanorum. Dicit autem Propertius, si tyranno superbo parendum sit, ferendum potius fuisse regem Tarquinium, quam fœminam superbam et impudicam. Per 'fractas' autem 'secures' fractum denotat imperium Tarquinii, cujus revera fasces, dominationis et imperii indices, fracti sunt cum regno pulsus et ejectus est.

Fugisti tamen in timidi vaga flumina Nili:
  Accepere tuæ Romula vincla manus.
Brachia spectavi sacris admorsa colubris,
  Et trahere occultum membra soporis iter.
Non hæc, Roma, fuit tanto tibi cive verenda,
  Nec ducis assiduo lingua sepulta mero.

fugisti in errantem fluvium Nili imbellis; tuæque manus receperunt catenas Romanas. Ego *conspexi brachia diris serpentibus adesa, corpusque viam mortis abditam attrahere.* O *Roma, tam magno viro sospite, non fuit tibi metuenda illa* fœmina, *neque*

Borr. Leid. Heinsian. *Notat* reliqui, cum vetustioribus edd. idque placet Guyeto, Broukh. Burm. et dant B. B. B. L.—49 *Capienda f.* Bon. *Rape* pro *cape* vult Heins. *Sed m.* Guarn. Mentel. Voss. Borr. *Et m.* Burm. 1. *Rapienda* Mentel. Vulg. tuetur Burm. *Triumphos* cod. Scal.—50 'In quibusd. libb. est *longum*, quod eod. tendit: tamen poëtæ 'diem' fere notant genere sequiore.' *Broukh.* '*Longum* Reg. [Neap. Leid. 2. Voss. 1. 3. Dorvv. Burmm.] Ed. pr. cum Brix. Venet. [cett.] minus accurate.' *Barth.* *Longam* dant B. B. B. L.—51 '*Tumidi* Palat. C. Com. quod non est de nihilo. Egregie convenit et naturæ Nili et superbiæ Cleopatræ. *Vada* cod. Palat. Dresd.' *Barth.* '*Tumidi* Mentel. Leid. 2. Voss. 1. 3. Groning. Dorvv. et mei: quod Passeratio probatum fuit, et Modio in Novant. Ep. XVIII. p. 84. sed *timidi* in ceteris Mss. ac vetustis edd. quod elegantius; et hoc recte vindicavit Broukh. Corrupte *vada* Mentel. Neap. *Vana* Voss. 4. *Vaga* vel *cava* legend. ascripserat Franc.' *Burm.* *Tim.* dant B. B. B. L.—52 *Vincula Roma* Ask. *Tuas* Reg. 2. *Nec cepere* Markl. et alterum falsum esse notaverat. Vulg. tuetur Burm.—53 *Spectasti* Markl. Alterum defendit Burm. *Amorsa* Groning. *Adrosa* Heins. quod postea rejecit, et *adm.* probavit ad Vell. II. 87. ubi, ait Burm. hoc in vs. *Pectora* male editum est, nisi scripturæ vitium sit. Pro *sacris* Beroaldo placuisse *fixis* censet Burm. qui vulg. tuetur. —55. 56 '*Non hoc* Palatt. Brix. Colin. *Nunc hæc* Palm. et vs. 56. *Vixit:* sed ibi omn. fere libb. vett. *Dixit et ass.* In quibusd. tamen librr. Passeratii erat *Et ducis*, quod ita probat ut pro *Et* scribatur *Nec*, quomodo et D. Heins. legebat; sed ejus filius malebat *Vinctaque et ass.* N. Prop. Sed id. tamen Advers. p. 89. patris sententiæ subscribit; in qua et Broukh. et Vulp. acquiescunt cum Gött.' *Barth.* '*Non hæc R. fuit Nec ducis.* Ita sanitati suæ locum h. restituerunt VV. DD. *Non hoc R. fui* Perr. v. c. Mentel. Vat. 2. Neap. *Hoc* etiam Borr. Regg. Colbertt. Leid. 1. tres Voss. Dorvv. et mei. Altero vs. perperam quoque id. codd. et Harl. cum priscis edd. *Dixit et:* sed

NOTÆ

51 *Fugisti tamen*] Cleopatram primam cum 50. navibus arripuisse fugam ex Actiaco prælio, neutram adhuc in partem inclinante victoria, narrat Plutarchus. Antonius vero mox eam secutus victoriam reliquit Augusto.

52 *Accepere Romula vincla*] Non de ipsa Cleopatra dicit hoc Propertius, sed de ejus effigie, quam in triumphum ductam fuisse scribit Dio lib. LI.

53 *Brachia admorsa colubris*] Cum perire statuisset Cleopatra, dicitur aspidem admovisse brachio, cujus morsu venenoque extincta est. Plutarchus vero refert in Antonio Cleopatræ effigiem ductam in triumphum fuisse cum aspide mordicus inhærente ejus brachio; quod etiam Propertius hoc loco testatur se vidisse.

56 *Nec ducis assiduo*] H. e. non tibi metuenda fuit Cleopatra, neque lin-

Septem urbs alta jugis, toto quæ præsidet orbi,
  Fœmineas timuit territa Marte minas.
Nunc ubi Scipiadæ classes? ubi signa Camilli,
  Et modo Pompeia Bospora capta manu;

lingua ducis perpetuo vino obruta. Civitas septem collibus sublimis, quæ toti terrarum orbi præest, muliebres minas Marte conterrita formidavit. Ubi modo sunt *Scipiadæ navales exercitus? ubi Camilli vexilla? vel ubi* sunt *Bospori Pompeii virtute ar-*

Nec Ducis optime emendarunt Passerat. et D. Heinsius, quam patris sui restitutionem laudavit filius ad Vell. II. 87. qui etiam tentaverat *Et dux*, vel *Vinctaque et*, quod tamen parentis ejus conjecturæ non videtur præferendum. Lib. suo ascripserat Marklandus: 'Ediderunt *Nec Ducis*, longius a scriptura librorum. Mallem *Dux et ab*.' Parum mihi persuadet, non acquiescendum esse Heinsii emendationi.' *Burm.* '*Nec ducis* de l. suo non dejicimus, quia nihil habemus, quod certo substitui possit. *Non hoc* plerique habere videntur: *fui*, ni fallor, duo Italici tantum, Perr. v. c. et Vat. 2. nam, cum Burmannum de Neap. fallere sciamus, idem de Mentel. conjicias licet. Quid autem Poëta dederit, cum propter alia, tum ideo difficile dictu est, quia dubium est, Romamne an Cleopatram hic alloquatur.' *Lachm.* *Non hac* dant B. B. B. L. ut et *Nec ducis*.—57 *Toti* Leid. 2. Voss. 1. Groning. sed in reliquis codd. et edd. vetustis constanter *toto*.—58 *Edita* Markl. Rejicit Burm. cum Sant. *T. in arte* Guarn. Burm. 2. Deest hic vs. in Neap.—59 'Totum hoc distichon, quod in plerisque codd. et vetustis edd. legebatur post vs. 68. optime huc revocarunt viri eruditi, ut jam monuit Passeratius p. 475. et post eum Broukhusius: quem ob id reprehendit Vulpius, et post vs. 68. retinuit, addita explicatione admodum contorta. [Vulpium sequitur Barthius.] J. autem Dousa P. margini ed. Rouill. ascripserat, 'Quid Camilli signa h. in l. faciant, mihi vero divinare non est promtum.' Sed recte Passeratius refert ad signa, quæ Romanis clade Alliensi ademta erant a Gallis, a Camillo autem recepta.' *Burm.*—60 '*Aut ubi* Aldd. cett. *Et modo* Brix. Venet. cett. *Aut m.* Passer. In schedis Modianis et Neap. *Bospore capta*.' Barth. '*Aut modo* Neap. Vat. 5. Borr. Groning. Ask. Leidd. tres Voss. Dorvv. et meus 2. ut ex aliis affert L. Lat. *Aut modo Pompeii* in suo cod. legi notat Scaliger. *Aut ubi Pompeia* Regg. Colbertt. et primæ aliæque edd. vetustæ: quod non displicet. *Bosphore* Neap. et meus 2. Heinsius in Notis p. 726. *capte*, vel *aperte*, vel *adacte* conjecerat. *Tuque ubi* ad

NOTÆ

gua ebriosa Antonii imperatoris mero perpetuo calentis.

57 *Septem urbs alta jugis*] Septem collibus seu montibus insignis civitas est Roma, quam non debuisse timere muliebres Cleopatræ minas, cum bellicosissimos hostium duces regesque domuerit ac profligaverit.

59 *Scipiadæ classes*] Scipionem Africanum significat, qui navalem exercitum, seu classem, summa celeritate adornavit, ac in Africam transmisit. De hoc scripsit Lucretius: 'Scipiades belli fulmen, Carthaginis horror.'

Signa Camilli] Gallos Roma pulsos, quam oppugnaverant, duce Brenno, Camillus ad flumen Alliam, ubi in Tiberim influit, prælio adortus profligavit, signaque, quæ Romanis ademerant, recepit.

60 *Pompeia Bospora capta manu*] Bospora dixit neutro genere, ut Mænala, Ismara, Taygeta, &c. Duplex est autem Bosporus, Thracius, nimirum, et Cimmerius. Ad utrumque autem gentes devicit Pompeius, ut refert cum nostro Propertio Plutarchus in Pompeio.

Hannibalis spolia, et victi monumenta Syphacis,
  Et Pyrrhi ad nostros gloria fracta pedes?
Curtius expletis statuit monumenta lacunis:
  Admisso Decius prælia rupit equo.

misque subacti? spolia Hannibalis, Syphacisque domiti tropæa, superbiaque Pyrrhi contrita jacent *ad nostros pedes? Curtius completo* fori *hiatu* suæ virtutis *reliquit monumenta; Decius vero incitato* in hostes *equo aciem perrupit. Coclitis iter*

---

marg. ed. Ald.' *Burm.* Lege, ait Lachm. *Aut m. P. Bospore capte manu.* Kuinoelis lect. dant B. B. B.—61 Lachm. censet *monumenta* esse spurium, uncinis includit in textu, et Italicis typis id impressum exhibet. Fortasse, sit, non incommodum orationi fulcrum præbebimus scribendo *sunt parta.*—62 *Est* Vat. 1. *Facta* Mentel. et alii. Damnat Burm.—63 *Durius* Dresd. *Curius* Regg. Colbertt. Mentel. Borr. Groning. Ask. Voss. 1. 4. Burm. 1. cum Venet. 2. Rheg. Brix. Aldd. Junt. Mur. [sic Burm. monet: sed Barthius notat in ed. Mur. esse *Curtius*:] Gryph. 1551. 1561. Basil. *Curtius* in edd. Volsci, Colin. Rouill. Canteri, Antverp. Plantini, Gryph. 1573. Grasseri, aliisque. *Documenta* vult legend. Burmannus aut hic aut in vs. 61. sine idonea ratione, pronuntiante Kuin.—64 'Sic Scaliger legebat, optime. Grut. VII. Suspic. 11. tentabat *Ad Decius misso*, ut sit tmesis: non audio.' *Broukh.* '*Et* Vat. *Adm. D.* improbat Heins. N. Prop.' *Barth.* '*Et D. misso* Voss. 4. Ask. et meus 1. *Ac D. misso* Leidd. Voss. 3. et meus 2. *At D. misso* Voss. 1. Dorv. 2. [Dresd.] et vetustiores edd. ut *misso* pro, immisso, dicatur, quod multis locis tuetur Heins. in Notis p. 726. Mirari licet perversum, viri ceteroquin eruditissimi, Gruteri gustum. Recte Scaligeri lect. recepit Broukh.' *Burm.* 'Lege *Ac D. misso.*' Lachm.

NOTÆ

61 *Hannibalis spolia*] Prædam, victoriamque de Pœnis, eorumque duce Annibale, ab Romanis reportatam intelligit.

Monumenta Syphacis] Syphax, rex Numidiæ, seu Massylorum, cum auxilium tulisset Carthaginiensibus adversus Romanos, a Scipione victus ac captus est, a quo in triumphum ductus est, et carcere inclusus, ubi vitam finiit, regno Massinissæ concesso. Vide Plut. in Scip. Liv. Polyb. &c.

62 *Et Pyrrhi*] Pyrrhus, Epirotarum rex, materno genere ab Achille, paterno ab Hercule oriundus, in Italiam a Tarentinis in auxilium contra Romanos evocatus tandem victus est a Manio Curio Dentato, qui de ipso triumphavit.

63 *Curtius expletis lacunis*] Livius Lib. VII. statim fere ab initio narrat, cum medium forum Romanum in immensam altitudinem vasto hiatu desedisset, neque ea vorago posset expleri, responsum ab haruspicibus fuisse, compleri non aliter posse specum, quam ea re qua plurimum populus Romanus posset. Quod quidem M. Curtius de virtute et armis interpretatus, armatus et equo insidens se in eam voraginem immisit, et ita terræ hiatus est expletus.

64 *Decius*] Decii historia refertur a Livio lib. VIII. de quo et Seneca Epist. 68. ait: 'In medios hostes concitato equo, mortem petens, irruit.' Idem vero factitasse patrem et filium Decios Cicero dicit in Catone. 'Decii,' inquit, 'ad voluntariam mortem equos incitaverunt.'

Coclitis abscissos testatur semita pontes.
  Est cui cognomen corvus habere dedit.
Hæc Di condiderunt, hæc Di quoque mœnia servant.
  Vix timeat, salvo Cæsare, Roma Jovem.
Leucadius versas acies memorabit Apollo:
  Tantum operis belli sustulit una dies.
At tu, sive petes portus, seu, navita, linques,
  Cæsaris in toto sis memor Ionio.

angustum revulsos pontes testatur, ac etiam ille, *cui corvus cognomen donavit. Istam urbem Divi constituerunt, eam etiam Divi defendunt et tuentur. Sospite et incolumi Cæsare, vix Roma Jovem* ipsum *reformidet. Leucadius Apollo fractos* Antonii *exercitus celebrabit: tantum opus belli confecit unica dies. Sed tu, qui navigas, sive ibis ad portum, sive portum relinques, memor esto Cæsaris per totum* mare *Ionium.*

Adm. D. dant B. B. B.—65 *Adscissos* Neap. *Abscisos* Dorv. 1.—66 'Scripserat *Est cui:* nihil verius.' *Broukh.* Recepere Vulp. Gött. Barth. Burm. idque verissimum vocat Lachm. et exhibet Vat. 2. Ceteri omn. codd. et edd. antiquæ *Et cui.*—67 *Condiderant* omn. fere codd. et edd. antiquiss. usque ad ed. Scal. in qua *condiderunt,* ut legend. monuerunt etiam Passerat. et Livin. et recepere Vulp. B. B. B. L. Gött. et dat Palatinus.—68 *Teneat* Dorv. 1. Damnat Burm.—69 *Memorabat* Groning.—70 *Bello* vel *bellis* Heins.—71 *Linquens* Brix.—72 'Franc. *tuto* reponebat. Nihil certius.' *Broukh.* '*Toto* omn. libb. sat bene. *Tuto* recep. Vulp. Gött.' *Barth.* *Toto* anteponit Burm. et dat cum Lachm.

NOTÆ

65 *Coclitis*] Horatius Cocles, positus in statione pontis Sublicii, procellam impetumque Hetruscorum sustinuit, donec pons a tergo solveretur. Vide Liv. lib. II. Dionys. Hal. lib. V. Val. Max. lib. III. c. 2. c. 15.

66 *Cui cognomen corvus*] Valerium Corvinum intelligit, qui dictus est Corvinus a Corvo, qui ipsi venit in auxilium, cum singulari certamine contra Gallum provocatorem, quem vicit ac interfecit, dimicaret. Vide Liv. lib. VII. Gellium IX. 11. Plin. VII. 48.

69 *Leucadius Apollo*] Celebrabit victoriam Augusti, quam canere debet vatum optimus, ipseque Deus poëtarum Apollo. Leucadius autem dicitur Apollo a Leucade ad Ambraciam civitatem in Epiro promontorio, ubi templum habuit, quod post victoriam Actiacam ampliasse ac ornasse dicitur Augustus.

Versas acies] Classem Antonii in fugam conversam, sociosque ejus prælio devictos.

70 *Una dies*] Bellum unius diei.

71 *At tu*] Elegiam hanc clausurus Poëta monet per mare Ionium navigantes, ut memores sint et grati, sive ibunt sive redibunt, quod Augusti beneficio tuto navigent in eo mari, quod Antonius et Cleopatra armis suis prius infestabant, antequam ab Augusto delerentur.

72 *Ionio*] De mari Ionio jam sæpius supra diximus.

ELEGIA XII.

AD POSTHUMUM, DE GALLA.

POSTHUME, plorantem potuisti linquere Gallam,
  Miles et Augusti fortia signa sequi?
Tantine ulla fuit spoliati gloria Parthi,
  Ne faceres Galla multa rogante tua?
Si fas est, omnes pariter pereatis, avari;
  Et quisquis fido prætulit arma toro.
Tu tamen, injecta tectus, vesane, lacerna,
  Potabis galea fessus Araxis aquam.

O *Posthume, potuistine Gallam lacrymantem deserere, ac miles castra fortia Cæsaris sectari? An tam magni* pretii tibi *fuit laus Parthi devicti ac exuti, ut Gallam tuam* te *multum etiam atque etiam orantem relinqueres? Si licet, cuncti* vos *simul,* o *avari, pereatis, ac quicunque* etiam *fideli conjugio militiam anteposuit. Tu quidem,* o *demens, contectus penula superinduta, sitiens casside*

Ad Posthumum vel *Ad P. de Galla* inscribitur in codd. et edd. vetustis.—1 *Rumpere* Dorv. 2.—2 *F. facta* Leid. 2. Voss. 4.—3 *Spoliandi* vult Franc. pro quo *spoliati* poni contendunt Broukh. Burm. Legit Ask. *u. tibi spoliandi.* *Illa* pro *ulla* Heinsian.—4 *Facias* Dresd. Burm. 2. *Fugeres* Heins. *Faceres* defendit Burm. qui censet f. legend. *Ne faceres, G. m. rogante, moram.* *Negante* in aliis legi testatur L. Lat.—6 *Et quicunque* Dorv. 2. *Et siquis* Dresd.—7 *In tecta* Mentel. Regg. unus Colb. Borr. Leid. 2. Voss. 3. 4. Burm. 2. et pr. edd. *Interea* Colb. 2. cod. Scal. Groning. Dorv. 2. Burm. 1. *Intecta* Neap. Dresd. Brix. *Intexta* Ask. Harl. Vat. 1. 5. *Huic texta* Heins. sed *injecta* se non mutare monet Burmannus. Pro *vesane* in Regg. et Colb. 2. *versare; vesare* in pr. edd.—8 *Notabis* Borr. *Fixus* Dorv. 1. quod damnat

NOTÆ

1 *Posthume*] Quendam Posthumum incusat, qui ductus avaritia, pecuniarumque congerendarum causa, conjugem suam Gallam lamentantem reliquerat, ut in expeditionem contra Parthos Augusti sequeretur exercitum; carpitque hominem, quod pluris faceret pecuniam, quam uxorem, quæ castitate et pudicitia Penelopen vincere censebatur.

2 *Fortia signa*] Castra nimirum, seu vexilla viris fortibus et strenuis, qui militabant, munita.

3 *Tantine*] Tantine facis laudem insignem de Parthis hostibus victis et exutis, ut Gallam tuam enixe te precantem, ne se desereres, non exaudire debueris?

5 *Si fas est*] Non est penitus dissimile illud Tibulli: 'O quantum est auri potius pereatque smaragdi, Quam fleat ob nostras ulla puella vias.'

7 *Lacerna*] Vestis militaris genus. Isidor. Orig. XIX. 24. 'Lacerna,' inquit, 'pallium est fimbriatum, quo quondam soli milites utebantur.' Ut autem apud Romanos turba castrensis seu militaris ab urbana distingueretur, populum urbanum, 'togatum,' castrenses vero seu militares, 'lacernatos' vocabant.

Illa quidem interea fama tabescet inani,
  Hæc tua ne virtus fiat amara tibi.
Neve tua Medæ lætentur cæde sagittæ,
  Ferreus aurato neu cataphractus equo.
Neve aliquid de te flendum referatur in urna.
  Sic redeunt, illis qui cecidere locis.

hauries aquam Araxis: dum ista tua Galla *ob vanam* tuam *gloriam contabescet, ne tua hæc audacia tibi sit gravis et luctuosa; seu ne Meda tela morte tua gaudeant, vel ne ferreus cataphractus aurato* tuo *equo* lætetur; *vel ne aliquid ex te lugendum in urna reportetur; sicut ii referuntur, qui illis* in *regionibus perierunt.* O *Post-*

Burm. Memoriæ nimium confisus, judice Burm. Salmasius ad Spartian. Hadr. cap. 13. p. 127. male affert *Et fesso g. qui tibi portet a.* Pro *Ar.* Dresd. habet *Araris.*—9 ' *Cura* vel *flamma* vult Heins. sed vulgatam tuetur quoque Virg. Æn. IV. 218.' *Barth.* *Flamma* est in Voss. cod. Vulg. tuetur Burm.—10 *H. utinam v.* Guarn. Leid. 1. *Fiet* Dresd. superscripta *a.* *Fiet* et Regg. Voss. 3. Burm. 1. et priscæ edd. *Nec fiet* Colbertt. *Amata* Morell. *Sibi* Livin. Heins. Advers. p. 89. et N. Prop. et Francius, quod habent Vat. 5. Leid. 2. Voss. 3. idque dat Burm. sed *tibi* commodum sensum præbere censet Kuin. et multo magis tenerum esse judicat Lachm.—11 ' Sic in omn. codd. et edd. vetustis: unde igitur Cælius Secundus Curio in Foro Romano, s. L. L. Thesauro, in ' Linio,' affert *linientur cæde sagittæ?* quod mirari etiam videtur Vossius III. de Analog. cap. 35. p. 143. ubi dicit se in cunctis edd. et vetusta Rheg. reperisse *latentur.* Sed plura hac de re notavit Patruus meus ad Quintilian. Decl. XIII. 5. p. 277.' *Burm.* *Linientur* esse in edd. Colin. et Grasseri monet Barth.—12 ' Errant qui *ærato* reponunt. Ductus literarum veram lect. docet, quæ est *armato.*' Broukh. ' *Aurato* est in omn. libb. et unice vera lect. *Ærato* frustra tentabat Guy. cum Dousa; sicut *armato* alii, quod recepit in context. Broukh. retinuere Vulp. Gött. *Cataphrattus* Brix. Italica pronuntiatione.' *Barth.* ' *Aurato* in Leidd. tribus Voss. Ask. Borr. Groning. Dorvv. meisque, et primis reliquisque edd. antiquis. *Ferreus nec aurato neu* Harl. *Ærato* vel *armato* Heinsius, qui etiam in marg. ed. Ald. conjecerat *Æreus ærato.* Vid. de h. l. Lipsium III. de Milit. Rom. Dial. 4. p. 131. qui Dousæ F. *ærato* pro *aurato* illic probasse videtur: sed rejicit hoc et *aurato* propugnat Dausqueius ad Silium p. 323. Cerda ad Tertullian. de Habit. Mulier. cap. 7. p. 370. et Scriverius in Annotatione Ms. quam suis ad Vegetium Notis inseruit Oudendorpius T. IX. Misc. Obs. p. 98. *Armato* tamen bene tuetur Broukhusius. *Aurato* defendit Vulp. sed non persuadet. Neque etiam admittere possum Marklandi conjecturam, licet ingeniosam, qua ad Max. Tyr. p. 715. legebat *Sericus armato.*' Burm. *Aurato* præplacet Kuinoeli, et id ut

NOTÆ

8 *Araxis aquam*] Araxes fluvius est Armeniæ majoris, qui ex eodem monte oriens, ex quo fluit Euphrates, contrario cursu labitur in occidentem, deinde ad Boream conversus in mare Caspium exoneratur. Militibus porro familiare est, ut haustam aquam galea potent. Ut apud Plutarchum legimus, Alexandro quondam sitienti oblatam fuisse more militari aquam in galea, quam intactam reddidit, dicens: ' Si solus bibero, ceteri dolebunt.'

11 *Medæ sagittæ*] Medæ, h. e. Parthæ: vel populos illos ejusmodi, ut Persas, Medos, Parthos, Scythas, significat, qui sagittarii insignes ac præstantes habebantur.

Ter quater in casta felix, o Posthume, Galla,
  Moribus his alia conjuge dignus eras.
Quid faciet nullo munita puella timore,
  Cum sit luxuriæ Roma magistra suæ?
Sed securus eas. Gallam non munera vincent,
  Duritiæque tuæ non erit illa memor.
Nam quocumque die salvum te fata remittent,
  Pendebit collo Galla pudica tuo.

hume, septies in Galla tua *pudica beate, uxore dignus eras aliena* ab *istis* tuis *moribus. Quid*, putas, *aget fœmina nullo metu* custodum *defensa, cum Roma magistra sit suæ luxuriæ? At quieto tranquilloque sis animo: dona Gallam* tuam *non expugnabunt, nec ipsa recordabitur duritiæ tuæ. Qualicumque enim die fata volent te salvum et incolumem redire, Galla* tua *casta dependebit* e *collo*

revoces jubet Lachm.—13 *Neu* Brix. et Venet. ap. Barth.—14 *Si credent* damnat Burm. quod in Regg. Neap. suo 2. et pr. edd. *Quæ cec.* Mentel. Burm. 2. *Sic c.*—15 *In cara* Leid. 1.—16 Inciderat aliquando Burmanno legend. *his illa* vel *tali c. d. eras?* sed tandem vulg. exponit et retinet.—17 *Faciat* Bon. *P. marito* Heins. sed nihil mutand. judicat Burm. Corrigit Ast. p. 60. *Q. faceret n. m. p. pudore, Cum sit l. Roma magistra suæ.* Et sic in vs. minore scribi jubet Lachm. Vulg. exponit Kuin.—18 '*Cum sis l. norma m. tuæ* recte Scaliger, emendato librariorum errore, (frustra enim incusat correctores, nihil hic commeritos,) qui *Roma* fecerant ex *norma.* Passeratius non debebat tam bellam correctionem vellicare.' *Broukh.* 'Vulpius et Gött. vulgatam tuentur. *Tuæ* est dativ.' *Barth.* 'In codd. plerisque, ac vetustis edd. constanter legitur *Cum sit l. Roma magistra tuæ:* nisi quod *suæ* in Perr. v. c. Colot. et tribus Vat. et ita legend. videtur: nisi quod *suæ* malim pro *tuæ:* neque enim hæc lectio a librariis provenit. *Cum sit l. Roma ministra tuæ* in aliis legi notat L. Lat. Scaligeri emendationem etiam improbabat Marklandus: 'Scaliger ex conj. edidit *norma magistra*, et eum deinde alii secuti: sed nec explicarunt, nec quidem potuerunt. Omnes Mss. habent *Roma*, non *norma.* Minima mutatione en optimum sensum, *Quid facies, &c. Cum sit l. Roma magistra tuæ.* Vel potes retinere vulgatam, modo pro *sis* legas *sit*, et *Roma*, et *suæ* pro *tuæ. Suæ* erit, *ejus.*' Sed non aspernandum forte, si quis substituend. conjiciat, *Cum sit l. forma magistra suæ.*' Burm. Sed hæc *forma* merus est lusus, judice Lachm.—19 *Munere* Voss. Leid. 1.—21 *Salv.* vindicat Broukh. et recte, judice Burm. et hoc exhibent Perr. v. c. Colot. Vat. 1. 2. Neap. Exc. Scal. Borr. Mentel. Groning. aliique, et edd. Vulp. Gött. B. B. B. L. *Sanum* est in prr. easque secutis

NOTÆ

14 *Illis qui cecidere locis*] Qui in acie et peregrina militia perierunt.

16 *Moribus his*] Cum tam duro ferreoque sis ingenio, conjuge tui simili dignus eras.

17 *Nullo munita timore*] Nullis quos timeat custodibus cincta; ut dixit II. 23. 'Custodum et nullo septa timore [tumore] placet.'

18 *Luxuriæ Roma magistra*] Cum Roma, ubi tua Galla manet, puellas omnes suas luxum libidinemque, quasi quædam lena, doceat.

22 *Pendebit collo*] Injiciet collo tuo brachia, nec ab amplexu tuo cara conjux divelletur.

Posthumus alter erit miranda conjuge Ulysses;
Non illi longæ tot nocuere moræ:
Castra decem annorum, et Ciconum manus, Ismara capta,
Exustæque tuæ mox, Polypheme, genæ;
Et Circæ fraudes, lotosque, herbæque tenaces,
Scyllaque, et alternas scissa Charybdis aquas;

tuo. Posthumus erit admirabili conjuge Ulysses alter, cui tam diuturna absentia non obfuit, nec *bellum decem annorum, neque mons* Ciconum, neque *Ismara, neque Calpe, neque tuæ palpebræ adustæ*, o *Polypheme, neque Circes doli, neque lotos, graminaque tenacia, neque Scylla, neque Charybdis alternantibus undis scissa*; in *versibus*

edd. etiam in ed. Scal.—25. 26 *Ciconum mors* Vat. 1. Damnat Burm. sed id placuit Volsco. In Burmm. *hismara calpe*. In Ask. *Exutaque*. 'Parum abest,' ait Burm. 'quin emendand. arbitrer, *Ismara, Cyclops, Exust.* Male vocem *mox* corruptam putabat Markl. Conjecerat enim *trux P.* vago nimis et vulgari epitheto. Conj. Sant. *Ismara, Cacre, Exust.*' Reponebat Eld. *Ciconum domita Ismara clade.* 'Cum *Calpe* aperte falsa lect. est, neque *Cyclops* ferri possit, neque placeat *Cacre*, quod jam Burm. improbavit, Fonteinium et V.D. in Bibl. Amst. Crit. Vol. II. P. II. p. 15. secutus reposui *C. m. I. c.*' Kuin. 'Puto vitium bene correctum est a Fonteinio. Vere omnino, nec solus, *C. m.* legend. vidit: confirmat Auctor Panegyrici in Messalam 54. Sed et *capta* perbene.' *Lachm.*—27 *Circa* correxit Broukh. quod et rectum pronuntiant Barth. Burm. *Circes* Borr. Groning. *Circe* Burm 2.—28 *Et* omittit Burm. 1. *Sissa* Men-

NOTÆ

23 *Alter Ulysses*] Non dolis ac fraudibus, sed conjugii felicitate: ut enim apud constantem castæ Penelopes animum non Ulyssi nocuerunt longinqui errores diuturnæque peregrinationes; ita apud Gallam pudicam conjugem non tibi nocebit in Parthos expeditio, modo salvus incolumisque redeas.

25 *Castra decem annorum*] Enumerat omnes peregrinationes et causas quæ tot annorum erroribus Ulyssem detinuerunt; incipitque a bello Trojano, quod decennio integro duravit, in quo et Ulysses egregiam contra Trojanos navavit operam, adeo ut etiam ejus ope et arte singulari, post decem tandem annos, Troja sit expugnata.

Ciconum manus [*mons*] Mons Ismarus seu Ismara, ad cujus radices urbs ejusdem est nominis. Cicones habuit incolas seu accolas, qui populi Thraciæ sunt, juxta flumen Hebrum siti. Contra hos Ulysses post expugnatam Trojam bellum gessit, eorumque urbem Ismarum diripuit. De his diximus in notis ad Tibull. IV. 1. ad illud: 'Nam Ciconumque manus,' &c.

Capta [*Calpe*] Mons est in extrema Hispaniæ ora ad fretum Gaditanum, una nimirum ex columnis Herculis, de qua diximus Elegia superiori. Ad Calpen dicitur Ulysses navigasse, ac in ultimis Hispaniæ finibus Ulyssiponem condidisse.

26 *Exustæque tuæ mox, Polypheme*] Genæ hic sumuntur pro palpebris. Genas enim palpebras veteres dixerunt. Nota est etiam fabula qua narratur Ulysses præusta sude oculum Polyphemo effodisse.

Lampeties Ithacis verubus mugisse juvencos,
(Paverat hos Phœbo filia Lampetie;)
Et thalamum Ææae flentis fugisse puellæ;
Totque hyemis noctes, totque natasse dies;

Ithacis mugiisse boves Lampeties, istos enim Phœbo patri paverat Lampetie filia; et reliquisse torum puellæ Ææae lugentis; et tot hybernas noctes, totque dies fluc-

tel. *Aqua* Borr. Heinsian.—29 '*Lampathiæ sciticis* Guarn. Dresd. nisi quod hic *Scyth.* scribit. *Lampatiæ Scyticis* Posth. *Lampetiæ Scyth.* Brix. *Lampeties itacis* Venet.' *Barth.* 'Monstra scripturæ in his nominibus propriis præ se ferunt codd. *Lamphatiæ* vel *Lampathiæ Scythicis veribus* Regg. Colbertt. Mentel. Harl. tres Voss. Dorvv. meique, et pr. edd. unde Heinsius *Lampetiæ ac Ithacis. Lamphatie Siticis* Ask. In aliis vetustis edd. *Lampeties.*' Burm. Hoc dant B. B. B. L.—30 *Lampathiæ* Dresd.—31 *Cææ* Borr. *Ceæ* Dorv. 2. *Ææ* Neap. Voss. 1. Burmannianus. *Eeæ* Ask. *Athiæ* Leid. 2. tres Voss. Dorv. 1. '*Ææa* non de Calypso sed Circe intelligendum, et aliquid humani hic passum esse Propertium notat Livin. *Et thalamos Atlantéæ f. p.* conjecerat Passeratius p. 482. sed postea *Ææa* retinend. existimat.' *Burm. Æquoreæ* volebat Eld.—32 *Tot n. h.* Dorv. 2. *Tot h. n.* Ask. Legebat Heins. *hyemes noctu...die:* sed vulg. recte se habere judicat Burm. qui *vacasse* damnat quod in Regg. uno Colb. et pr. edd. *Notasse* Burm. 2. Colb. 2. sed in marg. *natasse*, quam veram esse lect. pronuntiat Burm.—33 Nescit

NOTÆ

27 *Et Circæ fraudes*] Ad Circen venisse, hospitioque ab ea fuisse exceptum Ulyssem supra vidimus.

Lotosque] Quomodo etiam Ulysses Lotophagos adierit, supra diximus in notis ad Tibull. IV. 1.

28 *Scyllaque et Charybdis*] De Scylla et Charybdi jam dictum est sæpius ac pluribus.

29 *Lampeties Ithacis*] Lampetie et Phaëtusa filiæ fuerunt Solis, quæ dicuntur boves olim patris sui custodiisse, ac in Sicilia pavisse. Cum autem in has oras annavigasset Ulysses, admonitus est a Circe ut ab armentis Solis abstineret, si in patriam incolumis redire vellet. Ulysses vero jurare coëgit socios, sese boves Solis ovesque nequaquam esse violaturos, qui tamen, cum annona deficeret, immemores juramenti, Solis boves interfecerunt, verubusque figentes assarunt, quorum carnes in verubus mugisse perhibentur. Ut autem injuriam hanc vindicaret Jupiter, orante Sole, sævam immisit tempestatem in Ulyssis classem, qua novem diebus continuis jactatus Ulysses vix tandem solus enatavit incolumis.

31 *Thalamum Ææae flentis*] Ææa dicitur ab Homero Circe, ab insula quadam quam incolebat circa Siciliam; sed ut jam de Circe dixit, nunc de Calypso procul dubio loquitur. Plures enim cum Pomponio Mela dicunt circa fretum Siculum insulam esse Ææam, quam inhabitasse Calypso dicitur, quod etiam Hyginus fab. CXXV. asserit; unde non immerito Propertius hoc in loco de Calypso loqui censetur, licet Homerus Ææam Circen, domumque Calypsus, non Ææam, sed Ogygiam vocaverit. Sic habet Pompon. Mela II. 7. 'Circa Siciliam in freto Siculo est Ææa insula, quam Calypso habitasse dicitur.'

Nigrantesque domos animarum intrasse silentum;
Sirenum surdo remige adisse lacus;
Et veteres arcus leto renovasse procorum;
Errorisque sui sic statuisse modum:

tuavisse; et obscuras mutarum animarum domos penetrasse; surdo remige Sirenum vada trajecisse; et arcus annosos renovavisse ad mortem procorum, et ita vagæ suæ peregrinationi finem imposuisse: neque incassum, quia conjux Penelope *semper*

Burm. unde in Gryph. 5. irrepserit *Mig*. nisi typi error sit.—34 ‘ Ignoscant mihi Broukhusii manes, si neque h. in l. ejus conjecturam *latus*, quam in contextu ipso reposuit, admiserim, sed veterem Propertio reddiderim lectionem *lacus*. Sic in omn. fere Mss. et edd. vetustis habetur. Recte *latus terræ*, sed non *latus Sirenum*: pro quo præstaret *sinus* vel *lares*: sed non opus est. *Locos* conj. Schraderus. Miror vero Marklandum Broukhusii emendationem approbasse: ed. Græv. ascripserat: ‘ Bene Broukh. substituit *latus*.’ ’ Burm.—35 ‘ *Lecto* Bon. *Ludos* ed. princ. ap. Broukh. [Q. *ap. Vulp.?* quæ ed. est nostra Ed. pr.] *Leto* ceteri. *Læto* Venet.’ *Barth*. ‘ *Artus lecto* unus Colb. *Lecto* etiam Neap. Borr. Mentel. tres Voss. Dorvv. meus 1. et priscæ edd. *Artus* male Exc. Scal. et meus 2. *Et veterum arcus lecto* in uno Regio. *Et veteres arcus lecto* in altero, et Harl. *Revocasse* in Perr. v. c. Colot. Vat. 1. Borr. Groning. Ask. Leidd. tribus Voss. Dorvv. et meo 1. et ita in aliis legi notat L. Lat. sed *renovasse* a Bronkh. bene vindicatum est, et confirmatum a Marklando ad Stat. Syl. p. 211. *Artus veteres* sibi renovasse Ulyssem, ut procos uxoris ulcisceretur, inepta esset lectio.’ *Burm.*—

NOTÆ

33 *Nigrantesque domos*] Inferos adiisse, manesque evocasse Ulyssem narrat Hom. Od. XI. Quod idem etiam omnino refert Hygin. fab. CXXV. ‘ Ulysses,’ inquit, ‘ ad Inferos descendit, ibique invenit Elpenorem socium, quem ad Circen reliquerat, &c. Ibi et cum matre Anticlia est locutus de fine errationis suæ. Deinde ad superos reversus Elpenorem sepelivit,’ &c.

34 *Sirenum surdo remige lacus*] ‘ Sirenum lacus ’ vocat partem illam Siculi maris quæ insulam Anthemoëssam, Sirenum sedem, ambiebat. Nota Sirenum omnibus est fabula, quæ tres finguntur fuisse fluminis Acheloi ac Calliopes Nymphæ filiæ, quæ, cum littus Siculum incolerent, ita mirabiliter canebant ut nautas omnes prænavigantes suavitate cantus in naufragium pellicerent. Ulysses autem, admonitus a Circe, cum hæc in loca venisset, sociorum aures obturavit, ne Sirenum cantus exaudirent, seque malo navis jussit alligari, quo periculum tutus evaderet. Vide Hom. Od. XII. De Sirenibus etiam Ovid. Art. III. ‘ Monstra maris Sirenes erant, quæ voce canora Quaslibet admissas detinuere rates.’

35 *Et veteres arcus*] Arcus nimirum, qui viginti annis fuerant inutiles. Cum enim tandem post vicennalem peregrinationem domum rediisset Ulysses, metuens ne, si statim agnosceretur, a procis Penelopes uxoris, qui domum suam obsidebant, interficeretur, sub habitu mendici statuit aliquamdiu delitescere. Postquam autem arcum tetendisset, quem tamen prius exploraverat, an esset corrosus aut cariosus, sagittis excussis, procos Penelopes occidit, uxoremque tandem, agnitus quis esset, recepit. Vide Hom. Od. XXI. et XXII.

Nec frustra; quia casta domi persederat uxor.
  Vincet Penelopes Ælia Galla fidem.

casta domi permanserat. Sed *Penelopes fidelitatem pudicitiamque Lælia Galla longe superat.*

37.38 'Canter. malebat *Vincet,* quod et ego malo. Porro *Ælia* scribend. pro *Lal.* dudum est quod monuerunt Passeratius, Livin. ac Gulielmius Quæst. in Plaut. Pseudol. cap. 6. *Lælia* Glandorp. Onomast. p. 516. male.' *Broukh.* '*Vincet* Brix. Venet. *Vincit* Aldd. Cant. cett. *Lælia* Brix. Venet. Aldd. cum Dresd. *Æl.* legend.' *Barth.* '*Hæc f.* Mentel. Borr. Vat. 5. Dorvv. tres Voss. et meus 1. *Vincit* Leidd. tres Voss. et Dorvv. *Penelopen* Vat. 5. *Penelope* Neap. et meus 2. *Penelopæ* Voss. 4. Dorvv. *Vincit Penelopes* in primis aliisque edd. vetustis. *Lælia* autem in Borr. Groning. Leid. 2. Voss. 3. 4. Dorv. 2. meo utroque, et iisd. edd. *Lalia* Leid. 1. Voss. et Dorv. sed recte post alios *Ælia* scribend. firmat Broukh. Erroris originem non addidit; quam fuisse puto, quia Ælius Gallus, cujus ap. Veteres multa mentio, L. Ælius Gallus dictus fuit, pro quo, ut passim in ejusmodi nominibus propriis, Lælius scriptum fuit ab aliis: et inde Ælia et Lælia gens confusa.' *Burm.* '*Æl.* bene correxerunt. Nescio an scripti omn. habeant *Vincit.*' Lachm.

ELEGIA XIII.

DE AVARITIA PUELLARUM.

QUÆRITIS, unde avidis nox sit pretiosa puellis,
  Et Venere exhaustæ damna querantur opes?
Certa quidem tantis causa et manifesta ruinis:
  Luxuriæ nimium libera facta via est.

Rogatis cur nox sit avaris fœminis tam *pretiosa, profusisque in Venerem sumtibus divitiæ exinanitæ* familiarum *ruinas doleant? Profecto tam magnis damnis in promtu causa est; scilicet ad luxum nequitiamque apertum est tutum iter. Indica*

De avaritia et luxu vel *luxuria matronarum* inscribitur in codd. et pr. edd. In aliis *De avaritia puellarum.*—2 *Venerem* Guarn. Dresd. Regg. Groning. Ask. Leidd. tres Voss. Dorvv. Burmm. Ed. pr. Brix. Venet. ap. Barth. Aldd. Junt. Colin. Gryph. aliæque: quod probat Beroaldus, sed Volscus *Venere* prætulit, quod dant B. B. B. L. et Mentel. Vat. 2. Borr. *Exhausto* Neap. *Venerem.. sequantur* quosdam legere testatur Gebh.—3 '*Certe equidem* male in [Dresd. qui habet *causa est* cum Aldd. cett.] Aldd. Junt. Colin. Gryph. aliisque edd. sed in Venet. 2. Vicent. Rheg. Volsci et Beroaldi jam legitur *Certa quidem t. c. est,* ut in meis etiam codd. habetur, nisi quod *est* desit in Ask. sed in Dorvv. et meis extat. Recte *Certa quidem t. c. et* edidit Broukh. ut in

NOTÆ

1 *Quæritis*] Puellarum avaritiam insectatur, quæ suos amplexus propter nimium luxum tam magno pretio vendunt amatoribus.

2 *Venere exhaustæ*] Opes nimirum absumtæ conqueruntur, Venerem esse perniciem, seu causam ruinæ rei familiaris.

Inda cavis aurum mittit formica metallis,
Et venit e rubro concha Erycina salo ;
Et Tyros ostrinos præbet Cadmea colores,
Cinnamon et multi pastor odoris Arabs.

formica ad nos transmittit aurum ex cavernosis fodinis, conchaque Erycina ad nos etiam mittitur e mari rubro. Tyrus etiam Cadmea suppeditat colores purpureos, pastorque Arabs cinnamomum odoris exquisiti. Ista arma vincunt etiam mulieres

Mentel. aliisque codd. et ex Palatt. ac C. Com. probatum fuit Gebhardo, qui alterum *Certe equidem t. c. est* a pædagogis interpolatum notat: et tamen illud tuetur Passeratius. Recepta lect. etiam placuisse videtur Heynio Obs. ad Tibull. II. 4. 29. p. 115. ed. sec.' *Burm.*—4 *Lubrica* ex Groning. affert Livin. et Palm. in Spicil. p. 807. idque placebat Guyeto: sed *libera* cum Broukh. anteponit Burm. et dant B. B. B. L.—5 *Inde* .. *mutat formosa* Dorv. 2. *Inde* et Brix.—6 'Hanc lect. tuetur Broukhusius, licet fateatur *concham Erycinam* epitheto longe petito dici: *Concha* quidem *Erycina* hic habetur in plerisque vetustiss. edd. sed, quia non minima codd. pars favet lectioni *Erythræa*, ut legend. jam monuit Beroaldus, illud non videtur rejiciendum cum Marklando ad Stat. IV. Sylv. 5. 20. Ita certe in Exc. Scal. in quibus *Erithrea:* cujus scripturæ vestigia sunt in Vat. 5. in quo *Eritria*. *Eriena* in Mentel. et clare *Eritrea* pro varia lect. in marg. mei 2. *A rubro* hic præfert Broukh. ad similem Tibulli locum II. 4. 29. [et hoc iterat in Notis ad Nostrum.] In omn. tamen codd. h. l. *e* pari consensu ; et suffragatur Mentel. in quo *et rubro* ... In C. Com. *mari* legitur pro *salo:* sed parum refert.' *Burm.* '*Erycina* invenio in Venet. 2. Rheg. et præter commentatores alios defendunt Domitius ad Martial. II. 47. 2. et Larcher. 'Mem. sur Venus' p. 100. *Erythræa* claris ductibus legitur in Lup.' *Sant. Obss. ad Loca nonnull. Vett. Poëtt. Lat.* in *Beckii Comment. Soc. Philol. Lips. Vol.* I. *P.* II. 158. '*Eryc.* epith. ineptum : nec censeam Propertii esse, sed potius *Erythræa.*' Lachm. *Eryc.* dant B. B. B. L.—8 'Hic vs. viris eruditis de mendo suspectus fuit. Verba vel sic exponenda: Et Arabs pastor præbet cinnamon multi odoris; vel ulcus latet in voce *pastor:* ut sagaciter deprehenderunt Guy. et Heins. quorum primus

NOTÆ

4 *Luxuria*] Nunc mores sinunt nimium libere grassari luxuriam.

5 *Inda formica*] Strabo etiam Lib. II. et XV. scribit formicas Indicas ex terræ cavernis aurum egerere ; quod etiam referunt Plin. II. 31. XXXIII. 4. XXXVII. 10. ac Herodotus in Thalia.

Cavis metallis] Metalla posuit pro fodinis, ut abusive sumitur, ut cum dicitur, 'ad metalla damnare,' apud Suetonium et Jurisconsultos.

6 *Concha Erycina*] Erycina dicitur concha a Venere, quæ concha dicitur devecta in Cythera, statim atque e mari spumabundo nata est. Venus enim dicitur Erycina ab Eryce Siciliæ monte, in quo religiosissime colebatur. Mare porro rubrum vocat mare Indicum seu Orientale et Erythræum, in quo, ut supra jam dictum est, gemmæ, margaritæ, uniones, et lapides pretiosi colliguntur.

7 *Et Tyros Cadmea*] Tyrus, urbs Phœniciæ, dicitur Cadmea, quia nimirum Cadmus filius fuit Agenoris, regis Tyriorum. Diximus jam supra sæpiusque Tyrum conchyliis et purpura præ ceteris urbibus fuisse nobilem.

8 *Cinnamon pastor Arabs*] Pastores dicit Arabes, quod hi greges et ar-

Hæc etiam clausas expugnant arma pudicas,
  Quæque terunt fastus, Icarioti, tuos.
Matrona incedit census induta nepotum,
  Et spolia opprobrii nostra per ora trahit.

castas domi *inclusas, et quæ tuam superbiam, o Icarioti, deterunt. Matrona prodit in publicum amictâ fortunis hominum luxu perditorum, exuviasque dedecoris gerit*

felicissime divinaverat, *coston od. A.* alter vero *Cinnamaque et m. coston od. A.* sed præfero *cinnamon* et *costen*, utrumque terminatione Græca: quæ palmaria certe emendatio est.' *Burm.* qui, cum multa Veterum loca attulit, tandem ad metam pergit: 'Sed pluribus Veterum locis non opus esse opinor, quibus præclaram et viris eruditis ultro se approbaturam emendationem confirmari necesse sit.' 'Equidem,' ait Kuin. 'in lect. vulg. et explicatione verborum a Burm. proposita acquiescend. puto.' Velit Lachm. *culti messor.* —9 '*Causas* vitiose Mentel. In Neapolitani a m. pr. scriptura *nittas* quid lateat, divinando assequi non possum. Id certum, *clausas* minime solicitandum, sed Marklandum non male præferre *clausas puellas.*' Burm.—10 *Queque texunt* Palat. '*Haeque terunt* Perr. v. c. Vat. 1. 2. *Ferunt* Ask. *Gerunt* Guy. et Schopp. IV. Susp. Lect. 18. *Queque* affert Nestor in Vocab. p. 160. b. *Icariote* in Borr. Leidd. Voss. 1. 3. Dorvv. Ask. meis, [Guarn. Dresd.] et primis edd. *Icarioioti* Vat. 2. *Faustus* vitiose Groning. *Quæ referunt* vel *Quæ superant* conjecerat Heinsius, vel *Quæque iterant*, aut *æquant.* Ascripserat Markl. *Quæque* id. est quod, Hæcque. *Gerunt* veriss. lect. videbatur Ruhnkenio. Grut. VII. Suspic. cap. 11. mirifica conj. emendat, *Con-que-terunt.*' Burm.—11 *Inducta* cod. Palat. Borr. Voss. 3. Damnat Burm.—12 '*Opprobrium* Voss. Leid. 1. ut sit interjectio. Sed huic l. convenire vix arbitror. F. latet lectio, *Oceani:* et ad h. conj. firmand. Ruhnkenius conferebat Suet.

NOTÆ

menta summas divitias æstimarent; ut etiam legimus in sacris Codicibus Iobum dici magnum et divitem inter Orientales, licet ipsius divitiæ solis gregibus et armentis constarent. Cinnamomum autem Arabes metunt, apud quos etiam aromata ac cujuscumque generis unguenta colligi dicuntur; unde et Tibull. II. 2. 'Urantur odores Quos tener e terra divite mittit Arabs.'

10 *Icarioti*] Icariotis dicitur Penelope, quod filia esset Icarioti sive Icarii. Dicuntur autem terere fastus Penelopes, quæ fama pudicitiæ gloriam ejus vincunt ac minuunt in repellendis fortiter ac constanter procis. Gemmæ porro, aurum, purpura, aliaque id genus ornamenta, fœminarum pudicitiam castitatemque profligare consueverunt.

11 *Census induta nepotum*] 'Nepotes dicuntur,' inquit Festus, 'luxuriosæ vitæ homines, quod non magis his rei suæ familiaris cura est, quam iis quibus pater avusque vivunt.' Ad mentem Propertii Sen. c. 17. de Vita Beata: 'Quare uxor tua locupletis domus censum auribus gerit?' Ovid. Art. III. 'Quis furor est census corpore ferre suos?'

12 *Spolia opprobrii*] Amantium prædas turpiter partas, dedecorisque et ignominiæ plenas, longa veste seu syrmate gerunt matronæ. Ovid. Rem. Am. 343. 'Gemmis auroque teguntur Omnia: pars minima est ipsa puella sui.'

Nulla est poscendi, nulla est reverentia dandi;
  Aut, siqua est, pretio tollitur ista mora.
Felix Eois lex funeris una maritis,
  Quos Aurora suis rubra colorat equis:
Namque, ubi mortifero jacta est fax ultima lecto,
  Uxorum positis stat pia turba comis:
Et certamen habent leti, quæ viva sequatur
  Conjugium: pudor est, non licuisse mori.

in oculis nostris. Non est ullus petendi pudor, non etiam ullus donandi modus: *vel si sit aliqua dilatio, munere* statim *redimitur. Eximia lege funeris felices* sunt *Orientales mariti, quos Aurora rosea suis equis infuscat. Simul ac enim ferali rogo supposita est extrema tæda, fida turba astat uxorum solutis crinibus; ac inter se contendunt de morte, quænam vivens comes eat marito suo: videtur iis turpe* sibi *non*

Calig. XLVI.' *Burm.*—14 *Et* Livin. Lachm. *Ipsa* omn. fere codd. et edd. antiquæ: quod exponit Burm. et legend. jubet Lachm. *Ista* C. Com. quod commodius censet Broukh. et editori Gött. præplacuit, et dant B. B. B.—15 *Ima* Dresd. facili lapsu, monente Barth.—16 'Ita recte, non *aquis*, omn. fere exhibent codd. et edd. vett.' *Burm.*—17 *Falx* Borr. *Humida* Mentel. quod, ait Burm. provenit ab illis, qui *hultima* scripserant.—18 Sic Groning. et optime, judicante Broukh. In omn. aliis codd. et edd. antiquis est *fusis*, quod eapropter revocavit Burm. *Pos.* rectum esse censet Kuin. et dant B. B. *Passis* Palm. qua correct. non opus esse censet Gebh. et ex Palat. 1. affert *faxis*, unde *laxis* conjicit; sed nec illa emendatione res indiget, auctore Burm. Illud *faxis* f. legend. *laxis* statuit Barth. *Tonsis* Franc. Certe, ait Burm. *tonsis* magis accederet ad *fusis*, ut *tunsis* fuerit exaratum.—19 '*Lætæ* malebat Lips. II. Ant. Lect. 10. quod non valde placet.' *Broukh.* '*Leti* prætulit Broukh. *Læti* Groning. meus 2. [Dresd. et Venet. ap. Barth.] quod nonnihil favere posset Lipsio: quanquam, si *lætæ* admittatur, magis placeret *habent: læta est quæ.* Oud. placebat *habent: leto quæ.* Nescio qua tamen elegantia magis se commendat *Et cert. habent leti. Quæcunque seq.* male Ask.' *Burm.* *Leti* dant B. B. B. L.—20 'Groning. [C. Com.] *voluisse*: quod est contra mentem Poëtæ. [Id. censet Barth.] Sed vicinitas literarum facit ut credam fuisse scriptum primitus *potuisse*. Est sane ille liber expressus de bono exemplari, et in ipsis aberrationibus sæpe servat vestigia veræ lect.' *Broukh.* '*Licuisse* præstat lectioni codicis Groning. in quo *potuisse*. [Cf. sup.]' *Burm.* *Voluisse* esse in Groning. monet et Barthius. *Lic.* dant B. B. B. L.

NOTÆ

15 *Felix Eois lex una maritis*] Eoi sunt Orientales, seu Indi, quibus ea lex est singularis, ut uxores, quarum vir est mortuus, inter se pugnent, judicioque contendant, quam præ ceteris carissimam habuerit, plurimumque dilexerit; plures enim singulis viris solent esse nuptæ. Quæ vero victrix evadit, læta, ac exquisito cultu ornata, prosequentibus suis, una cum viro in rogum imponitur, ac crematur. Quæ autem victa est, mœsta discedit. Vide Strabon. Lib. XV. Hæc autem lex a Poëta laudatur, ut gravius acerbiusque carpat ac insectetur petulantiam libidinemque matronarum Romanarum.

Ardent victrices, et flammæ pectora præbent;
Imponuntque suis ora perusta viris.
Hic genus infidum nuptarum: hic nulla puella
Nec fida Evadne, nec pia Penelope.
Felix agrestum quondam pacata juventus,
Divitiæ quorum messis et arbor erant.
Illis pompa fuit decussa Cydonia ramo,
Et dare puniceis plena canistra rubis;

licuisse perire. Gaudent victrices, ignibusque ultro corpus offerunt, et facies suas flammis *exustas maritis suis admovent*. Apud nos vero *Romæ perfida gens uxorum* est: *nullaque nunc est pudica, qualis Evadne fidelis, aut fida Penelope*. O *beata juventus olim sylvicolarum in pace et otio degens, quorum opes erant fruges et arbor. His pompa fuit* mala *Cydonia arbore dejecta, calathosque rubis purpureis refertos*

—21 '*Ard.* omn. libb. sed H.Steph. v. Schediasm. 10. et post eum Passerat. malebant *Gaudent*. Gebhardus istud *Gaud.* multis modis vellicavit: sed nos ei suum gustum haud quaquam invidebimus.' *Broukh.* '*Ard.* prob. Wesseling. ad Diod. XIX. 34. *Gaudent* Vulp. Gött. At quis non sentiat gradationem?' *Barth.* qui *Ard.* tuetur, cum Grut. in Suspic. inedit. 'Si *certamen leti* non solicitetur, *Ard.* minime immutand. videtur, præsertim cum id tueantur omn. codd. quorum Excerptis utor, et vetustæ edd.' *Burm.* *Gaud.* dant B.B.—23 *Hoc* Dresd. Guarn. Neap. Borr. Voss. 1. 3. Dorvv. Burmm. *Hinc* in vett. libb. haberi testatur Passerat. *Innupta puella* Burm. 2. *Puella est* Regg. Colbertt. aliique cum pr. edd. Reponend. jubet Burm. *pudica est*, et sic suis ad eum literis conjecerat Cann. Conjecerat Heins. *haud fidum* n. *haud ulla puella*, absque necessitate, judice Burm. qui quærit an f. *invisum* vel *infandum* legi possit. 'Locus ab sola interpunctione laborat. Scribe *hic nulla puella Nec &c.* 'Nulla nec' duplici negatione.' *Lachm.*—25 'Optime J. Gulielm. in Quæst. Plantin. p. 239. legebat *pagana*. Ne dubites ita legend.' *Burm.* Hoc ingeniosum vocat Lachm. sed rejicit cum Kuin.—26 *Quarum* Guarn. Brix. *Incensus et a.* Palat. 1.—27 '*Pompa f.* Colbertt. Regg. *Munus erat* minus placet.' *Broukh.* '*Munus erant* Vat. Bon. Palat. 1. Ed. pr. et Venet. Broukh. de munere in arena dato cogitat, frustra.' *Barth.* '*Munus erat* marg. unius Colb. ut in cod. Frut. Vat. 5. Ask. Borr. Groning. Leidd. tribus Voss. Dorv. 1. et meo. *Munus decussa* meus 2. omisso *erat*.

NOTÆ

24 *Nec fida Evadne*] Nulla est, inquit, nunc puella tam casta, ac talis qualis fuit Evadne aut Penelope, quæ tam integra inviolataque fide fuerunt in conjuges. Evadne enim fuit uxor Capanei, quem incredibili amore dilexit. Cum enim audivisset eum apud Thebas fulmine periisse, tota in stuporem diriguit, cumque conjugis celebraretur funus, sese in rogum projecit. Penelopes vero nota est fabula, quæ tam miris artibus procos per annos viginti delusit.

25 *Felix agrestum*] Priscorum hominum, qui in sylvis et agris olim vitam degebant, felicitatem prædicat.

26 *Messis et arbor erant*] Arbor hic ponitur pro fructibus arborum, seu pomis.

27 *Cydonia*] Cotonia etiam dicuntur Catoni. Illa poma sunt ex eorum genere, quibus amor olim apud priscos conciliabatur. Ut Eleg. ultima lib. II. 'Pomis mercaris amores.' Virg. Ecl. III. 'Sylvestri ex arbore lecta

Nunc violas tondere manu, nunc mixta referre
  Lilia, vimineos lucida per calathos;
Et portare suis vestitas frondibus uvas,
  Aut variam plumæ versicoloris avem.

donare; modo vero violas manu decerpere, modo permixta colligere lilia pellucentia in canistris puellaribus, ac etiam uvas suis adhuc pampinis tectas ferre, volucremque

Munus erant Colot. Neap. Palatinus, Livineii codex, Vat. 1. 2. Voss. 4. Dorv. 2. et alii ap. L. Lat. Quæ lect. si admittatur, intelligenda sunt munera ex agris vel arboribus ad amorum illecebras innocentes missa: ut explicat Beroaldus, qui etiam edidit *munus erat:* nec aliter in Douss. J. Bapt. Pius ad Lucret. v. 963. affert *pompa fuit*. Eo inclinasse videtur Heinsius, qui legend. conjecerat *poma* vel *dona suodec.* Sed lectio ista, *munus erat*, nata fuit ex seq. vs. licet id. Heins. ad Ov. I. M. 105. afferat *pompa fuit*.. *Et de puniceis.* Certe in Vicent. Venet. 2. Rheg. Volsci, Aldd. Junt. Colin. Rouill. Gryph. Mureti Aldina, Scaligeri, aliisque *pompa fuit:* quod Ruhuken. conferebat cum illo Planti ap. Macrob. II. Sat. 12. 'Cujus hæc ventri paratus pompa?' sed aliud latere credebat: et hoc recepit Broukhusius, qui *munus erant* vel *erat* rejicit, quia *erant* in fine præced. vs. legitur. Sed quod addat, 'Est enim *pompa* in circo aliud quam *munus* in arena,' vix percipi potest, nisi addam, ea spectare Passeratium, qui translatam esse locutionem putabat a pompa Circensi ludorum sacrorum, et ferculis, quæ in pompa triumphali circumferebantur. Sed melius hæc de agrestium simplicitate in victu intelligi possent, quibus tota mensarum pompa et ferculorum apparatus constabat frugibus e terra natis, et arborum fructibus, pomis, malis, ficis, rubis, et sim. quas epulas *dare* convivis solebant. Si quis tamen præferat *munus erat*, vel *erant*, et ad munuscula a puellis rusticis ad juvenes amatores, vel ab illis ad virgines sibi conciliandas missa referat, non refragabor: et sic *pagana juventus* de solis virginibus et puellis rusticis capienda, et *Divitiæ quarum* præferend. esset. *Discussa Cyd.* in Neap.' *Burm.* '*Pompa f.* Volsc. 2. et post eum alii multi. Non improbo; sed, quoniam libri tantum recentissimi et Italici confirmant, malo *munus erat* : *erant* ferri non potest.' *Lachm.* *P. f.* dant B. B. B. —28 '*Rubris* vitiose in Voss. 1. 3. Dorvv. et Ask. *Rosis* in antiquis edd. legi testatur Spanhem. de Præst. et Usu Numism. T. I. p. 823. idque præferre videtur. Quas vero antiquas edd. adhibuerit, vellem indicasset; nam in omnibus et singulis vetustioribus *rubis* inveni. Solus Passeratius notat: 'Si legitur *rosis Puniceis?* sic Horat. IV. Od. 10. 'Puniceæ flore prior rosæ,'' nullam tamen ed. aut cod. vetustum memorans. *Rubis* itaque suum tueatur locum.' *Burm.*—29 '*Mista* alii codd. ut edidit Broukh. sed quæ posterioris ævi scriptura est. Inde in nonnullis membr. *musta*, ut in Groning. meo 1. et C. Com. Mixta violis lilia intellige.' *Id.*—30 '*Vim.* optime emendarunt Fruterius, Palm. in Spicileg. p. 807. Heins. I. Advers. 9. ad Ov. IV. F. 435. et N. Prop. p. 727. Vid. quæ notavi ad Lotich. IV. 3. 43. p. 263. Sic igitur edend. censui. *Virgatos* licet in aliis codd. legi, et calathos a Catullo sic etiam dictos notet Passeratius, non facile admiserim.' *Id.* 'Palm. *vimin.* non inepte. Cur autem mutes vulg. [Hoc rectissime quæri pronuntiat Lachm.] Virginei calathi sunt, puellares.' *Broukh.* Lachm. *virgin.* dat in Addendis cum B. B.—32 '*Vers.* in Ber. haud dubie de membranis.' *B. B.* *Pluricol.* Regg.

NOTÆ

Aurea mala decem misi, cras altera mittam.'

28 *Puniceis rubis*] Rubum posuit pro fructu seu moris, sive illa sint Idæa, quæ vulgo *framboises*, sive alius generis.

His tum blanditiis furtiva per antra puellæ
  Oscula sylvicolis emta dedere viris.
Hinnulei pellis totos operibat amantes,
  Altaque nativo creverat herba toro.
Pinus et incumbens latas circumdabat umbras;
  Nec fuerat nudas pœna videre Deas.

pluma varii coloris distinctam. Hujusmodi quondam blandimentis in speluncis furtis convenientibus emta ferebant oscula maritis suis sylvestribus, uniusque hinnuli cutis totos amantes tegebat, gramenque procerum surrexerat in usum lecti, non arte, sed a natura facti. Pinus quoque jacentibus imminens patulas umbras faciebat; neque erat cuiquam *supplicium nudatas Divas aspicere. Cornutus aries*

Colb. 1. Perr. v. c. et priscæ edd. *Viricol.* Neap. Colb. 2. Voss. 4. Ask. *Varicol.* Mentel. Groning. Burm. 1. *Raricol.* conj. Heins. sed *versicol.* vera est scriptura, judice Burm. 'Primi editores,' ait Lachm. 'jam recte dederunt *versicol.* hoc enim ante Beroaldum Calph. 1481.' *Raram av.* in aliis legi testatur L. Lat. sed damnat Burm. Si vero quis, addit, cum Sant. *raram av.* pulchram exponere malit, ne *varia* et *plumæ versicol. avis* pleonasmus appareat, non refragabor.'—33 *Hisdem bl.* Bon.—35 'In scriptis fere est *Atque inuli p.* Quæ vox nihili multos decepit literis primulum renascentibus.' *Broukh.* '*Atque humilis* Vat. Palat. 1. Scaliger delevit *Atque*, et legit *Hinulei*, recte.' *Barth.* 'In Regg. et uno Colb. *Atque hinyli* vel *hynuli*, ut in pr. edd. *Atque hinuli* Leidd. [Guarn.] Voss. 1. 3. Dorv. 2. et meus. *Hinuli* vel *hinnuli* in aliis. *Atque hinnulis* Ask. *Atque humili* in [Dresd.] Neap. Borr. Colb. 2. Dorv. 1. et meo 1. *Atque humilis* Voss. 4. C. Com. Heinsian. Groning. et in aliis ap. L. Lat. *Atque inuli* affert Nestor in Vocab. p. 95. et p. 143. b. *Hinnulei* veram esse scripturam notat J. Rhodius ad Scribon. Larg. p. 44. Patruo tamen meo hic legend. videbatur *At vituli pellis.* Pro *totos* Heins. *positos* conjecerat: quod blandiri posset. Sed *totos amantes* f. dixerit Prop. ut II. 15. 28. 'Masculus et totum fœmina conjugium:' et singulari usu sæpius a Nostro hanc vocem adhiberi, sed ab aliis non raro mutatam, multis exemplis probat Hemst. ad II. 16. 49.' *Burm.* 'Egregie Scaliger *Hinulei* vel potius *Hinnul.*' Lachm. *Hinul.* dant B. B. B.—36 *Multaque* Vat. 5. Legebat Heins. *nativos præbuit h. toros.* Vulg. tuetur Burm.—37 *Lætas* et *letas* Dresd. Palat. membr. *Occurrens lentus* Voss. 4. *Lentas* Palat. cod. Bon. Perr. v. c. Mentel. Borr. Groning. Neap. Vat. 1. 2. Voss. Burmm. et ed. Volsci. *Lenta umbra* Dorv. 2. *Lætas* Regg. Colbertt. Puccii cod. Venet. 2. Vicent. Rheg. et sic Dousa P. et Guy. *Læta umbra* Heins. Advers. p. 89. Sed *lætas* Ber. Aldd. Junt. Colin. Gryph. aliæque, ut etiam in ed. Græv. correxerat Markland. 'Et hoc,' ait Burm. 'optime tuetur Broukh.' Sed Broukh. tuetur *latas*, et ita edidit ipse Burm. cum B. B. '*Latas* recte Beroaldus.' *Lachm.* *Undas* Borr. quod damnat Burm.—38 'Argute Lips. II. Ant. Lect. 10. *Et f. n. pæne*, nec tamen vere.' *Broukh.* 'Suadet Lipsius, sed non persuadet.' *Barth.* 'Lipsio recte non applaudit Broukh. quanquam non rejiciat Dousa P.' *Burm.*

NOTÆ

33 *Per antra puellæ*] Illæ nimirum agrestes aurei sæculi, non auro, non gemmis, non purpura, sed pomis suos vendebant amores.

38 *Nec fuerat nudas pœna videre Deas*] Alludit ad fabulam Actæonis, cui pœna fuit irrogata, quod Dianam nudam conspexisset. Vide Ovid. Metam. III.

Corniger Idæi vacuam pastoris in aulam
Dux aries saturas ipse reduxit oves:
Dique Deæque omnes, quibus est tutela per agros,
Præbebant vestris verba secunda focis.

sponte sua pastas oves reducebat in vacuatum opilionis Idæi stabulum. Divi Divæque omnes, in quorum fide sunt rura, amicas voces aris vestris præsentes *reddebant.*

—39 ' Hanc restitutionem Volsco deberi, eumque hac laude minime fraudandum esse notavit Broukhusius ; [et post eum Barth.] in codicibus enim antea legebatur nullo sensu *Corniger atque Dei. Cornigerique Dei* in altero Dorvill. Corruptissime in Ask. *congrunger atque Dei. Cornigeri atque Dei* Palmerius. Quia vero in primis ante Volscum edd. Venet. 2. Vicent. et Rheg. *Corniger atque Dei* fuerit impressum, et primus Volscus in ed. Venet. 1488. qua utor, correxerit *Corniger Idæi*, atque in Notis *Idæum pastorem* explicuerit de Paride in Ida monte cum Œnone sub arboris umbra jacente, dum aries gregem ad stabulum reducebat; in Beroaldi autem Veneta 1487. *Corniger atque Idæ*, et in altera ejusdem Venet. 1520. *Corniger Idæi* legatur, dubium f. lectorem id facere possit, an primus Beroaldus *Corniger atque Idæ* excogitaverit, quia sic edidit in Venet. 1487. et deinde in altera an. 1520. ex Volsco habeatur *Corniger Idæi*. Sed quia in Notis suis Beroaldus nullam mutationis, ut solet, reddiderit rationem, aliam Volsci editionem, illam Venetam an. 1488. forte antecessisse suspicor, ac proinde Volsco integram huj. emendationis adoream relinquendam esse arbitror. Eo enim Beroaldum tempore posteriorem fuisse ex M. Antonio Sabellico notat Broukhusius ad IV. El. 6. init. Hinc in reliquas edd. veteres, Aldi utramque, Junt. Colin. Rouill. Gryph. ceterasque derivatum fuit *Corniger Idæi*. Non opus itaque est cum Heinsio [Advers. p. 90.] conjicere *Corniger atque sui*.' Id. '*Corniger Idæi* a Volsco est, qui plura nomina propria in hoc Auctore primus restituit; hic tamen minus felix. Repone *Corn. inque dies*.' Lachm.—40 Pro *ipse* Heins. conjecerat *sponte*. Vulg. tuetur Burm.—42 ' Noster 2. Regg. Colbertt. *benigna*: quod videtur glossema marginale τοῦ *secunda*. Nimis argutatur Palm. cum suis *tescis focis*: neque hilo melius Passeratius, qui *vescis focis* malit, aut denique *vestris jocis*. Nihil est mutand.' *Broukh.* *P. versis v. s. f.* legunt B. B. B. De Palm. et Passeratii emendd. id. dicit Barth. '*Verrere focum* ad religionem pertinuisse ostendit Broukh. *Vestris* Bon. Dresd. Quam apostrophen sequens firmat versus. *Vestris* . . *benigna* Brix. Venet. Aldd.' *Barth.* '*Versis focis* e Scaligero edidit Broukhusius, et *verrere focum* ad religionem pertinere dicit: sed, quia hoc nonnihil dubii facit an *versis* a 'verrendo' vel 'vertendo' sit, eo sensu *tersis* quoque legi posset. Certe Palmerii *tescis focis*, vel Passeratii *vescis focis*, vel *vestris jocis* merito rejicit, ut fecerat Gebhardus. *Ustis* Guyetus. In omnibus fere membranis et edd. antiquis antea legebatur *vestris focis*, ut agrestes alloquatur. *Nostris* in Heinsiano et Borr. Dein Scaliger ex suo cod. *verba secunda*, in cujus tamen Excerptis pro varia lectione *serena*. *Vestris verba benigna focis* in Regiis, Colbertt. Leidd.

NOTÆ

39 *Corniger Idæi pastoris*] Idæus pastor dicitur Paris, qui in Ida monte juxta Trojam a pastoribus nutritus est, et ipse greges pavit. Unde et Horat. Od. I. 15. ' Pastor cum traheret per freta navibus Idæis Helenam perfidus hospitam.'

41 *Quibus est tutela per agros*] Qui scilicet agros agrestesque tuentur.

42 *Præbebant verba secunda focis*] Olim se conspiciendos non modo præsentes ostendebant Dii, sed etiam mortales suo clementer dignabantur alloquio.

Et leporem, quicumque venis, venaberis, hospes;
  Et si forte meo tramite quæris avem:
Et me Pana tibi comitem de rupe vocato,
  Sive petas calamo præmia, sive cane.
At nunc desertis cessant sacraria lucis:
  Aurum omnes, victa jam pietate, colunt.

Tu *vero, o advena, quisquis es, qui leporem venaberis, et si forsan in mea semita inquiris alitem: et me Pana de monte tibi socium invita, seu prædam calamo captes, seu canibus. Sed modo desertis lucis vacua sunt jacentque sacella. Fugata nunc pulsaque religione, omnes aurum pro Deo habent. Auro fugata*

tribus Voss. utroque Dorvill. meis, et priscis edd. Marklandus conjecerat *vela benigna:* sed quod dein rejecit, et hic *vota secunda* potius legendum credebat. Neque male Heinsius ad Prop. p. 728. legebat *Se dederant festis turba benigna focis.*' Burm. Ast. legit *visi v. s. f.* Jacobs. in Ep. ad Ast. *Parebant festis, turba benigna, f. Vestris* jubet scribi Lachm. et defendit.—43—46 '*Et leporem, quicumque venis, venaberis, hospes;* ita interpunxi: in omnibus antea edd. prava distinctione, *Et leporem quicumque venis venaberis,* laborabat: unde *venis venaberis* offendebat Heinsium, ideoque conjiciebat *quicumque venis venarier,* infinitivo ap. Nostrum non insolito. Sed sensum ei redditum puto, ita ut distinxi. Corrupte in codd. *veneraberis. Quicumque veneraberis,* omisso *venis,* in Leid. 1. Altero versu *si* deerat Menteliano. *Et qui* correxerat Heinsius, invito, ni fallor, Propertio. *Ovem* male in Vat. 5. Dein *parva* pro *Pana* corrupte in Mentel. Harl. Voss. 3. et *sive petes* in Neap. Groning. Leidd. tribus Voss. utroque Dorv. et meis codd. ac primis edd. *Potes* Borr. et Ask. in quo etiam *canes.* Heinsius tentaverat *Et tibi Pana Deum comitem per rura vocato:* vel *comitem me jure vocato:* a qua conjectura abstinuisset, ut puto, si ante oculos habuisset duo Epigrammata Græca, quæ antea inedita, neque in Anthologiæ Græcæ Volumine extantia, primus produxit Salmasius ad Solin. T. II. p. 1088. ed. Paris. Mihi incidit suspicio, hos quatuor vss. aliunde divulsos aberrasse, et transponendos esse Lib. IV. El. 2. de Vertumno, ubi commodius inseri possunt post vs. 24. Tota certe ῥῆσις de hac venatione tam absurdum hic invasit locum, ut pannum male consutum referat, sed Vertumno illic optime conveniat. Sed hæc nemini Interpretum, et ne ipsi quidem Scaligero, qui tot versus in Poëta nostro confusos et male aberrantes transposuit, animadversa fuisse miror: nisi quod post vs. 42. aliquid deesse suspicatus sit Heinsius.' *Burm.* 'Hos vss. cum antecedentibus non satis cohærere recte animadvertit Burm. neque tamen eum l. iis assigno, quo eos Burm. collocandos censuit; immo potius h. l. versus nonnullos excidisse mihi cum Heins. persuasissimum est.' *Kuin. Petis* malit Bronkh. *Petas* dant Vulp. Gött. B. B. B. '*Petes* Palatt. cum aliis innumeris: et hoc Leonidas Tarentinus confirmat, Epig. 17.' *Lachm.*—48 *Vincta*

NOTÆ

45 *Pana*] Deus pastorum non modo, sed agrorum etiam ac sylvarum custos, Pan se comitem in venatione et aucupio vocantibus præbere non dedignabatur.

47 *Cessant sacraria*] 'Sacrarium,' inquit Isidorus, 'est locus, ubi sacra reponuntur.' Fanum igitur est, seu sacellum, seu templum, in quo veteres Deos suos venerabantur. 'Cessant' autem sacraria seu templa, quando vacua sunt cultoribus Deorum, ita ut ea solum occupent araneæ: ut II. 6. dixit Poëta: 'Sed non immerito velavit aranea fanum, Et mala desertos occupat herba Deos.'

Auro pulsa fides; auro venalia jura;
Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.
Torrida sacrilegum testantur limina Brennum,
Dum petit intonsi Pythia regna Dei.

est *fides; auro jus venditur, auro lex obsequitur, et absque lege* est *pudicitia. Exusti* Gallorum *oculi Brennum arguunt impium, dum Pythia regna Divi intonsi*

ex suis codd. affert Oct. Mirand. in Virid. Poët. fol. 184. b. quod in nullis suorum invenit Burm. '*Aurea nunc vere sunt secula, plurimus auro Venit honos: auro conciliatur amor*] Nasonis est totum hoc distichon ex II. A. A. quod studiosus aliquis tanquam locum parallelum alleverat margini cod. sui. Testis noster 2. in quo legitur, sed ante versum 'At nunc desertis,' ut appareat esse insititium. A cett. omn. abest, neque comparet *thiam* [Hoc *thiam* f. esse debebat 'etiam,' (ut verba Broukhusii sint, 'neque comparet *etiam* in edd.' &c.) ait Barth. qui addit: '*Cthiam* sic impressum est literis cursivis, uti vocant, ut utrinque spatium relictum habeat.' Et se non dubitare 'etiam' esse verbum verum monet Burmannus:] in edd. priscis, si excipias Aldinam; unde quasi tradux irrepsit in recentiores tantum non omnes.' *Broukh.* 'Post h. vs. inseritur distichon adulterinum in Mentel. [Dresd.] aliisque, et irrepsit in Aldd. Junt. Colin. Gryph. Wechel. aliasque. Sed absunt hi vss. a Regg. Colbertt. Neap. Vat. 1. 2. Borr. Groning. codd. Livineii, et Vicent. Venet. 2. Rheg. [Brix. Venet. ap. Barth.] Volsci, Ber. Mur. Rouill. Canteri, et Douss. Auctorem habent Ovidium, ut notavit etiam Menagius ad Amintam Tassi p. 258.' *Burm.* —49 *Rura* Leid. 1. et Voss.—50 *Mos* Burm. 2. sed *mox* in marg.—51 *Horrida* codex Frut. Borr. Burm. 1. *Testatur lumina rhenum* ap. Oct. Mirand. in Virid. Poët. fol. 181. b. *Culmina* Heins. ad oram ed. Ald. sed ex scriptis *limina* præfert N. Prop. p. 728. ut legisse Petrei. Tiaram notaverat Dousa: et *culmina* vel *limina* tuetur Burm. P. in Diss. de Jove Fulg. p. 342. Markl. etiam *limina* correxerat. Ita Neap. Borr. Guarn. Groning. aliique. *Testatur lumina* pr. edd. '*Lumina* etiam [Dresd.] Dorv. 1. Burm. 2. idque probat Passeratius; nam *Torrida lumina* interpretatur, exustas genas. Sed, sive *Horrida* admittamus, vel *Torrida*, legend. potius videtur *fulmina*.' Burm. Kuinoelis lect. dant B. B. B. L. *Lumina* etiam in edd. Colin. Mur. Vulp. —52 '*Templa* vel *tigna* Heins. *Phitia* meus 1. ut reliqua etiam corrupte in Mss. habentur. Omnes tamen *Pythia* tuentur, neque mutare ausim, licet *ditia* legend. censeat Schrader. Emend. cap. 8. p. 157.' *Burm.*—53 'Omnino

NOTÆ

51 *Sacrilegum Brennum*] Tangit historiam Gallorum, qui, duce Brenno, opulentissimæ prædæ cupiditate ducti templum Apollinis Delphici dicuntur invasisse; quam impietatem non ferens Apollo, concusso Parnassi vertice, abruptaque terræ motu montis portione, Gallorum exercitum oppressisse narratur. Dicere tamen hic videtur Propertius, quod et alii non pauci, Gallos nimirum fulminibus a proposito fuisse dejectos.

52 *Intonsi Pythia regna Dei*] 'Pythia regna' vocat Delphos, ubi colebatur regnabatque Apollo, qui dicitur Pythius a Pythone serpente quem occidit: unde et Delphi etiam Pytho dicebatur. Intonsus etiam dicitur Apollo, quia semper juvenis; unde et Horat. Od. I. 21. 'Intonsum, pueri, dicite Cynthium.'

At mons laurigero concussus vertice diras
  Gallica Parnassus sparsit in ora nives.
Te scelus accepto Thracis Polymestoris auro
  Nutrit in hospitio non, Polydore, pio.
Tu quoque ut auratos gereres, Eriphyla, lacertos,
  Dilapsis nusquam est Amphiaraus equis.

invadit. *Sed mons excusso cacumine laurifero Parnasi nives* gelu *duratas effudit in Gallos milites.* O *Polydore, crimen Polymestoris Thracis, accepto auro, impio te excepit hospitio.* *Tu etiam*, o *Eriphyle, ut haberes auro ornata brachia, Amphiaraus* terræ hiatu *absumtis equis interiit.* *Aperte*, quod sentio, *dicam, et velim*

recipiend. *diras*, quod in Groning. Borr. Mem. C. Com. et nostris.' *Broukh.* '*Duras* edd. vett. Brix. Venet. Aldd. cett. cum Dresd. et al. *Duræ nives* f. *χάλαζαν* signif. quam Schol. Callim. habet.' *Barth.* '*Diras* recte tuetur Broukh. quod firmant Perr. v. c. Borr. Mentel. Neap. Groning. [Bon.] Harl. et alii: licet editor Elect. Minor. Eton. p. 124. per *duras* intelligi posse notet grandinem et nivem concretam: et sic Markl. *Aut* Regg. Colbertt. Voss. 1. et priscæ edd. *Mox* in meo 2. *Aurigero* Neap. Borr. [Bon. Guarn. Dresd. Palat. C. Com.] Mentel. Heinsian. Voss. 1. 4. Dorvv. et unus Colb.' *Burm.* —54 'In Groning. Borr. Mem. C. Com. et nostris *Parnasus*, non *Parnasi*: quod tamen eod. redit. In Groning. *ora*, id quod minime insuper est habend.' *Broukh.* '*Callida* Brix. *Parnasus* Bon. *Ora* recep. Vulp. Gött.' *Barth.* 'In uno Colb. *Callida Parnasi*: ut est ap. Oct. Mirand. in Virid. Poët. fol. 184. Rheg. et Volsci: quod inde venit, quia in aliis *Callica* scriptum fuit, ut excusum est in Venet. 2. *Parnasus* Neap. Vat. 5. Mentel. Heinsian. *Parnasi* Dorv. 1. *Parnassi* meus 2. Mox *arma* in Leidd. tribus Voss. Ask. Dorvv. meo 2. et ap. Oct. Mirand. sed *ora* præfert Broukh. probante Elect. Eton. editore; quamvis dissentiente Marklando. *Arva* male in Borr.' *Burm.* *Ora* recte Broukh. præferre judicat Kuin. cujus lect. totius vs. dant B. B. B. L.—55 'Plerique libb. *Polymest.* scribunt. In Heinsii Nota in Ov. XIII. M. 430. hic l. recte emendatur: quod et Volscus fecerat ex codd. vetustis. Iis nunc accedunt nostri.' *Broukh.* '*Polymn.* vulgg. *Polymest.* Vat. Posth. Dresd. [Hoc dant B. B. B. L.] *Te* Volsc. e codd. sensu ita postulante.' *Barth.* *Et* in omn. fere codd. et edd. vetustis. *E* in Palat. cod. unde Gebh. *He* vel *Hei.* 'Libb. omn. *Et.* *Te* tamen, quod verum est, Pucc. annotat, f. ex Vall.' *Lachm.* 'Rectam scripturam *Te* servat Ferrarii liber, et restituerat Pucc. sine dubio ex Vall.' *Addend. ad fin. ed. Burm. ad* IV. 11. 39. *Te* dant B. B. B. L.—56 *Nutris* Venet.

NOTÆ

53 *Laurigero vertice*] Lauriger dicitur Parnassus, quia in Parnasso laurus copiosissima nascitur.

55 *Scelus Thracis Polymestoris*] Rex fuit Thracum Polymestor, cui initio belli Trojani Priamus, incertum communis Martis exitum metuens, cum magno auri pondere Polydorum filium tradidit educandum, tanquam veteri amico, hospiti, generoque suo. Sed Polymestor, deleta Troja, ceterisque fere omnibus Priami liberis interfectis, auri potiundi cupiditate adductus Polydorum in littore deambulantem telis aggressus, Deorum hominumque frustra fidem opemque implorantem, occidit, tumuloque injecit, cui postea myrtus increvit sanguineis guttis promanans. Unde non immerito dicitur Polymestor scelestus. Eandem omnino historiam retulit Virg. Æn. III. ac etiam Ovid. Metam. XII.

57 *Eriphyla*] Diximus jam supra quomodo Eriphyle, Amphiarai uxor,

Proloquar, atque utinam patriæ sim vanus haruspex!
Frangitur ipsa suis Roma superba bonis.
Certa loquor; sed nulla fides; neque enim Ilia quondam
Verax Pergameis mænas habenda malis.

ut *patriæ* meæ *sim mendax augur*. *Ipsa Roma* nimiis *suis opibus insolens ac ferox corrumpitur*. *Vera dico; verum non mihi creditur: nec etiam Ilia veridica* fuit

ap. Barth. Conj. Heins. Advers. p. 90. *Nutrite h.* sed se nihil mutare monet Burm. *Mitis in h. n. P. tuo* Ask.—58 *Dilapsus* Leidd. Voss. 4. Dorv. 2. Burmannianus.—59 '*Vanus* meliores libb. neque audiendi qui *verus* reponunt.' *Broukh.* '*Verus* vett. codd. nonnulli, etiam Dresd. et edd. fere omnes. *Verus* cui creditur, cum Cassandræ non fuisset creditum. Nam sic etiam Roma posset a sua pernicie revocari. *Vanus* tamen præferunt Mentel. et Heinsii libb. quod Vulpio et Gött. placuit.' *Barth.* *Verus* unus Reg. In altero *sis verus*. In Colbertt. etiam *verus*, sed in alterius margine ascriptum pro varia lect. *falsus*. *Verus* etiam Borr. Groning. Voss. 1. 4. Dorv. 1. Burm. 2. et sic ap. Oct. Mirand. in Virid. Poët. fol. 184. et in prr. easque secutis edd. vetustis: sed contra mentem Poëtæ, judice Burm. *Vanus* Perr. v. c. Colot. Vat. 1. 2. 5. ut ex suo cod. legend. monet Heins. N. Prop. p. 728. et anteponit Livineius. Neque aliter legisse Sannazarium colligit Burmannus ex ejus imitatione, II. 9. 26. '*Verus* critici non debuerunt improbare: sed et alterum bene habet.' *Lachm.*—61 *Loquar* Heinsian. '*Neque enim I.* edd. vulg. sed, quia aberat a Franc. 2. Broukhusius ejecit, prob. Vulp. Gött.' *Barth.* qui et *enim* ejecit ex textu. 'Plurimorum codd. auctoritate edidi *neque enim Ilia*, licet Broukhusius *enim* ejecerit, hiatu admisso, probante Cuninghamio, Anim. in Horat. Bentl. p. 192. Clare enim in Voss. 1. 4. aliisque *neque enim Ilia:* quibus astipulantur membranæ, in quibus *neque N. Ilia*, ut in Ask. et meo 2. vel *neque n. Ilia*, h. e. *enim*, ut in Leid. 2. Voss. 3. et meo 1. *Nec n. Ilia* in Dorv. 2. *Enim* vero hac nota *n* in scriptis plerumque exemplaribus exarari, unde sæpe tamen vitiosæ irrepserunt scripturæ, monet Bentl. ad Horat. II. S. 3. 132.' *Burm.* 'Paucis annis post Bentl. hiatum in brevi syllaba poëtas Romanos nunquam admisisse docuit ad Horat. C. III. 14. 11. Schraderi commentum, [Emend. p. 159.] *nec credita q.* nimis quidem temerarium neque a veri similitudine commendabile. Hoc ego, si in scriptis legeretur, non ma-

NOTÆ

maritum prodiderit in bellum Thebanum ire detrectantem, accepto monili pretioso, quod illi dono dedit Argia Polynicis uxor.

58 *Amphiaraus*] Eriphyles conjux, qui ab uxore proditus cum ad bellum Thebanum proficisci fuisset compulsus, hiatu terræ dehiscentis absumtus est cum quadrigis, ac nusquam postea visus est.

59 *Utinam sim vanus haruspex*] Ne patriæ suæ male videatur ominari, cupit argui mendacii, nec vera dicere.

61 *Ilia quondam*] Licet, inquit, vera dicam, mihi non creditur; quemadmodum nec olim Cassandræ Trojanæ vera nuntianti creditum est. Cassandra igitur dicitur 'Ilia mænas' ab Ilio, h. e. Trojana, et 'vates Pergamea,' a Pergamo seu Pergamis. Troja namque dicta est Ilium et Pergama. Cassandra autem vaticinata est fore Paridem Trojæ ruinam ac excidium, equumque illum Trojanum patriæ suæ esse funestum ac exitiosum; et tamen tanquam furens mænas a Trojanis habita est, nemoque illi fidem adhibuit, licet vera prædiceret.

Sola Parin Phrygiæ fatum componere, sola
  Fallacem patriæ serpere dixit equum.
Ille furor patriæ fuit utilis, ille parenti.
  Experta est veros irrita lingua Deos.

existimata Pergameis ruinis. Illa tamen *una prædixit Paridem Phrygiæ exitium machinari, equum*que *funestum patriæ illabi. Iste furor* Cassandræ *patriæ patrique erat utilis; lingua*que *frustra vaticinata veraces Deos experta est.*

gis quam Broukhusianum, probarem.' *Lachm.* Hanc emend. rejicit et Burm. —62 'Legend. *Phœbas;* quod jam monuit Passeratius.' *Broukh.* '*Menas* Brix. Ald. 1. cett. *Man.* Colin. Ald. 2. Mur. *Phebas* Venet. *Phœbas* tuetur Broukh. Tamen Cassandra etiam 'Mænas' dicitur Senecæ Agam. 719.' *Barth.* '*Phœbas*, præeunte Passeratio, cujus vetus liber habebat *Phœbus*, edidit Broukh. licet *Mænas* in omnibus sit codd. et edd. vetustis, quod ideo revocavi in textum; et ita profert Guell. ad Virg. II. Æn. 246.' *Burm.* 'Burm. iis se jure opposuit, qui *Phœbada* substituerant.' *Lachm.*—63 *Factum* Borr. Voss. 4. Dorv. 1. *Phrygium factum* Leid. et Voss. 1. *Dum ponere* vel *cum p.* Heins.—64 *Pergere* vult Wakker. Amœn. Lit. p. 100. '*Sepe reduxit* Ask. in quo ne quid latere videatur, sciendum est, simili scripturæ errore ita exaratum fuisse a librario, qui II. 26. 6. *terga revexit*, pro *tergore vexit*, ut sæpe alibi etiam peccatum est. Heinsius conjecerat *surgere* vel *irrepere*. Cogitaveram aliquando *scandere:* sed nihil potius tentandum.' *Burm.* —65 '*Utilis? ille parenti?* distinguit Anglus, improb. Dorvillio, Misc. Obs. Vol. II. p. 113. *Fuit* ponitur pro, erat vel fuisset. Furor fuisset utilis, si uti scissent Trojani.' *Barth.* Et sic fere Passeratius.—66 'Melius, opinor, *seros.*' Broukh. '*Veros* omn. libb. bene. *Seros* malebat Heins. prob. Broukh. quem ideo notat Wakker. l. c. p. 101.' *Barth.* '*Seros* edidit Broukh. ex conject. Quod Heinsio placebat, et præterea *Sed spreta est.* *Veros* tamen tuentur omnium ap. me codd. excerpta et edd. priscæ ac Volsci, in quibus *est* deficit, ut in Vat. 5. sed in Aldd. ceterisque *Experta est veros:* itaque recepi.' *Burm.* *Seros* improbatur in Obs. Misc. Vol. II. p. 113.

NOTÆ

65 *Ille furor utilis*] Salutaris fuisset patriæ patrique Cassandræ vaticinatio, si ipsi creditum fuisset.

66 *Irrita lingua*] Dicitur, quæ frustra vaticinatur. 'Experta est' autem 'veros Deos,' vel quia veram suam vaticinationem experta malo suo est Cassandra, quia capta, abducta, et necata est, vel quia cum suum Apollini concubitum ea mercede pollicita fuisset, ut vaticinandi peritia sibi daretur, votique compos, cum non staret promissis, indignatus Deus ei prædixit neminem ipsius vaticiniis fidem habiturum.

ELEGIA XIV.

AD SPARTEN, DE LUDIS LACONICIS.

Multa tuæ, Sparte, miramur jura palæstræ,
Sed mage virginei tot bona gymnasii:

O *Sparta, plurimum admiramur lucta tuæ leges*, longe *vero plus tot commoda*

Ad Spartanorum urbem Dresd. 'Inepte in nonnullis codd. ut in Regg. Colb. meo 2. Rheg. et Volsci edd. *Ad Spartum* vel *Ad Sparthum*, ut in Vat. 2. et Borr. inscribitur hæc El. Melius in Aldd. Junt. Colin. Gryph. aliisque *Ad Sparten de ludis Laconicis*. *De consuetudine Spartanorum* titulus est in meo 1.' *Burm.*—1 'Gebh. ita nobis hunc vs. interpolavit: *M. egomet Spartes intrarem jura p.* *Jura* exponunt, leges, morem, ritum palæstræ, non nimis incommode: quanquam legend. videtur *jure*.' Broukh. '*Ulta* scripti quidam, teste Heins. qui hinc conjicit *Uncta*, frustra. Omittebantur literæ initiales, uti notum, ab aliis appingendæ. *Multi, Sparta, tuæ m.* C. Com. *Multa me Sparte intramus* cod. Palat. *Tuæ* . . *mirantur* Palat. membr. *Jure* emend. Broukh. cum Heins. N. Prop. p. 669. sed partim 'bona' seq. vs. partim versus penult. huj. El. huic adversantur emendationi.' *Barth.* '*Ulta* Mentel. Voss. unde Heins. *Uncta:* sed *M* omissa fuit, postea appingenda. *Sæpe tuæ* Heinsian. *Spartæ* Voss. 1. Dorvv. *Mirabar* Leid. 2. Ask. Dorv. 2. *Miratæ* Neap. *Mirantur* Regg. Colbertt. et pr. edd. Assentiri non possum Broukhusio, qui edidit *jure*. *Jura* omn. codd. et vetustæ edd. neque aliter affert Cæl. Rhodiginus XVIII. Lect. Ant. 1. A Broukh.

NOTÆ

1 *Multa tuæ, Sparte, &c.*] Hanc inscribit Propertius Elegiam Spartæ, civitati Peloponnesi nobilissimæ, quæ et Lacedæmon dicta est; Romanamque criminatur consuetudinem qua puellæ nonnisi magna custodum turba stipatæ prodibant in publicum, adeo ut ad eas amatoribus non daretur accessus: Laconicam vero, seu Spartanam, celebrat palæstram, qua puellæ nudæ cum viris nudis colluctabantur, ex Lycurgi lege, qui corpora virginum cursibus, luctis, ac reliquis id genus exercitationibus cum maribus, citra infamiam ac probrum, cum una utrisque esset natura, voluit exerceri. Sparte vocativus est, pro Sparta; nomina namque Græca in *a* sæpius etiam efferuntur in *e*.

Palæstræ] Testatur Thucydides primos omnium Lacedæmonios in gymnasio corpora nudasse, oleoque ad palæstram perunxisse.

2 *Bona gymnasii*] Gymnasia apud antiquos fuerant exercitiorum loca, multo ante inventa, ut ait Cicero, quam in iis Philosophi garrire cœperunt. Hoc autem in loco gymnasium est locus in quo nudæ puellæ Laconicæ, seu Spartanæ, exercebantur. Unde et Ovidius Epist. Paridis ad Helenam: 'More tuæ gentis nitida dum nuda palæstra Ludis, et es nudis mixta puella viris.' Cum autem illam Lycurgi legem aliquando improbaret aliquis; respondit Lycurgus, se noluisse fœminas viris inferiores.

Quod non infames exercet corpore ludos
  Inter luctantes nuda puella viros;
Cum pila veloci fallit per brachia jactu,
  Increpat et versi clavis adunca trochi;
Pulverulentaque ad extremas stat fœmina metas,
  Et patitur duro vulnera pancratio;

tnæ *palæstræ puellaris, qua puellæ nudatæ luctam exercent cum maribus colluctantibus; quando pila celeri lapsu effugit manus, ac clavis incurva trochi voluti crepitat, et puella pulvere sordida ad ultimas consistit metas, plagasque perpetitur*

etiam dissentiebat Markl.' *Burm.*—3 'Aurato debetur hæc tam pulchra restitutio τοῦ *laudes*, prodente Gul. Cantero II. Nov. Lect. 14. Ita et Columna citavit ad Ennium p. 301. Quæ tamen nullo modo placeré potuit Titio, veterem lect. insano molimine defendenti IV. Loc. Contr. 1. Neque is ipse resipiscere etiam voluit in Assertionibus, quamvis jam meliora edoctus ab Yvone Villiomaro. Hunc cæcum ducem secutus est non ita pridem Balthasar Bonifacius VI. Hist. Ludicr. 28.' *Broukh.* '*Laudes* pro *ludos* est in libb. script. et edd. ant. vitio infimi sæculi.' *Barth.* '*Ludos* bene in sua ed. expressit Scaliger. Titio, neque a Scaligero sub Yv. Villiomari nomine meliora edocto, etiam objecit Schoppius I. Verisim. 14. locutionem 'exercere laudes' nunquam probari posse, Latinam esse. Quia vero *laudes* male in edd. vetustis legebatur, hinc eod. modo locum h. etiam afferunt plurimi, qui de agonibus gymnasticis scripserunt, præter Hier. Mercurialem I. de Arte Gymnast. 7. ap. quem *ex. c. ludos*, sive ex Ms. sive ex sua emend.' *Burm.* '*Laudes* vetus lect. quam male tuetur Titius IV. Locor. Controv. 1. Immo vero Villiomarus legit *ludos*, non bene. Optima enim vetus lectio; nam luctam non esse infamem laudem quis non intelligit?' *Demster.* III. *de Etrur. Reg.* cap. 74. p. 241. '*Ludos* optime Aur.' *Lachm.*—5 '*Velocis* vel *veloceis jactus* libb. script. et cusi. *Veloci jactu* est e Scalig. emend. Broukh. Vulp. et Gött. prob. Sed, si *velocis jactus* secundo casu accipias, id. sensus erit.' *Barth.* '*Non pila* Heinsian. *Velocis jactus* omn. codd. Excerpta, et edd. vetustæ, nisi quod *veloces* in Leid. 2. Voss. 3. Ask. Legebat Guy. *Nec p. veloci f. cum b. jactu Incr. aut v. &c. Adversi* Ask. et meus 1. *Veloci jactu* Scalig. *Velocis jactus* præfert Passerat.' *Burm.* Et hanc lect. magis planam esse ac veram pronuntiat Lachm.—7 'Ber. *dat.* Sed nihil mutand.' *Broukh.* '*Sat* Dorv. 1. *Dat* Ber. male.' *Burm.*—8 'Heins. conjecerat *crudo:* sed non opus est, et vulg. probasse etiam videtur Grotius IV. Anthol. Gr. p. 435. In Regg. Venet. 2. et Rheg. *Pancrato:* quod quidem in Aldinis aliisque subsecutis edd. correctum, sed litera majori *Pancratio* excusum, tanquam viri nomen proprium esset; idque fraudi fuit Perreio, qui margini Aldinæ ed. ascripserat pro lemmate *Pancratius:* ridiculo satis errore; cui similes commiserunt sæpe alii vitiosis illius ætatis edd. decepti.' *Id.*—9 'In nostro 1.

NOTÆ

7 *Pulverulentaque*] Cursum significat. Diceret vero Horat. 'Non indecoro pulvere sordida.'

8 *Pancratio*] Pancration seu pancratium certaminis genus est quo totis corporis viribus certatur. Nonnulli volunt esse Pentathlon, quod Festus vocat Quinquertium, quia nimirum quinque modis certabatur, cæstu, cursu, saltu, disco, lucta.

Nunc ligat ad cæstum gaudentia brachia loris;
  Missile nunc disci pondus in orbe rotat;
Gyrum pulsat equis; niveum latus ense revincit,
  Virgineumque cavo protegit ære caput;
Et modo Taygeti, crines aspersa pruina,
  Sectatur patrios per juga longa canes:

duro Pancratio; modo loris ad cæstum innectit lætas manus, modo in sublime torquet onus disci vibrati: in orbem equos impellit, formoso lateri ensem accommodat, ac puellarem verticem ænea galea munit: nunc etiam Taygeti pruina capillos perfusa canes patrios sequitur per celsa montium cacumina; cu-

et Borr. *pendentia*, nec vere nec verosimiliter.' *Broukh.* 'Inde *splendentia* elicere liceret. *Flaventia* conjecerat Dorvill. Propius ad vulg. accederet *candentia*, ut in marg. cod. mei dudum conjeceram, antequam viderem sic etiam emendasse Gruterum x. Susp. 7. in Miscell. Nov. Lips. Vol. III. P. 3. p. 496. *Gaud.* tamen suos quoque codd. et vetustas habent edd. quibus se tueantur. Ad Val. Fl. I. 109. Broukhusium vindicasse *gaud.* probavit Patruus meus: idque etiam defendit Struchtmeyer. in Animadv. Crit. p. 101. *Cæstum* in contextu dedi, quia hanc vocem cum diphthongo scribend. indicat Servius ad Virg. v. Æn. 69.' *Burm.* *Gaud.* dant B. B. B. L. *Cestum* dat Broukh.—11 'Inusitatum loquendi genus esse merito notavit Passeratius, et *Gyro pulsat equos* conjecit: sed rectius se habet L. Lat. varians lectio, *Circum pulsat equis*, atque ita Schrader. Emend. cap. 8. p. 159. legend. conjicit. *Revinxit* male Mentel.' *Burm.* *Circum* probat etiam Heyn. ad Tibull. IV. 1. 94. Vulg. defendit Lachm.—12 'Livin. e Vaticano *prætegit*, quod recipiend. arbitror.' *Broukh.* '*Prot.* vulgg. edd. *Præt.* recep. Broukh. Vulp. Gött. *Ore* Douss. *Ære* in cett. omn. *Æs* pro galea.' *Barth.* '*Prot.* omn. codd. nisi quod *præt.* etiam in Voss. 4. Veterem scripturam repudiand. non arbitror. Pro *ære* nescio unde in Douss. irrepserit *ore*, nisi typi vitium sit.' *Burm.* *Prot.* rectum esse pronuntiant Lachm. Kuin. *Præt.* dant B. B. B.—13 'In ed. Græv. hic [loquitur nempe ad eum versum 'Qualis Amaz.' &c.] legitur distichon 'Et modo Tayg.' &c. Qui ordo et in Douss. adhibitus videtur, quantum ex Heins. N. Prop. colligere licet.' *Barth.* 'Hoc distichon ['Et modo Tayg.' &c.] sequenti postponitur in plerisque codd. et edd. pr. ceterisque ante Scal. Sed præcedere debere in suæ ed. margine monuit Canter. Certe Taygeti mentio ad Spartanas puellas earumque venatum spectat, non ad Amazonas.' *Burm.* 'Hæc disticha critici omnes contra codd. fidem ponunt.' *Lachm.* qui defendit eum ordinem quo cum Barthio ea locat, eumque rejicit quem admittunt Broukh.

NOTÆ

9 *Nunc ligat ad cæstum*] Cæstus significat pugilum arma, quæ ex loris plumbo insuto ac ferro conficiebantur. Quam pugnæ speciem eleganter descripsit Virgil. Æn. v.

10 *Missile disci*] Discus ex plumbo seu ferro fuit orbis latus et ponderosus, quem in sublime torquentes jaciebant.

11 *Gyrum pulsat equis*] Equestrem significat exercitationem, cujus laus est ut equus in gyrum flectatur.

13 *Taygeti pruina*] Mons fuit Taygetus Laconiæ, ad cujus radices sita fuit Sparta, civitas nobilissima. Narrat Pausanias in Laconicis in qualibet montis Taygeti parte loca fuisse venationi commodissima, ob caprarum, aprorum, cervorum, leporum, ursorum, &c. copiam.

Qualis Amazonidum nudatis bellica mammis
Thermodonteis turma vagatur agris;
Qualis et Eurotæ Pollux et Castor arenis,
Hic victor pugnis, ille futurus equis:

jusmodi est Amazonidum agmen bellicosum, quando nudis papillis Thermodoonte flumine tingitur: quales fuerunt *Castor et Pollux* in *ripis sabulosis Eurotæ, iste victor futurus pugnis, ille* vero *equis: cum quibus dicitur Helena*

Burm. Kuin.—14 *Sectentur* Dresd. *Sectatur* procul dubio corruptum pronuntiat Burm. qui, 'Nollem,' ait, 'ex hoc va. Heins. ap. Ov. Ep. IV. 42. reposuisset 'Sectari celeres per juga longa canes,' pro *Hortari*; ex cujus imitatione hic potius emendare debuisset, *Hortatur celeres per j. l. c.* ut fecit Schrader. Emend. cap. 8. p. 160.' 'Non *Hortatur* legend. cum Schradero, cui se Huschkius recte opposuit.' *Lachm.*—15 Aliquando conjecerat Burm. *lunatis parmis:* sed utrumque defendi posse tandem pronuntiavit.—16 'Noster 2. *Term.* 1. cum Groning. ac Borr. *Thermodontiacis.* *Thermodon* dici ac scribi debere, non *Thermodoon*, jam pridem monitum eruditis. Nihil erat necesse rem tam exiguam inculcare; sed movere nos debet insignis lapsus in h. ipsa voce Pontani. Deinde pro *turba* repone *turma*, cum J. Gulielmio, ac Heins. in Ov. III. A. A. 2.' *Broukh.* '*Thermodoonteis* edd. vulgg. Brix. Venet. Ald. cett. *Thermodonciacis* Ed. pr. *Turma* prob. Vulp. Gött.' *Barth.* 'Inveterato errore *Thermodoontiacis* in Voss. 1. 4. [Guarn.] Dorv. 1. meo 2. aliisque, et omn. fere excusis. *Thermodontiacis* rectius in Heinsiano: sed *Thermodoonteis* in pr. edd. quod accedit ad veram lectionem *Thermodonteis*, quam præfero ex Mentel. Groning. [Dresd.] Palatino Gebhardi, qui recte monuit *Thermodon* dici, non vero *Thermodoon*. Male Grævius ad Justin. II. 4. utrumque dici posse existimabat. Male in plerisque Mss. et edd. vetustis legitur *turba*. *Turba vagantur* in meo 2. Non immerito Heinsium offendisse videtur *turma lavatur aquis*, et ideo emendand. censebat [N. Prop. et Advers. p. 91.] *Thermodonteis turma vagatur agris*, vel *equis*. Prius omnino proband. videtur.' *Burm.* 'Ita distingue, *Therm. turba, lavatur, aquis.* *Turba* præstat. *Thermodonteis* non scribend. sed *Thermodontiacis*.' Lachm. '*Thermodonteis* Muretus in ed. 1558. in Erratis legi jubet, et Rouill. 1559.' *Addend. ad fin. ed. Burm.*—17 'Veram lect. *arenis* restituit Volscus.' *Broukh.* '*Abenis* Posth. *Hab.* Bon. Guarn. Dresd. Palat. membr. C. Com. Brix. Venet.' *Barth.* 'Pro

NOTÆ

15 *Amazonidum*] Amazones fuerunt mulieres bellicosæ, quæ Scythiæ maximam partem ad Tanaim amnem fluviumque Thermodontem incoluisse dicuntur.

16 *Thermodonteis*] Thermodon fluvius fuit Amazonum, seu Amazonidum, quem alii in Scythia, alii in Cappadocia, alii in Thracia collocant. Plin. in descriptione Cappadociæ VI. 3. 'Thermodon fluvius præter radices Amazonii montis lapsus et oppidum ejusdem nominis.' Virg. etiam lib. XI. Æn. 'Quales Threiciæ cum flumina Thermodontis Pulsant et pictis bellantur Amazones armis.' Ubi Servius ait Amazones digressas a Tanai fluvio in Thraciam ad flumen Thermodonta se contulisse.

17 *Qualis et Eurotæ*] Eurotas fluvius est Laconiæ, qui Spartanam civitatem seu Lacedæmonem præterlabitur.

Pollux et Castor] Pollux et Castor fratres gemini fuerunt Helenæ, qui cum ipsa ad Eurotæ ripas ludos gymnicos exercuisse dicuntur. Vocatur autem Pollux ab Homero fortis et præstans pugil, Castor vero domitor equorum.

Inter quos Helene nudis capere arma papillis
  Fertur, nec fratres erubuisse Deos.
Lex igitur Spartana vetat secedere amantes;
  Et licet in triviis ad latus esse suæ.
Nec timor, aut ulla est clausæ tutela puellæ,
  Nec gravis austeri pœna cavenda viri.
Nullo præmisso, de rebus tute loquaris
  Ipse tuis: longæ nulla repulsa moræ.
Non Tyriæ vestes errantia lumina fallunt;
  Est neque odoratæ cura molesta comæ.

nudatis mammis pugnasse, neque germanos suos Divos erubuisse. Jus igitur Spartanum prohibet amantes discedere, atque etiam jubet in compitis adhærere lateri suæ amicæ. *Neque metus est ullus, vel custodia fœminæ inclusæ, neque atrox supplicium rigidi mariti timendum* est. *Nemine prius misso internuntio, tu ipse res tuas narrare possis* amicæ tuæ: *nulla repulsa* est *diuturnæ procrastinationis. Tyria vestimenta non perstringunt oculorum deceptorum aciem, neque est* ista soli-

arenis in Perr. v. c. Colot. Vat. 1. 2. unoque Vossii *ad undas*, quod admitti posset. Inepte *Athenis* in meo 2. *henis* in Heinsian. *Habenis* in Regg. Colbertt. Borr. Neap. Groning. Leidd. et Dorvv. quod librariis debetur *harenis* scribentibus. *Habenis* etiam legitur in Vicent. Venet. 2. Rheg. Ber. idque Passeratius referend. putabat ad lora pugilum et equorum habenas: sed *arenis* emendand. jam notavit Volscus. Neque male hic conjecerat Francius *Qualis in Eurotæ ... arenis*, vel *ad arenas*.' Burm. 'Ex *harenis* ortæ sunt lectt. *habenis* et *henis*.' Kuin. 'Ita scribimus: *Qualis et Eurotæ .. arenis, ... equis, Interque hos Helene &c.*' Lachm.—19 *Helena* Mentel. *Capillis* damnat Burm. quod in uno Colb. Mentel. et cod. Vlamingii. *Armata cap*. Burm. 2.—20 *Duos* Frut. *Deos* optime stabilivisse Bronkhusium pronuntiat Burm. —22 *Isse* legend. cum Heins. judicat Burm. Non opus esse censet Kuin. *Sui* Dresd.—23 'Vix apparet quo referri debeat istud *timor*. Tentabam aliquando *Nec timor est ulli cl.*' Broukh. '*Timor aut tut*. est, tutela et custodia timenda.' *Barth.* Nec emend. Bronkh. opus esse censet Burm. *Non* Mentel. unus Colb. *Ulla cl*. Burm. 1.—25 'Unus Palat. [sc. 1.] *tuta*, quo etiam ire videtur noster 2. ubi *tutæ*. Cave mutes quicquam. *Tute* bene interpretatur Passerat. quem Gebh. sequi debebat, non insectari.' *Broukh.* '*Tute* esse, tu ipse, docet Broukh.' *Barth.* 'Male Frut. emendabat, *prom.* Neque probo Heinsii conj. quam ed. Aldinæ margini alleverat, *Nulli impermissum: de &c.* *Tute* in omn. Mss. et edd. antiquis, nisi quod *tutæ* in Leidd. F. librarius *tuta* voluerit, ut in Palat. Gebhardi, qui id perperam amplexus est.' *Burm.*—27 *Nec* Guarn. Voss. 4. Neap. Borr. Groning. Ask. Burm. 1.

NOTÆ

21 *Lex igitur Spartana*] Legem laudat Spartanam, quæ non prohibebat amicarum luctationibus amantes interesse.

27 *Non Tyriæ vestes*] Avaritiam luxumque carpit mulierum Romanarum, quarum pudicitia castitasque gemmis, pretiosis vestibus, muneribusque expugnabatur. Vestes porro Tyriæ sunt vestes purpureæ, quia nimirum apud Tyrum Phœniciæ civitatem optima purpura tingebatur, ut jam sæpius diximus.

At nostra ingenti vadit circumdata turba;
Nec digitum angusta est inseruisse via.
Nec, quæ sint facies, nec quæ sint verba rogandi,
Invenias: cæcum versat amator iter.
Quod si jura fores pugnasque imitata Laconum,
Carior hoc esses tu mihi, Roma, bono.

citudo incommoda domi suaveolentis. Sed mea puella *incedit magno custodum grege cincta, neque licet eam digito contigisse arcta via. Neque possis explorare quinam sint vultus, neque adinvenire verba rogandi; occultam per viam et ignotam errat amans.* O *Roma, si tu Laconum leges et palæstras secuta fuisses, tu mihi illo* uno *commodo* locis omnibus *esses dilectior ac jucundior.*

Sed nihil referre judicat Lachm.—28 ‘ *Auratæ c. modesta* Palat. membr. *Odoratæ* edd. vulgg. *Domi* omnes libb. *Comæ* primus Canter. conjecit, prob. Bronkh. Vulp. Gött.’ *Barth.* ‘ *Sed neque* Heins. *Ast neque* in illius codice et meo 1. *Adoratæ* Voss. 4. *Adhortatæ* vel *adoratæ* Exc. Scal. *Adoratæ domi* placebat Marklando. *Odoratæ domi* est in Groning. Leidd. tribus Voss. Ask. Dorvv. et meis. *Odoratæ domus* Vat. 2. quod intelligi posset, ut illud Plauti ‘ Ædes olent arabice.’ Et hæc lect. probatur a J. Gulielmio in Quæst. Plaut. p. 240. *Adornatæ domi* Vat. 5. sed *odoratæ comæ*, ut in Regg. ceterisque codd. præferend. cum Heinsio, aliisque, idque egregie confirmavit Broukh. Male Passeratius ex vitiosa codicis *odiratæ* scriptura divinabat *obiratæ:* sed, ut sæpe in his fluctuabat, Canteri conjecturam *odoratæ comæ* tamen probabat.’ Burm. ‘ Optime correctum a Cantero *domi.*’ Lachm.—29 *Ut* Dorv. 1. *Et* Burm. 1. *Ingenii* Neap.—30 *Angustæ seræ* conjecerat Heins. quod ab h. l. alienum putat Burm. et damnat *dignum*, quod habet Mentel. pro *digitum*.—31 *Sint sociæ* Bon. *Sit facies* Leid. 2. Voss. 3. Burm. 1. *Sint partes* Heins. sed præfert Burm. alteram ejus emend. *qui sint aditus.* C. Com. *sint faciles*, quod favet, ait Burm. conjecturæ Patrui mei, qui ad Nemesian. Cyneg. 94. tentabat *sit facilis nec quæ sit acerba roganti*, vel *nec quæ det verba roganti*, quod postremum præferrem. Waard. legit *sint facies, nec quæ sint verba roganti. Rogando* Dorv. 2. et ita in marg. lib. sui conjecerat Markl. illa locutione qua ‘ solvendo non esse ’ dicitur. Sed hoc minus placet Burmanno.—32 ‘ *Inveniat tecum* Brix.’ *Barth.* ‘ Pro *cæcum* corrupte in Regg. et pr. edd. *tecum*, et corruptius in Groning. *orator* pro *amator*.’ Burm.—33 *Jure fores pugnas inimica* Guarn. ‘ *Foves* Neap. *Pugnas imitata* Mentel. Borr. Voss. 1. Burmannianus. *Inimica* Voss. 1. 4. Borr. [Cf. sup.] *Leonum* inepte Neap.’ *Burm.*

NOTÆ

33 *Quod si jura fores*] Sermonem convertit ad urbem Romam, quam hoc uno sibi quacumque regione cariorem fore dicit, si Lacænas pugnas exercitationesque puellares imitaretur.

ELEGIA XV.

AD CYNTHIAM, DE LYCINNA.

Sic ego non ullos jam norim in amore tumultus,
  Nec veniat sine te nox vigilanda mihi;
Ut mihi prætextæ pudor est elatus amictu,
  Et data libertas noscere amoris iter.

Ita ego experiar aliquas in amore turbas ac rixas, neque mihi pervigilanda nox eveniat absque te, o Cynthia: *cum mihi pudor tectus est virili toga, facta etiam*

Ad Cynthiam de Lycinna præfigitur in Regg. Colbertt. Borr. Burm. 2. aliis, et edd. vetustis. *Ad Cynthiam excusatio Lycinnæ* Burm. 1.—1 'Groning. C. Com. 8. *e. jam nolim multos.* Credo olim fuisse *jam norim nullos.* Sed vulg. *non ullos norim,* aliquanto concinnior est.' *Broukh.* '*Hic e. non ullos* Dresd. *Nonnullos* Brix.' *Barth.* '*Hic e.* Neap. *Non nullos* Borr. Voss. 3. 4. mei, et pr. edd. *Jam nolim multos* Dorv. 2. a m. sec. *Jam nullos nolim* Ask. *Jam nullos norim hoc in a.* Leid. 2.' *Burm.* Nostram lect. dant B. B. B. L.—2 *Hæc te.* Leid. 1. *Hic* Dorv. 1.—3 '*Prætexta p. e. velatus amicus* C. Com. Bon. Dresd. et sic Græv. *Prætesta* Posth. pronunt. Ital. *Prætextæ p. exvelatus amictu* emend. Scaliger. *Ut cum prætexto p. e. ablatus a.* Heins. Advers. p. 91. *Ut m. prætextæ p. e. velatus a.* Aldd. et cett. edd. etiam Vulp. Gött. *Sublatus* vult editor Cant. ut esse in ora libri notavit Passeratius.' *Barth.* 'Scaligero adhærens *exvelatus* edidit Broukhusius, de lectionis varietate nihil notans, nulloque scriptoris veteris prolato exemplo, ubi *exvelatus* reperiatur. In Regg. et Colbertt. *Ut m. prætexta p. e. velatus amicus,* sed in altero codice margini alia m. ascriptum legebatur *Ut m. prætextæ p. e. velatus amictu.* In Borr. *Ut m. prætexta pudorem velatus amicus.* In Neap. *prætexti pudor e. velatus amictus. Prætextæ* in Leid. 1. Voss. 1. 4. et meo utroque. *Pudor est velatus* in Leidd. tribus Voss. Dorvv. et meo 2. *Pudor* omittitur in meo 1. in quo legitur *prætexta vellatus amictus:* et sic fere in Heinsiano. *Amicus* in Leidd. tribus Voss. et Dorv. 1. *Amictus* in meo et Dorv. 2. *Est velatus* etiam in Ask. *Ut mihi prætexta p. e. velatus amicus* Mentel. et pr. edd. *Est velatus amictus* C. Com. Gebhardi, qui *est spoliatus* in aliis esse testatur. In Palatino autem *est*

NOTÆ

1 *Sic ego non ullos*] Cynthiæ suæ sese Lycinnam adamasse, cum adhuc rudis iter amoris ignoraret, significat; sed se, postquam semel Cynthiam amare incepit, nec Lycinnæ nec ullius alterius puellæ usum esse consuetudine protestatur; Dircesque et Antiopæ, quarum fabulam prosequitur, exemplo conatur Cynthiam in Lycinnam propter pellicatus suspicionem sævire cupientem emollire, dicitque tandem ad rogum usque se constanter ac unice Cynthiam amaturum.

3 *Prætextæ*] Prætexta toga vestimenti genus fuit, quo pueri Romanorum ingenui ad annum ætatis 17. utebantur. Dicta est illa vestis prætexta, quia nimirum oram seu limbum purpura prætextum et ornatum habebat. Prætexta etiam utebantur non modo pueri, sed etiam puellæ ingenuæ, magistratus, sacerdotes, magistri vicorum. Pueri porro deposita prætexta anno ætatis 17. vel, ut aliis placet, 15. virilem togam liberioremque induebant, pudoremque puerilem, quem præ se ferebat prætex-

Illa rudes animos, per noctes conscia primas
  Imbuit, heu! nullis capta Lycinna datis.
Tertius, haud multo minus est, cum ducitur annus;
  Vix memini nobis verba coisse decem.
Cuncta tuus sepelivit amor: nec fœmina post te
  Ulla dedit collo dulcia vincla meo.
At tu non meritam parcas vexare Lycinnam.
  Nescit vestra ruens ira referre pedem.

potestas est *sciendi viam amoris. Eheu! ista Lycinna*, quondam *nullis expugnata muneribus, tironem me perita docuit primis noctibus amoris rudimenta. Non multo minus quam tertius annus jam vertitur, ex quo non recordor inter nos verba decem convenisse. Amor tuus* ista *abstulit omnia, nec ulla post te puella blandas injecit catenas meæ cervici: sed tu innocentem desinas Lycinnam cruciare; iracundia vestra præceps et impotens non potest revocare gradum. Dirce, stupro tam aspera, testabitur*

sublatus. In nullo horum omnium codicum, ut vides, illud *exvelatur* conspicitur: sed plerique conspirant in *est velatus.* Hos igitur in textu secutus sum. In Aldd. quoque, Junt. Colin. Gryph. aliisque *Ut mihi prætextæ p. e. velatus amictu.* Guyeto legend. videbatur *pudor est elatus:* quod minime absurdum. Sed blanditur valde Heinsii conjectura, quam Aldinæ ed. alleverat, *Ut mihi prætexto p. e. ablatus amictu.*' Burm. 'Vulg. lect. *Ut m. prætextæ p. e. velatus amictu* frigidum sensum parit. *Velatus* cum *amictu* glossema sapit. Recepi emend. Guyeti, *elatus amictu.*' Kuin. 'Sant. referente et unice probante Ruhnkenio in Præf. Lexici Schelleriani, *Ut m. prætextæ p. exsinuatus amictu.* Præstat haud dubie veterem ac vulg. script. retinere.' *Lachm.*—4 *Ut* Perr. v. c. non ineleganti repetitione, judice Burm. 'Punctum istud,' ait Dousa P. ad marg. ed. Rouill. 'post 'iter' inducend. et priori disticho appingend. puto.'—5 *R. annos* Frut. Vulg. exponit Burm. *Cognita* mallet Schrader. Emend. cap. 8. p. 162.—6 *Pro datis* in Voss. 3. et Harl. *malis:* unde f. *dolis*, ait Burm. posset corrigi. Sed, addit ille, *datis* pro, muneribus, recte exponunt Passerat. et Broukh.—7 *Aut* Guarn. Leid. 2. Voss. 1. 3. Ask. Dorvv. et pr. edd. Sic et Colbertt. nisi quod *haud* in alterius marg. *Cum multo* Borr. Burm. 1. *Dicitur* damnat Burm. quod in Guarn. Mentel. Voss. 1. 4. et suo 1.—8 *Vobis* Voss. 4. Burm. 1. *Verba fuisse* correxerat Heins.—9 *Aut f.* Dresd.—10 *Illa* Borr. Burm. 1. in quo etiam *verba* pro *vincla*, quod ex præc. disticho male repetitum censet Burm.—11 'Inter hunc et præc. vs. lacuna est aliquot distichorum, quanquam nulla appareat in Mss. nisi quod in uno Colb. est distinctio, cum hac epigraphe, *Fabula Anthiope.* Ita collige. Oboluerat Cynthiæ, solere aliquando cum Lycinna suum Aurelium. Id nunc ipse fassus, ait in ea sese amoris tirocinium posuisse. Post adamatam vero Cynthiam nullum sibi amplius commercium fuisse cum Lycinna: ipsam itaque minus recte facturam, si, ducta suspicione futili atque inani, durius habere velit puellam immerentem. Ei se deprecatorem venire. Fœminæ enim quam ultra modum soleant sævire in vindicando h. crimine, s. vero, s. falso, nimis miserabili exemplo docuisse Dirces immanem animum: quæ tamen ipsa debitas tanto sceleri pœnas dederit. Hæc optime conveniunt cum vs. 43. [nobis 11.]'

NOTÆ

ta, sicut et ætatis rudimenta, deponebant; unde dicit Propertius sese statim atque togam virilem induisset, ac pudorem relicta prætexta deposuisset, dataque sibi liberior potestas vivendi fuisset, a Lycinna rudem adhuc tironem amoris iter edoctum fuisse.

12 *Vestra ruens ira*] Vos mulieres

Testis erit Dirce, tam vero crimine sæva,
Nycteos Antiopen accubuisse Lyco.

Antiopen concubuisse cum Lyco suo. *Heu! quam sæpe formosos crines* Antiopes

Broukh. ' Dresd. hic novam orditur El. cum inscript. *Fabula Antiopes ad Cynthiam.* Id. facit unus Colb. cum epigr. *Fabula Anthiope.* Guyeto videbatur aliquid deesse; et sane in quibusd. libb. editis inter h. vs. et præc. lacuna est aliquot distichorum. Vulp. quoque tres asteriscos in media linea ponit. *T. eris* Brix. *Erat* emend. Livin. Hæc medicina leniss. videtur esse. Simul tamen post 'Dirce' distinguend. est.' *Barth.* ' Nova hic in meo 2. incipit El. sub titulo *Fabula Anthiopæ*, ut in Colbertt. [Cf. sup.] eademque his vss. præfigitur epigraphe in Harl. in quo legitur *Historia Anthiopes.* Broukh. in pr. ed. vacuum reliquit spatium inter h. et præc. vs. Non opus erit jacturam aliquot distichorum hic statuere, sed duorum tantum vss. 43. 44. [nobis 11. 12.] transpositione hæc ita connectere: ' Cuncta tuus' &c. ' At tu non meritam' &c. ' Testis erit' &c. Transpositionem illam adeo certam opinor, ut eam fere in contextum admisissem, quod toties a Scaligero factum, ne admonito quidem lectore.' *Burm.* ' Vulp. et Burm. pænultimum distichon [nobis vss. 11. 12.] huc revocant. Probarem, nisi ita initio Carminis meliore facto finem corrumperent. Id quod verum est Livin. vidit, cum quo scribimus *Testis erat D.*' Lachm. ' Verba ' Testis erit' &c. in codd. et edd. omn. etiam Burm. verba ' Ulla dedit' &c. excipiunt.' *Kuin.* Pro *parcas* in Reg. 2. *procax.*—12 *Furens* Heins. Vulg. tuetur Burm. *Ire* Neap.—13 ' *Eris* affert Beroaldus: sed in omn. codd. *erit* legi subjungit. In pr. edd. corrupte *T. erit duræ, f.* pro *Dircæ;* et *læva* in Leid. 1. ac Voss. *Scæva* in meo 1. *Serva* Exc. Mod.' *Burm.*—14 Damnat Burm. *Dycteos*, quod in Neap. et *aut iopen*, quod in Leid. 1. *Acc. Jovi* Vat. 5. Leid. 2. Voss. 3. Ask. quod in suis etiam

NOTÆ

iratæ nescitis sævitiæ ac furoris impetum moderari. Iræ muliebris impotentiam eleganter admodum expressit Ovid. Art. II. 373. 'Sed neque fulvus aper media tam sævus in ira, Fulmineo rabidos dum rotat ore canes; Nec lea, cum catulis lactentibus ubera præbet; Nec brevis ignaro vipera læsa pede; Fœmina quam, socii deprensa pellice lecti, Ardet, et in vultu pignora mentis habet. In ferrum flammasque ruit; positoque decore Fertur, ut Aonii cornibus icta Dei.'

13 *Testis erit Dirce*] I. e. si in Lycinnam, ut cupis, sævieris, testimonium exhibebis, quo credamus vera esse, quæ de sævitia Dirces in Antiopen narrantur. Dirce porro fuit Lyci, Thebarum regis, uxor, quam ille, repudiata Antiopa, conjugem duxerat; quæ cum Antiopen gravidam esse intellexisset, (nam Antiopa post repudium a Jove propter formositatem compressa fuerat,) suspicata virum suum Lycum clam cum illa consuescere, in vincula eam conjecit. Verum, instante jam partus tempore, Jovis miseratione vinculis soluta in montem Cithæronem confugit, ubi gemellos peperit Amphionem et Zethum; qui, a pastoribus educati, postquam matrem agnovissent, illius injuriam ulciscentes, Dircen ad taurum indomitum crinibus religatam ac discerptam occiderunt.

14 *Nycteos Antiopen*] Antiopa, seu Antiope, filia fuit Nyctei, et uxor Lyci, Thebarum regis, quæ cum per dolum ab Epopeo, Sicyoniorum rege, fuisset stuprata, a viro suo Lyco repudiata est. Hanc autem viduam Jupiter compressit, gravidamque effecit; quod cum Dirce, quam Lycus post ejectam Antiopen secundis nuptiis superduxerat uxorem, animad-

Ah! quoties pulchros vulsit regina capillos,
  Molliaque immites fixit in ora manus!
Ah! quoties famulam pensis oneravit iniquis,
  Et caput in dura ponere jussit humo!
Sæpe illam immundis passa est habitare tenebris:
  Vilem jejunæ sæpe negavit aquam.
Jupiter, Antiopæ nusquam succurris habenti
  Tot mala? corrumpit dura catena manus.

exussit regina Dirce, *ac teneram faciem sævis unguibus appetiit! Heu! quam frequenter captivam* Dirce *pensis injustis oppressit, ac coëgit caput reclinare in dura terra! Frequenter ipsam manere jussit* in *sordidis ac obscuris tenebris: frequenter* etiam *ipsi siti fameque enectæ aquam vilem denegavit.* O *Jupiter*, tu *non subvenis Antiopæ tot calamitates patienti?* Ejus tamen formosas *manus ferrea vincula*

codd. invenit et probavit Beroaldus. *Lyco* vindicat Burm.—15 'Aut *ussit* aut *jussit* omn. libb. Unus Reg. *traxit;* quo modo Aldina, ejusque traduces Gryph. Douss. Verum est *ussit*. Solus inventus est Tit. qui *vulsit* legeret, I. Loc. Contr. 16. suamque stultitiam deinde in Assertionibus intemperanter propugnaret. Regiorum alter ex duobus distichis unum facit, huic ipsi hexametro subjiciens 'Et caput' &c. Ita ut non agnoscat duos medios vss. Perperam.' *Broukh.* '*Ussit* Dresd. Ed. pr. cum Brix. Venet. Ald. 1. Vulpio *traxit* cod. Paris. [Reg. ut videtur,] et Ald. 2. cett. magis arridebat, neque tamen in context. recepit. *Vulsit* aut *velcit* Heins. cum Tit.' *Barth.* 'Totum h. distichon omissum est in ed. Græv. *Traxit* in Leid. 2. Ask. et unius Colb. marg. ut in Gryph. et Wechel. *Ussit* Groning. Vat. 1. Neap. Palat. 2. C. Com. Venet. 2. Rheg. Junt. Colin. Rouill. Canteri, aliique: et huic lect. favent codd. et edd. vett. in quibus *jussit*, ut Reg. 2. Voss. 4. unus Palat. meus 1. Vicent. et Volsci ed. Conjecerat Heins. *carpsit*, *secuit*, *vellit*, vel *vulsit*. *Vulsit* quoque Tit. sed quem castigavit Scaliger sub Yvonis Villiomari nomine, p. 22.' *Burm.* 'Quomodocumque *ussit* interpreteris, frigida sententia prodibit. Recipiend. putavi *vulsit*.' Kuin. *Ussit* dant B. B. B.—16 *Immittens* Bon. Neap. Borr. Leidd. Voss. 1. 3. Dorvv. Burm. 1. *Immitens* Palatt. *Finxit* Palat. 1. C. Com. Bon. Groning. Dorv. 2. —17 Damnat Burm. *impensis*, quod in Mentel. et suo 2.—19 *Latebris* Heins. ad marg. ed. Ald. vel *cavernis* ad Prop. p. 720. Id. *cubitare* pro *hab.* correxerat.—21 *Succurrit* Bon. Burm. damnat *securus*, quod in Borr. et suo 1. *Amanti* Exc. Scal. Voluit Heinsius *succurris egenti? Corrumpit teneras d. c. m.*

NOTÆ

verteret, suspicata Lycum virum suum clam cum Antiopa concubuisse, famulis imperavit, ut tenebricoso carcere eam includerent. Sed, instante partus tempore, vinculis liberata Antiopa in montem Cithæronem confugit, ubi Zethum et Amphionem gemellos peperit, qui a pastoribus educati, certioresque facti matrem suam a Dirce, quomodo dictum est, fuisse cruciatam, Dircen tauro indomito alligatam diris cruciatibus laniarunt, donec ipsius Bacchus misertus eam in fontem sui nominis, qui Dircæus est appellatus, commutavit.

Lyco] Lycus rex fuit Thebarum, Nyctei frater, qui secundas nuptias cum Dirce contraxit, postquam Antiopen repudiavisset, quique, quod Antiopen Dircæ cruciandam tradidisset, a Mercurio jussus est Amphioni regnum concedere.

Si Deus es, tibi turpe, tuam servire puellam.
Invocet Antiope quem, nisi, vincta, Jovem?
Sola tamen, quæcumque aderant in corpore vires,
Regales manicas rupit utraque manu.
Inde Cithæronis timido pede currit in arces:
Nox erat, et sparso triste cubile gelu.
Sæpe, vago Asopi sonitu permota fluentis,
Credebat dominæ pone venire pedes.

violant. *Si tu Deus es, tibi* sane *probrosum* est *captivam esse tuam amicam.* *Cujus opem imploret Antiopa captiva, nisi Jovis?* Illa *nihilominus,* quamvis *sola, catenas regio jussu sibi injectas ambabus manibus disrupit, quantulæcumque adessent vires in* ipsius attrito *corpore. Exinde pavido cursu properat in Cithæronis juga. Nox erat, durusque ac frigidus lectus gelu tristi* rigens montis solum. *Frequenter murmure confuso Asopi labentis perterrita putabat a tergo sibi imminere*

nimia certe emendandi libertate, judice Burm. qui, '*Habenti tot mala,*' ait, 'minime solicitand. ut monuit etiam Broukh. et recte Markl. in lib. sui marg. exponit pro, patienti tot mala.'—22 *Corrupit* Ask.—23 '*S. D. e* Guarn. *Servare* Franc. 1. Palat. Guarn. quod Broukh. recepit, reclamante jure Vulpio. Multo melior est lect. vulg. etiam Gött. editori probata.' *Barth.* *Est* cod. Frut. Dorv. 1. Burmm. et pr. edd. *Tibi* deest in Voss. 1. *Turpe tibi* Ask. *Ibi* Voss. 3. '*Servare* ex Borr. Groning. C. Com. edidit Broukh. probante Patruo meo ad Val. Fl. VII. 387. Amplector potius aliorum codd. et edd. vett. lectionem, *servire,* sine interrog. nota. Et hoc præferebat Valckenaër. ad Eur. Fragm. Antiop. p. 65.' *Burm.* Reponi jubet *servire* Lachm. —24 *Invocat* . . *victa* Guarn. *Advocet* Dorv. 2. *Invocat* 1. *Victa* Neap. Regg. Borr. Groning. Voss. 1. 4. unus Leid. Dorvv. Burm. 2. et pr. edd. *Vicla* Burm. 1. *Vita* Leid. 1.—27 *Unde* Borr. *Tumido* Dorv. 2. *Timido* vindicat Burm.—28 *Parso* Groning. C. Com. *Passo* Palm. absurda conjectura, judice Burm.—29 '*Esopi* vel *Æsopi* librariorum incuria est in Neap. Borr. Ask. Leid. 1. Voss. Dorv.' *Burm.* *Vaga* Dresd.—30 *Pene* Burmm. Vulg. defendit

NOTÆ

27 *Inde Cithæronis*] 'Arces Cithæronis' posuit pro jugis, seu culmine, et vertice, ut dixit Virg. Ge. IV. 'Rhodopeiæ arces,' pro montibus Rhodopeis. Cithæron porro mons est Bœotiæ, Baccho sacer, Thebis vicinus, cujus radices Asopus flumen alluit.

29 *Vago Asopi sonitu*] Asopus est fluvius Bœotiæ, Thebas, Platæas, et Tanagram præterfluens, radicesque Cithæronis montis alluens, ut scribit Strabo lib. VIII. ubi etiam ejusdem nominis plures fluvios variis in regionibus enumerat. Est enim præter hunc Asopum in Bœotia, alius Asopus in Asia, qui simul una cum Lyco flumine Laodiceam urbem præterfluit. Alius est et Asopus in Peloponneso fluvius e Chromio monte nascens, et in sinum Corinthiacum influens. Alius etiam Asopus Achaiam irrigans in Epidaurum fluit. Asopus etiam est alius Macedoniæ fluvius, Heracleam alluens. Est et Asopus fluvius in insula Paro.

Et durum Zethum, et lacrymis Amphiona mollem,
  Experta est stabulis mater abacta suis.
Ac veluti magnos cum ponunt æquora motus,
  Eurus in adversos desinit ire Notos,
Littore si tacito sonitus rarescit arenæ:
  Sic cadit inflexo lapsa puella genu.

pedes reginæ Dirces. Ipsa licet *mater exclusa stabulis Zethum sævum, Amphionem vero fletibus* suis *facilem sensit. Et quemadmodum ubi mare sævos tumultus deponit, Eurus*que *cessat contra Notos adversantes præliari, tunc sedatis fluctibus littoris murmur tandem desinit, ita collapso poplite defessa concidit* Antiope. *At-*

Burm.—31 '*Heic d. Z. et lacrymans A.* Guy.' *Barth.* '*Heu d.* Guy. *Nec d.* Heius. contra Auctoris mentem. Corrupte *d. letum* in Voss. 1. *Zetem* Perr. v. c. Vat. 2. *Et* deest Dorv. 2. *At l.* Markl. *Lacrymans* Guy. quod non displicet.' *Burm.*—32 Damnat Burm. *tabulis*, quod in Neap. Borr. Groning. Ask. Voss. 1. 4. Dorv. 1. et suis codd. et pr. edd. Sic et Colbertt. sed in alterius marg. *stab. Talibus* Dresd.—33. 34 '*Fluctus* Groning. Puto esse glossema τοῦ *motus*.' Bronkh. Sic et Vat. 5. Borr. Ask. Voss. 3. Dorv. 2. in quo etiam *componunt*, quod et in Dresd. 'Hic et tres seqq. vss. melius cohærebunt, si eos hunc in ordinem redigamus: 'Sæpe vago . . . Credebat . . . pedes. Ac veluti . . . Eurus . . . notos, Littore . . . Sic cadit . . .' Sed hic excidisse opinor vss. nonnullos.' *Burm.* 'In Neap. *E. sub adverso d. i. notho.* Repone *E. ubi adverso d. i. noto, Littore sic tacito s. r. arenæ. Sic cadit &c.*' Lachm.—35 '*Si* legend. non *sic:* neque audiendus Passeratius, Scaligero obstrepens.' *Broukh.* '*Sic* Gnarn. Dresd. *Si* legunt Vulp. Gött. *Sub tac.* volebat Livin.' *Barth.* '*Sic* Regg. Borr. Groning. Ask. Leidd. tres Voss. Dorvv. mei, et vetustæ edd. *Sit* Mentel. *Si* correxit Scaliger, quod est in Groning. [Cf. sup.] *Cum* vel *quum* Perr. v. c. Vat. 1. 2. 3. 4. Colot. *Littore sedato* conjecerat Heins.' *Burm.*—36 'Noster 1. *lassa*. Nihil refingend.' *Broukh.* *Hic* Burm. 1. *Si* 2. *Infelix* Dresd. *Lassa* Voss. 3. 4. C. Com. *Ut*

NOTÆ

31 *Et durum Zethum*] Zethus et Amphion filii fuerunt Antiopes gemelli, quos e concubitu Jovis genuit, quique in Cithærone monte cum fuissent expositi, nutriti sunt a pastoribus. 'Durus' autem dicitur Zethus, quia nimirum dissimilis fuit moribus fratri suo Amphioni, qui mollis fuit, comis, humanus, ac mitis. Fuit enim Amphion citharœdus; Zethus vero pastor, agrestis, et severus. Dicitur etiam 'durus' Zethus, quia cum Antiope mater ad ipsum sæpius confugisset, eam non agnoscens abegit, stabulisque suis eam recipere nolens exclusit.

Lacrymis Amphiona mollem] 'Mollis' dicitur Amphion, quia mitis ac humanus, vel etiam quia matris Antiopes lacrymis, licet matrem eam esse suam nesciret, movebatur, cum ad ipsum Dircen fugiens adiisset.

34 *Eurus in adversos Notos*] Ventus est Eurus ab ortu spirans, ut testatur Ovid. Metam. I. statim fere ab initio: 'Eurus ad Auroram, Nabathæaque regna recessit.' Notus autem ventus est qui flat a meridie, alioque nomine dicitur Auster. 'Adversos' autem 'Notos' posuit pro diversos; Eurus enim et Notus non sunt contrarii, sed potius affines, unde et Euronotus.

Sera tamen pietas; natis est cognitus error:
  Digne Jovis natos qui tueare, senex,
Tu reddis pueris matrem; puerique trahendam
  Vinxerunt Dircen sub trucis ora bovis.
Antiope, cognosce Jovem: tibi gloria Dirce
  Ducitur, in multis mortem habitura locis.
Prata cruentantur Zethi; victorque canebat
  Pæana Amphion rupe, Aracynthe, tua.

tamen pietas, licet *tardius*, affuit, *filiisque* tandem *error* suus *est agnitus*. O *senex, digne qui Jovis filios educes ac custodias, tu restituis filiis parentem; filiique Dircen ad collum tauri indomiti raptandam alligarunt*. Tu vero, o *Antiope, Jovem agnosce: in ultionem injuriæ tuæ Dirce rapitur pluribus in locis funus habitura. Zethi prata* Dirces *cruore inficiuntur, et Amphion victor Pæana canebat* e *saxis*

----

c. i. laxa Ask. ut in Palat.—37 '*Ordo* Groning. Operose id defendit Gebh. post Palmerium: sed cur damnes lect. receptam?' *B. B.* *Sero* Guy. '*Vera* Borr. *Sola* . . *et* Ask. *Et* etiam in Dorv. 2. ut Guy. et Heins. *Ordo* Leid. 2. Voss. 3. meus 2. sed *error* in utrinsque marg. quod recte tuetur Broukh.' *Burm.* —38 *Senes* Burm. 1.—39 *Pueros matri* Leid. 2. Voss. 4. Ask. Dorvv. et superscript. in Voss. 3. *Puerisque tr.* Voss. 4.—40 *Vexerunt* unus Reg. Neap. et pr. edd.—42 *Obitura* Heins. Vulg. tuetur Burm.—43 *Parca* Voss. 1. Burm. 1. *Parca cruentatur* damnat Burm. quod in Mentel. Borr. *Cruentatur* etiam Voss, 4. Dorv. 1. et Burmannianus. *Parta* Regg. Colbertt. Dorvv. Burm. 2. *Parta cruentabat Zetus* Vat. 5. *Porta* Voss. 4. Improbat Burmannus *leti*, quod in Voss. 1. 4. *Zetho* emend. Guy. et Beroaldus. Livineius legebat *Prata cruentantur, Zethi v. &c.* '*Prata Zethi* frigide dictum jure notat ad Virg. II. Ecl. 23. Heynius, et scribit *Prata cruentantur; Zethus v. &c.* Idem Heyn. et Eld. tentant *lætum Pæana;* suavius Schrader. [Emend. p. 163.] *Prata cruentantur late*. Mihi vix dubium est quin Prop. dederit *Prata cruentantur leto, victorque &c.*' Lachm. 'Recte monet Heynius durum esse *Prata cruentantur Zetho*, et quæ alii conjectant *P. c. late*, vel quæ conjectari possint, v. c. *lætus victorque*.' Kuin.—

NOTÆ

37 *Sera tamen pietas*] Quia Zethus et Amphion, sero matrem Antiopen agnoscentes, postquam tandem a pastoribus edocti sunt, quod ipsius essent filii, injuriam ipsi ab Dirce illatam ulti sunt.

38 *Senex*] Pastorem alloquitur, qui filios Jovis Zethum et Amphionem expositos sustulit, sublatos educavit, et quo docente, matrem Antiopen agnoverunt.

44 *Pæana Amphion*] Pæan proprie dicitur hymnus in laudem Apollinis; sed et abusive sumitur pro cantu in laudem cujuscumque numinis, ut testatur Serv. in Æn. II. Cecinit ergo Pæana Amphion, h. e. carmen modulatus est gandii lætitiæque plenum.

Aracynthe] Aracynthus mons est Bœotiæ, mari vicinus, a quo et dicta est Minerva Aracynthis, ut testis est Stephanus de urbibus, cum Servio in illud Virg. Ecl. II. 'Amphion Dircæus in Actæo Aracyntho.' Plin. IV. 27. Aracynthum etiam montem Acarnaniæ esse dicit; nihil vero obest, quominus duo sint nominis ejusdem variis etiam in regionibus montes.

Fabula nulla tuas de nobis concitet aures:
Te solam et lignis funeris ustus amem.

tuis, o *Aracynthe. Nullus populi rumor tuas auriculas de me commoveat: unam te etiam rogi ignibus crematus amabo.*

45 *Concinet* Voss. 4. *Conciet* Burm. 2. *Iras* Markl. sed sè retinere vulg. monet Burm. *Artes* Leid. 1. *Aures* optime se habere notat id. Burm.—46 *S. et te* Guy. Sed non opus est, ait Burm. si ita distinguatur, ut edidi. Punctum nempe maximum posuit post 'aures' cum Broukh. Minimum punctum ponit Barthius, medium Lachmannus. Ceterum *ex l.* in Guarn.

NOTÆ

45 *Fabula nulla*] Nullo, inquit, vano plebis rumore fictoque crimine movearis, neque persuasum habeas, quod a me Lycinna adametur; cum etiam post mortem ego sim te solam constanter amaturus.

ELEGIA XVI.

DE IMPERIO AMICÆ.

Nox media, et dominæ mihi venit epistola nostræ:
Tibure me missa jussit adesse mora.

Media nox erat, *cum allatæ ad me literæ* Cynthiæ *heræ meæ præceperunt ad ipsam venire Tibur omissa* omni *cunctatione, qua parte candentia cacumina*

1 *En* Heins. Sed præterea, ait Burm. f. legend. *N. media: en d. m. v. e. nostræ Tibure, quæ missa &c.*—2 '*Nulla* potius placet quam *missa*.' Broukh. '*Nulla* Dresd. quod prætulere Vulp. Gött.' *Barth.* '*Nulla* Mentel. meus 1. Sed in reliquis omn. Mss. et edd. vetustis *missa*: quod ponitur

NOTÆ

1 *Nox media, &c.*] Anceps ac dubius Propertius an sit eundum Tibur, quo per literas a Cynthia de media nocte sibi redditas vocabatur, tandem nullum non sibi subeundum esse pro amica periculum statuit, cum maxime amatores ubique tuti sint et inviolabiles. Sed pulchrum etiam esse dicit in amore mori; cupitque a sua Cynthia in loco devio et infrequenti, non circa viam publicam, ut mos erat Romanorum, sepeliri.

2 *Tibure*] Tibur, hodie *Tivoli*, civitas olim fuit Sabinorum in Latio, 16. ab urbe lapide, crebris fontibus irrigua, singulari aëris temperie commendata. Tibure sepulta est Cynthia, ut videbimus IV. 7. De Tibure vide notas nostras in II. 32. et Statium lib. I. Sylv. in Tiburtino Manlii.

Candida qua geminas ostendunt culmina turres,
  Et cadit in patulos Nympha Aniena lacus.
Quid faciam? Obductis committam mene tenebris,
  Ut timeam audaces in mea membra manus?
At, si hæc distulero nostro mandata timore,
  Nocturno fletus sævior hoste mihi.
Peccaram semel, et totum sum pulsus in annum.
  In me mansuetas non habet illa manus.

duas turres monstrant, undaque Aniena devolvitur in stagna late patentia. Quid agam? An me ipsum *credam tenebris circumfusis,* ita *ut fortes in me* latronum *vires reformidem? Sed si istis* Cynthiæ *jussis moram attulero* latronum *metu, dolor erit mihi crudelior latronibus nocturnis. Si quando namque accidat, ut semel peccem, statim ab amica in annum integrum excludor; ipsa non habet erga me*

pro, omissa.' *Burm. Nulla* dant B. B. B. L.—3 *Offend.* Palatt. C. Com.—4 '*Nympha*, quod verum est, jam in primitus cusis legebatur.' *Broukh.* '*Nympha* Francc. Bon. Brix. Venet. *Nimpha* Ed. pr.' *Barth.* '*Lympha* male Groning. Ask. Dorv. 2. et reliqui codd. et Aldd. Junt. Mur. Colin. Gryph. Scal. aliæque. Sed *nympha* unus Reg. et alter Colb. (nam primus hic desinit Colb.) et Vicent. Venet. 2. Rheg. et Volsci edd. idque probarunt Heins. ad Ov. Ep. v. 31. et Bentl. ad Horat. III. Od. 13. 15. *Amœna* Groning. pro *An.* et *Cadent in pat.* meus 2. *Specus* præferebat Heins. l. c. et N. Prop. p. 730. [et Advers. p. 92.] Sed et *lacus* bene se habent [quod et astruit et tuetur Broukh.]' *Burm.* '*Nympha* codicum pars, et, si haberent omnes, ferrem, quanquam ridiculum est Nymphas cadere in lacum. Nunc codd. sequi malo, in quibus est *lympha.*' Lachm. *Nympha* dant B. B. B.—5 'Hæc sunt valde laxa. Scripserat, puto, Noster *me committamne.*' Broukh. *Abductis* Mentel. *Objectis* Heins.—6 *Et* Guy. *Cum* vel *Qui* Heins. vel *Nec.* F. legend. monet Burm. *An. . . . fata m.* Sed non probat Kuin. Voluit Burm. P. *Aut* ad Petron. cap. 21. quod est in Dresd.—7 Reponi ex Neap. jubet Lachm. *dist. hæc.*—8 *Scævior* Burm. 1.—9 'Contra omn. libb. faciunt, qui *Peccarem* scribunt, aut *Peccarim. Pulsus* valet, expulsus. Pro eo *passus* est in Reg. 2. et nostro 2. perperam.' *Broukh.* '*Peccarim* Guy. *At* Livin. *Passus* Palat. 1. Bon. perperam.' *Barth.* '*Peccarem* nonnullæ edd. *Tum sum* Ask. more scribend. *tum* pro *totum. Portus* Neap.' *Burm.*—10 Damnat Burm. *ulla*, quod in suo 2.—12 'Assentior Heins.

NOTÆ

3 *Candida qua geminas, &c.*] Arcem Tiburtinam geminis turribus eminentem significat. De qua Juvenal. Sat. XIV. 'Summa nunc Tiburis arce.' Virg. Æn. VII. 'Tela novant Atina potens, Tiburque superbum.'

4 *Nympha Aniena*] Anio sive Anien nobilis Italiæ fluvius, qui nascens e montibus Trebianorum agrum oppidumque irrigat Tiburtinum, ubi e sublimi in vallem subjectam delabens efficit cataractam, magnaque stagna, ac deinde per plana fluens tres lacus secum defert in Tiberim. Vulgo dicitur *Teverone.*

10 *Mansuetas non habet illa manus*] Non solet mihi ignoscere, sed sævit in me manibus; ut Eleg. 8. hujus libri: 'In me Projicis insana cymbia plena manu.'

Nec tamen est quisquam, sacros qui lædat amantes.
Scironis media sic licet ire via.
Quisquis amator erit, Scythicis licet ambulet oris,
Nemo adeo, ut noceat, barbarus esse volet.
Luna ministrat equis: demonstrant astra salebras:
Ipse Amor accensas præcutit ante faces.

mites manus. Attamen nullus est, qui sacratos amatores violet, iis *itaque tuto datur ire per medium* etiam *Scyronis iter. Quicumque amator fuerit, quamvis per Scythicas regiones iter faciat, nullus esse cupiet tam immanis et ferus ut* eum *lædat. Luna facilem præbet viam: sidera salebras ostendunt: Amor* etiam *ipse tædas præferens agitat. Rabies canum morsus rictibus diductis*

legenti ad Ov. XIV. M. 748. *medias his l. i. vias.*' Broukh. qui id cum Burm. edidit. '*Scyronis* Brix. Venet. Aldd. cett. Alii *si l.* cum Brix. Al. *quis l.* unde Heins. etiam refinxit *media, si libet, ite via. Si libet* quoque Guy. *Scilicet ire* Palatt. Guarn. quod firmat vulgatam.' *Barth.* 'In plerisque codd. et edd. antiquis *media si l. i. via,* et sic Groning. Leidd. Voss. 3. meus 2. Sed *vias ire* æque rectum ac *via. Media scilicet i. via* Neap. Ask. Voss. 1. 4. Dorvv. *Sic l.* Perr. v. c. Vat. 1. 2. *Sim l. ipse* cod. Heinsii.' *Burm.* 'Optime codd. tantum non omn. *media scil. i. via.*' Lachm. Nostram lect. dat Barth.—13 'Distinguitur hic Eleg. a super. in Posth.' *Barth.*—14 *Deo ut n.* Borr. Ask. Leid. 2. tres Voss. Dorvv. Burmm. Sic legebat Relandus: et astruit Burm. qui tamen vulgatam anteponit. *E. valet* Dorv. 2.—15 'Sic unus Reg. Quam lect. accipio vulgata non paulo meliorem.' *Broukh.* Accipiunt Vulp. Gött. B.B.B. Ceteri omn. codd. et edd. antiquæ *min. iter;* nec aliter affert Nestor in Vocab. p. 455. Et hoc optimum esse judicat Lachm. —16 'Passerat. legit *perculit,* quod non placet. Sed non est insuper habenda correctio Heinsii, *præcutit,* ad Ov. IV. M. 757.' *Broukh.* '*Percutit* Palatt. C. Com. Dresd. Brix. Venet. Aldd. Cant. cett. compositum pro simplici. *Pertulit* Guarn. quod f. pro *perculit,* quod Passerat. in suis invenit. *Præcutit* emendavit Guy. prob. Heins. recep. Broukh. Vulp. Gött. citra necessitatem. *Excutit* etiam volebat Heins. Advers. p. 326.' *Barth.* '*Excutit* Vat. 5. *Perculit* recte damnavit Broukh. *Percutit* in plurimis codd. cum primis ceterisque priscis edd. et sic conjecerat Franc. Sed assentior etiam Heinsio legenti *præcutit,* quod et Guy. volebat et Markl.' *Burm.* 'Vera

NOTÆ

12 *Scironis ire via*] Significat Propertius amatores ubique esse tutos ac inviolabiles, etiamsi iter facerent per media saxa Scironia, quæ sunt in Attica regione. Sciron enim fuit olim latro famosus viam obsidens, quæ ducit ab Isthmo Corinthiaco in Atticam et Megaram, ubi rupes angustæ, quæ ab eo Scironiæ et Scironides petræ dictæ sunt, ubi dicitur Sciron viatores spoliatos in mare præcipitasse. Latronem hunc Scironem Theseum interemisse narrat Plutarchus in Theseo.

15 *Luna ministrat*] Lucis suæ ministerio Luna sideraque viam eunti præbent facilem, locaque aspera demonstrant.

16 *Ipse Amor*] Ipse Cupido, tutelaris Deus amantium, tanquam facularius minister, faces præfert ac concutit amatori nocturnum iter facienti.

Sæva canum rabies morsus avertit hiantes.
  Huic generi quovis tempore tuta via est.
Sanguine tam parvo quis enim spargatur amantis
  Improbus? exclusis fit comes ipsa Venus:
Quod si certa meos sequerentur funera casus,
  Talis mors pretio vel sit emenda mihi.
Afferet huc unguenta mihi, sertisque sepulcrum
  Ornabit, custos ad mea busta sedens.

hiulcos alio convertit ab amatoribus. *Isti* hominum *genti quolibet tempore iter est securum, ac tutum. Quis namque* est tam *perditus et crudelis*, ut *tam exiguo amatoris cruore velit contaminari? Repulsos* ab amica *comitatur ipsa Venus*, ac tuetur. *Quod si certum exitium meis* viæ nocturnæ *periculis contingeret, hujusmodi interitus vel sit mihi* etiam *pretio mercandus*. Ubicumque moriar, Cynthia *afferet mihi aromata, ac* meum *tumulum floribus decorabit*

lectio *præcutit*.' Kuin. Id rectum esse judicat Lachm.—17 *Scæva* Burm. 1. *Advertit* Dorv. 2. *Avertat* Burm. 2. in quo *hiantis*, ut in Mentel. Dorv. 1. *Eunti* Markl.—18 *Nunc g*. Vat. *Quo vis* Burm. 2. *Cuiris* Voss. 3. *Data v. e.* Borr. Voss. 1. 4. Ask. Dorv. 1. Burmannianus.—19 *Quid* Ask. 'Struchtmeyer. Obss. Crit. II. 10. *parvus sanguis* explicat, parva cædes. Legere tamen mavult *pravo ... exclusis it*.. Ingeniose, neque tamen, ut opinor, vere. Præterea hoc distichon post vs. 14. collocand. statuit.' *Kuin*.—20 '*In cursu* pro *exc*. Broukh. male.' *Barth*. '*Sit* Mentel. et meus a m. pr. *Expulsis* legi posset pro *exclusis*. Sed vid. ad I. 5. 20.' *Burm*. 'Boltius in Sylv. Crit. p. 78. astipulatur Struchtm. legenti *it*.' Kuin. 'Repone *et cursus*. Hanc conj. feceram, cum simile quid, sed minus probabile, Broukhusio in mentem venisse vidi. VV. DD. frustra *it* reponere gestiunt. Abeant cum sua elegantia.' *Lachm*.—21 *Quid* malit Burm. cum Heins. *Vulnera* Regius. *Cursus* Markl. sed damnat Lachm.—22 'Cum Heins. aliisque præstiterit *Tali*, ut est in Vat. 5. Leid. 1. et Aldina Mureti. Et sic Markl. et Valcken. ad Eur. Hipp. 441.' *Burm*. Male et contra sensum, judice Lachm.—23 *Hoc* Leid. 1. et Voss. 3. a m. sec. *Hæc* Guy. Lachm. *Certisque* Venet. ap. Barth. Totus hic vs. deest in Neap.—25 *Nec* Dresd. Regg. Mentel. Borr.

NOTÆ

23 *Afferet unguenta mihi*] Morem tangit Romanorum, qui mortuorum ungere corpora solebant, ut testatur etiam Virg. Æn. VI. 'Corpusque lavant frigentis et ungunt.' Unde etiam illud Martial. in Fabullum III. 12. 'Qui non cœnat, et ungitur, Fabulle, Hic vere mihi mortuus videtur.' Duplicem igitur ad usum afferri cupit Propertius unguenta, tum ad ungendum corpus, tum ad spargendum rogum ac tumulum. Diximus enim supra II. 13. consuevisse Romanos in rogum corporum cremandorum odores, unguenta, floresque injicere, quod etiam testatur Tibullus I. 3. 'Non soror Assyrios cineri quæ dedat odores.'

Sertis sepulcrum Ornabit] Solebant etiam mortuorum tumulos exornare. Unde Æn. V. Anchisæ patri parentans Æneas: 'Purpureosque jacit flores, ac talia fatur,' &c. Tibull. noster lib. II. Eleg. ult. 'Illa mihi sancta est; illius dona sepulcro Et madefacta meis serta feram lacrymis.'

Di faciant, mea ne terra locet ossa frequenti,
  Qua facit assiduo tramite vulgus iter.
Post mortem tumuli sic infamantur amantum.
  Me tegat arborea devia terra coma.
Aut humet ignotæ cumulus vallatus arenæ.
  Non juvat in media nomen habere via.

custos assidens meo rogo. Faxint Superi, ne corpus meum componat in *loco celebri, per quem vulgus assiduo itinere commeat. Ita post obitum amatorum sepulcra diffamantur. Me contegat humus infrequens arborea coma. Vel sepeliar tectus arena in ignoto littore. Nihil* enim *prodest nomen* sepulcro inscriptum *circa viam publicam celebrari.*

Ask. Leidd. tres Voss. Dorvv. Burm. 1. Brix. Venet. 2. Rheg. et Volsci ed. —29 '*Humer i. cumulis* Palat. ap. Gebh. qui et in edd. hanc lect. se reperisse scribit; et sic utique expressum inveni in Morell. æque ac Silv. Lond. Cant. Eod. alludit Dresd. legens *humeri*. *Tumulus* C. Com. Guarn. unde Guy. *Aut humet .. tumulus*.' Barth. '*Humer i. cumulis Vallatus* v. c. Fruterii et Passeratii, Leid. 2. Vat. 5. Neap. *Humer* etiam Dorv. 2. Corrupte in meo 2. *Aut i. humor cumulis*. *Humor* 1. *Tumulus* Reg. 2. Mentel. Groning. Voss. 3. *Cumulus* Voss. 4. Dorvv. edd. pr. Non incommode recipi posset *A. humer i. cumulis*.' Burm. 'Burmanno assentior alteram scripturam præferenti *A. humer i. cumulis*. Hæc lect. et ipsa bona, bonos libb. præ se fert, Palatt. et Neap. nisi quod in hoc male scriptum est *humeri*. [Cf. sup.] *Cumulis* ex eisd. libb. adoptamus, quia in proximo disticho erant 'tumuli amantum.' Quæ si cui levior ratio videbitur, me non nolente reponat *tumulis*.' Lachm. —30 *Me j.* Burm. 2. contra Poëtæ mentem, illo judice.

NOTÆ

28 *Devia terra*] Inter frondes et arbores extra viam publicam in loco secreto ac devio vult sepeliri Propertius, ut jam II. 13. dixit: 'Et sit in exiguo laurus superaddita busto, Quæ tegat extincti funeris umbra locum.'

30 *Nomen habere via*] Solebant veteres juxta viam publicam mortuis erigere monumenta; ut testatur cum Propertio nostro Varro lib. v. de L. Lat. 'Monumenta,' inquit, 'a monendo, et ideo secundum viam, ut prætereuntes admoneant, et se fuisse, et illos esse mortales.' Solebant etiam mortuorum incidi nomina sepulcris, ut diximus II. 1. ad illud: 'Et breve in exiguo marmore nomen ero.'

ELEGIA XVII.

AD BACCHUM.

Nunc, o Bacche, tuis humiles advolvimur aris;
  Da mihi pacato vela secunda, pater.

Nos jam, o Bacche, supplices prosternimur ad altaria tua; o *pater*, *concede mihi*

2 'Sic noster 1. Legebant Dousa P. et Aur. *pacatus*, quod poterat defendi.

Tu potes insanæ Veneris compescere fastus;
  Curarumque tuo fit medicina mero.
Per te junguntur, per te solvuntur amantes.
  Tu vitium ex animo dilue, Bacche, meo.
Te quoque enim non esse rudem, testatur in astris
  Lyncibus in cœlum vecta Ariadna tuis.

tranquillo felicia lintea. Tu vales coërcere furentis Veneris superbiam, et vinum a te inventum remedium est ægritudinum. Per te sociantur, per te etiam *divelluntur amici. Tu curam aufer,* o *Bacche, ex animo meo. Namque etiam te non esse* amoris *imperitum testis est Ariadne inter sidera per tuos lynces in cœlum translata.*

Groning. habet *baccato;* noster 2. *bacchato*, quod verum est.' *Broukh.* '*Pacato* plur. codd. inque his Dresd. *Paccato* Guarn. unde possit ortum videri *baccato* Posth. tandemque *bacchato*, quod a Gött. recept. Sed Vulpius *pacato* edd. vett. revocavit: recte.' *Barth.* '*Pacato* plerique Mss. et edd. pr. easque secutæ, unde *pacatus* Heinsio placebat. Non male legi posset *lymphato*.' Burm. *Bacchato* emendavit et Palm. et dant B. B. B. L.—3 'Gebh. e Palatt. et C. Com. reponit *componere*. Mihi, si quid mutand. non displicet *fluctus*, quod pro *fastus* alicubi legi testatur Passerat. et hac ratione admittam *componere*. Sed Passerat. librum, unde suum istud depromserit, nullum nominat: alioqui *fluctus* optime conveniunt Veneri e pelago natæ. Sed satius est ut nihil mutemus.' *Broukh.* *Componere curas* Ask.—5 *Certe j.* nonnulli Mss. quos inter Burm. 1. Vulg. tuetur Burm. *Amores* Dresd.—6 *Vinum* Vossianus. *Delue* Mentel.—7 '*Teque horum non* Heins. Dudum est quod ad Lotich. p. 667. conjecerim legend. *test. amoris*.' Burm. 'Burmanno bis id. dici querenti vir eruditus peraptum l. opposuit I. 11. vs. 11. 12.' *Lachm.*—8 'Lactant. I. 10. libros nostros vetustos erroris convincit, in quibus *ad c*.' Broukh. '*Ad c.* Vat. Posth. Palatt. Dresd. Ed. pr. Brix. Venet. *Inc.* [sic expressum habet Barth.] Aldd.' *Barth.* '*Ad c.* Regg. Colbertt. [sed cf. Burm. sup. ad 16. 4.] Mentel. Neap. Ask. Voss. 1. 4. Dorvv. et mei, et priscæ edd. Pro *Lync.*

NOTÆ

1 *Nunc, o Bacche*] Ad solicitudines amovendas, curasque amoris a se propellendas suppetias implorat auxiliumque petit a Baccho, cujus se laudes decantaturum pollicetur. Bacchus porro, qui et Liber pater, Bromius, Lenæus, Lyæus, et Dionysius dictus est, fuit Jovis ex Semele filius, vini inventor, unde et pro ipso vino sæpius sumi consuevit.

2 *Vela secunda*] Metaphorice Liberi patris favorem ac auxilium implorat. Eodem fere sensu Virg. Geo. I. 'Da facilem cursum, atque audacibus annue cœptis.'

5 *Per te junguntur, &c.*] Quia nimirum, ut ait Ovid. Rem. Am. 805. 'Vina parant animum Veneri, nisi plurima sumas.' Sed sæpe etiam dissidia et rixæ ex vino, unde et Propert. lib. II. Eleg. ultima: 'Polluit ille Deus cognatos, solvit amicos.'

8 *Lyncibus in cœlum vecta Ariadna*] Lynces, sicut et tigres et pantheræ, feræ sunt Baccho dicatæ, ut etiam cum Propertio testatur Ovid. Metam. III. 'Quem circa tigres, simulacraque inania lyncum.' Idemque Metam. IV. fere statim ab initio: 'Tu bijugum pictis insignia frænis Colla premis Lyncum: Bacchæ Satyrique sequuntur.' Hoc autem loco Propertius significat ipsam etiam Ariadnen in cœlum fuisse devectam, quanquam ceteri scriptores id de ejus tantum corona scribunt. Catull. in coma Be-

Hoc mihi, quod veteres custodit in ossibus ignes,
  Funera sanabunt, vel tua vina, malum.
Semper enim vacuos nox sobria torquet amantes;
  Spesque, timorque animum versat utroque meum.
Quod si, Bacche, tuis per fervida tempora donis,
  Arcessitus erit somnus in ossa mea,

Tuum saltem merum, quod mors est amoris, *medebitur isti maxime malo, quod inveteratos mihi servat in medullis amores. Jugiter namque nox vino vacua cruciat amica carentes amatores, et spes et metus mentes* eorum *agitat in utramque partem.* O *Bacche, quod si tuo munere, dum mihi vino caput incaluerit, advocatus venerit sopor in corpus meum, ego* tibi *vineas plantabo, et colles ordine conseram,*

Heins. ad Ov. III. F. 414. affert *Tigribus.* Sed sine cod. ullius consensu quid opus erit immutare? Absurde *Adriana* Mentel. Neap. duo Voss. unus Dorv. meus 1.' *Burm.* 'Scribe *in c.* quia 'in astris' antecesserat.' *Lachm.*—10 'Omn. libb. *aut:* parum refert. Parr. hunc vs. laudans, *vel tua dona* protulit Ep. XXXIII. utrum e libro, an vero errore memoriæ, non habeo dijudicare.' *Broukh.* Id difficile dictu esse statuit Barth. qui monet *ut* esse in C. Com. et Dresd. '*Vel* Calph. jam dedit et post eum Beroaldus. Calderinus in Elucubratione in Propertium: 'Puto legend. *vel.*' Libri omn. et Volscus, qui a. 1488. *ut* dedit, a. 1482. Latinitate sic postulante *aut* exhibuit.' *Lachm.*—12 '*Spesque ... modo.* In libris nihil sani, nisi quod Groning. habet *animum vexat utrinque meum.* Lege *versat*, et habebis rem factam. Passerat. et Gebh. malebant *utroque:* nec valde repugno. Sane et pr. edd. id habent.' *Broukh.* '*Animos* [sic expressum habet Barth.] *vexat utrinque meum* Posth. *Meo* Palat. 1. *Meum* C. Com. *Animo versat utroque meo* Bon. *Animo versat utroque modo* Dresd. *Utroque* est, in utramque partem. *Utroque modo* Brix. Venet. Aldd. cett. Vulp. Gött.' *Barth.* '*Animo* unus Colb. Leid. 1. Voss. 1. 4. meus uterque: sed *animum* Voss. 2. Dorv. 2. in quo etiam *utrumque. Spesque timor qui animum versat uterque modo* Reg. 1. *Animo versat utroque* modo in prr. aliisque vetustioribus edd. et Ask. ut afferunt etiam Oct. Mirand. in Virid. Poët. et Alb. Eyb in Margar. Poët. cap. 18. *Utroque modo* Leidd. tres Voss. Dorv. 1. et meus uterque. Heins. in marg. ed. Ald. in qua etiam *animo versat utroque modo*, conj. *animos*, ut in Vat. 1. *Animum versat utrinque meum* Perr. v. c. Vat. 1. 2. 5. *Animum vexat utrinque meum* Groning. Vera procul dubio est lect. recepta, *animum versat utroque meum.*' Burm. *Versat* veram esse lect. pronuntiat Kuin. Nostram lect. dant Broukh. Burm. Lachm. qui eam verissimam vocat.—14 '*Accersitus*, inveterato plerumque in Mss. errore, hic in omn. fere codd. et edd. vetustis: sed *Arcessitus* scribend. ubique esse, dudum a VV. DD. monitum est.' *Burm.*—15 '*Coles* vel *Cultas*

NOTÆ

venices: 'Scilicet in vario ne solum limite cœli Ex Ariadneis aurea temporibus Fixa corona foret.' Ovidius Fast. v. 'Bacchus amat flores; Baccho placuisse coronam Ex Ariadneo sidere nosse potes.' Vide etiam Ovid. Metam. VIII. et Art. I. et II. ubi tota pluribus verbis fabula refertur.

11 *Nox sobria*] Nox abstemia, quæ temeto caret, ideoque, ut supra dixit, pervigilanda.

14 *Somnus in ossa*] Merum largius ac liberalius sumtum conciliat somnos, curasque levat, ut etiam testatur Ovid. Fast. I. 'Nox erat, et vino somnum faciente jacebant.'

Ipse seram vites, pangamque ex ordine colles,
  Quos carpant nullæ, me vigilante, feræ:
Dummodo purpureo spument mihi dolia musto,
  Et nova pressantes inquinet uva pedes.
Quod superest vitæ, per te et tua cornua vivam;
  Virtutisque tuæ, Bacche, poëta ferar.
Dicam ego maternos Ætnæo fulmine partus,
  Indica Nysæis arma fugata choris;

quos nullæ pecudes, me diligenter custodiente, detondeant. Dum mihi musto rubro cadi spumescant, ac uva recens inficiat plantas calcantes; quod mihi *reliquum est vitæ traducam per te,* o *Bacche, tuaque cornua, tuæque præco laudis, nominis, ac beneficentiæ prædicabor.* Ipse *ego canam maternos* tuos *partus* cum *Ætnæo fulmine, Indorumque acies Nysæis agminibus fractas, ac frustra sævientem in vites*

Quas tentabat Heins.' *Barth.* '*Feram* male Mentel. *Peragamque* id. et Groning. *Cultus Quas* Heins. Guy. vero *I. s. colles, pangamque ex o. vites Quas. Colles* non immerito visa iis corrupta lect. Melius placet Patrui mei conj. ad Calpurn. II. 49. *caules*, ut *coles* scriptum fuerit.' *Burm.*—16 *Capiant* Ask. Vulg. tuetur Burm.—17 '*Numerem* Brix. quod quia in suis quoque invenit Passeratius, *superent* conjecit.' *Barth.* '*Jum modo* vel *Demodo* correxisse Guyetum testatur Heinsius [qui id improbat,] N. Prop. p. 781. Sed quis ferat illud *Demodo* Propertio obtrudi? Ipse, ni fallor, præferret *Da modo*. *Tum, modo* conjecerat Markl. sed *Dummodo* potius retinend. Pro *spument* male *numerem* in Regg. et Palatt. et huic lect. favet compendiosa Neap. codicis scriptura, in quo *Num̄*. et aliorum *numen*: ut in [Dresd. et] Mod. Exc. In Ask. *purpuree numeram*. In Venet. 2. Rheg. Volsci, prima Aldi, Junt. ac Colin. etiam *numerem mihi*: et *Dum modo* separatis vocibus, ut in meo 2. sed in Vicent. et Ber. *spument mihi*: quod secutus Aldus in secunda ed. Gryphius et alii. Neque facile elegans hoc verbum Propertio eripi vellem. *Mea dolia* Perr. v. c.' *Burm.*—18 '*Præsentis* Posth.' *Barth.* '*Pressantis* Neap. Mentel. Exc. Scal. Voss. 1. Ask. meus 2. et pr. edd. ut et Volsci ac Ber. *Presentis* vitiose in Groning. [Cf. sup.] sed *pressanteis* vel *pressantes* Aldd. Junt. Colin. Rouill. Gryph. et reliquæ: quod poëticum magis.' *Burm.*—19 *Q. s. in te* in pr. edd. *Tua munera* Franc. conjecerat: sed vulg. vindicari ab Ov. III. F. 499. notat Burm.—20 *Virentisque* Voss. 4. *Feram* Heinsian.—21 *Ætneo flum.* Burm. 1. *Æterno* Reg. 2. ut in primis aliisque

NOTÆ

16 *Quos carpant nullæ feræ*] Alludit ad illam fabulam tantopere decantatam de capro qui vitem arroserat, de quo Ovid. Fast. I.

19 *Per te et tua cornua*] Binis cum cornibus Bacchum fingi notum est, ac vulgatum; unde et illud: 'Accedant capiti cornua, Bacchus eris.' Alii vero bina cornua tribuunt Baccho, ut ejus duplex virtus significetur, inventio nimirum vini, vomeris, et aratri. Festus vero ait: 'Cornua Liberi simulacro adjiciuntur, quod homines nimio vino truces fiant.' Apollodorus lib. III. scribit ideo cornua tribui Baccho, quia Jupiter eum vertit in hædum, ut Junonis vitaret insidias. Alii dicunt ideo cornutum, quasi taurum fingi Bacchum, quia nimio vino calentes iracundi sunt, protervi, ac petulci, veluti tauri. Alii denique Baccho cornua affingunt, quia cornibus antiqui pro poculis utebantur.

21 *Ætnæo fulmine partus*] Duplices dicit partus Bacchi; nam primus ejus

Vesanumque nova nequicquam in vite Lycurgum;
Pentheos in triplices funera grata greges;

Lycurgum, Pentheique membra discerpta tergeminis cœtibus jucunda, et nautas

edd. *Atento* Dorv. 1. *Ethneo maternos* Ask. sed *Ætneo fulm.* Vat. 2. 5. ceterique codd. Bene, judice Burmanno, Heins. legebat *Ætnæo a fulm. partus, Indaque, &c.*—24 *Panth.* C. Com. *Fulmina grata* Dorv. 2. quod repetitum ex præcedd. judicat Burm. *Tracta* in aliis legi notat Passeratius,'qui *rapta* conj. quod placebat etiam Guyeto. *Carpta g.* vel *sparsa rogos* legebat Heins.—25

NOTÆ

partus fuit, cum mater ejus Semele fulmine percussa abortum ejecit: deinde cum illum femori suo insertum maturo partus tempore, more gravidæ mulieris, Jupiter iterum edidit in lucem. Unde etiam Bacchus bimater et bis genitus dictus est. Ovidius fabulam Semeles retulit Metam. III. 308. 'Corpus mortale tumultus Non tulit æthereos, donisque regalibus arsit. Imperfectus adhuc infans genitricis ab alvo Eripitur, patrioque tener (si credere dignum) Insuitur femori, maternaque tempora complet.' 'Ætnæum' porro dicitur fulmen, quod in Ætna Cyclopes fulmina fabricare fingantur; unde et Virg. Æn. VIII. Cyclopes vocat 'Ætnæos.'

22 *Indica Nysæis arma fugata choris*] Bacchus dicitur orbem totum ferme terrarum peragrasse, multas gentes domuisse, Indosque etiam debellasse, primumque elephantis vectum triumphasse. 'Nysæos' porro vocat choros Satyrorum, Silenorum, ac Mænadum Bacchi comitum choreas agentium greges, de quibus supra diximus ad II. 32. qui quidem Bacchi Comites 'Nysæi' dicuntur, vel quia, ut ait Apollodorus lib. III. delatus est a Mercurio jussu Jovis Bacchus recens natus ad Nymphas, quæ Nysam urbem incolebant, ut ipsum nutrirent: vel quia, ut habet Hyginus Fab. CLXVII. Nyso cuidam datus est educandus a Jove Bacchus, unde et Dionysius dictus est. Nysam porro urbem alii, ut Plin. V. 18. juxta Arabiam a nutrice Bacchi ibi sepulta sic dictam collocant; alii Nysam urbem Indiæ ascribunt, ut idem etiam Plin. VI. 21. ait: 'Necnon et Nysam urbem plerique Indiæ ascribunt, montemque Merum Libero patri sacrum, unde origo fabulæ Jovis semine editum.'' Strabo vero lib. XV. sicut et Plin. VIII. 39. Nysam dicit esse montem Indiæ Libero patri sacrum, in quo nempe nutritus esse dicitur. Nysa etiam Straboni vicus est ad Heliconem in Bœotia, Baccho sacer. Denique certo certius est a Nysa Bacchum fuisse dictum 'Nysæum,' omnesque ejus comites Satyros, Mænadas, Silenosque inde etiam cognominatos fuisse 'Nysæos.'

23 *Vesanumque Lycurgum*] Lycurgus rex fuit Thraciæ, qui, quod Thracas omnes immoderate vino deditos esse videret, vites omnes toto suo regno jussit excidi, ut refert Plutarch. opuscul. de Poëtarum utilitate. Hinc datus est locus fabulæ Lycurgum infestissimo Bacchum odio prosecutum fuisse. Hinc etiam Lycurgum eundem dicit Propertius in vites 'vesanum,' furentem, ac sævientem.

24 *Pentheos in triplices greges*] Pentheos Græcus est genitivus, pro *Penthei*. Pentheus vero filius fuit Echionis ex Agave filia Cadmi, qui, quod Bacchi sacra aspernaretur, misere discerptus est a tribus Mænadum seu Baccharum gregibus, quorum primum Agave, mater ejus, duos alios Ino et

Curvaque Tyrrhenos delphinum corpora nautas
  In vada pampinea desiluisse rate.
Et tibi per mediam bene olenti flumine Naxon,
  (Unde tuum potant Naxia turba merum,)
Candida laxatis onerato colla corymbis
  Cinget Bassaricas Lydia mitra comas.

Tyrrhenos ita Delphinum panda corpora mutatos in mare exsiluisse e navi pampinis exornata; fluviosque tibi suavissimum odorem spirantes per mediam tuam *Naxon, e quibus vinum a te profusum Naxii incolæ bibunt. Nivea tua e cervice ornata vagis ac pendentibus hederæ baccis,* tibi *vinciet infula Lydia crines Bassaricos; tibi*

In corp. Dorv. 2.—26 *In v. fluminaque* Harl. *Desiliisse* Neap. *Dissiluisse* in prr. et aliis vetustis edd. cum Vat. Posth. Dresd. Sed *desil.* esse veram script. pronuntiat Burm. quod est in C. Com. An f. *nactos* pro *nautas*, quærit Burm. —27 '*Benecolenti flumine* Scalig. *Venientia flumina* Guy.' *Barth.* '*Bene olenti flumine* correxit Scalig. pro *bene olentia flumina*, ut in prr. et reliquis antiquioribus legebatur edd. et sic in omnibus meis codd. Excerptis. *Fusaque per m.* Heins. quod displicet.' *Burm.* 'Acquiescend. in Scaligeri emendatione.' *Kuin.* 'Bene habet scripta lect. *olentia flumina.*' Lachm.—28 Parenthesi hunc vs. includit et Scaliger; quod reddere clariorem sensum pronuntiat Burm. *Potat noxia* Groning. *Portat noxia* Ask. *Potat maxima* unus Reg. *Naxia* etiam Mentel. Dorv. 2. Burm. 1. *Potant Naxia* in ceteris, ut in prr. easque secutis edd. legitur: quod defendit Burm. Maximum Lachmannus, medium Barthius, minimum Broukh. et Burm. punctum exhibent post 'merum.'—29 *Lascivis* Marklandi non valde arridet Burmanno. *Lassatis* C. Com. Dorv. 2. Exc. Scal. *Onerata* Dresd. *Onerabo* Vat. 5. quod legit Passeratius, at damnant Burm. et Barth.—30 'Sic optime Beroaldus. Priores et

NOTÆ

Autonoë, Agaves sorores, ducebant; unde Propertius dicit funera seu mortem Penthei fuisse tribus gregibus gratam. Ovid. Met. III. 'Prima suum misso violavit Penthea thyrso Mater: Io, geminæ, clamavit, adeste sorores.'

25 *Curvaque Tyrrhenos, &c.*] Scribit Apollodorus lib. III. Bacchum olim conduxisse navem prædatoriam Tyrrhenorum, ut ex Icaria insula Naxon transmitteret. Cum autem Tyrrheni, relicta Naxo, Bacchum vellent in Asiam asportare, ut eum venderent, hanc ob rem iratum numen eorum oculis serpentes, lynces, ac tigres objecit, qui, seu timore seu furore perciti, in mare præcipites exsilierunt, ac in delphines sunt transformati. Paulo aliter fabulam illam refert Ovid. Metam. III.

26 *Pampinea rate*] Navis, qua vehebatur Bacchus, dicitur 'pampinea,' quia nimirum eam pampinis ac hedera ornaverat, tibiarumque sonitu repleverat.

27 *Naxon*] Naxos seu Naxus insula est maris Ægæi, ex Cycladibus una, Strongyle quondam, ac etiam Dia vocata, vitibus ac vino fertilissima, unde non mirum si dicatur Baccho sacra. In insula Naxo relicta Ariadne a Theseo nuptias cum Baccho fecit. Fabulati sunt autem in Naxo vino fluere fontem fluviosque, quos incolæ potarent, quod nimirum summa vini copia illa insula abundaret.

30 *Bassaricas Lydia mitra comas*] *Lydi*, seu Mæonii, Lydiæ, quæ et Mæonia dicta est, incolæ, *mitra* inter ceteras gentes inprimis usi sunt, unde recte dicitur 'Lydia mitra' cingere caput Bacchi, qui dictus est Bassa-

Levis odorato cervix manabit olivo;
  Et feries nudos veste fluente pedes.
Mollia Dircææ pulsabunt tympana Thebæ:
  Capripedes calamo Panes hiante canent.
Vertice turrigero juxta Dea magna Cybebe 35
  Tundet ad Idæos cymbala rauca choros.

molle collum odorifero diffluet unguento, nudatosque tibi *talos effusa laxaque palla percutiet. Thebæ Dircæa cava tympana ferient;* tibi quoque *Panes capripedes hiulcis arundinibus concinent. Cybele* etiam *Diva potens turrito capite* tibi *raucisona crotala pulsabit apud cœtus Idæos. Ad templi* tui *valvas aurea patera sacer-*

---

scripti, ni fallor, omnes habent *Cingit. Cingat* C. Com.' *Lachm.*—31 *Levis* Groning. Dorv. 2. *Levis* v. c. Frut. Burm. 2. et alii cum vetustis edd. Sed *Lævis* Leid. 1. *Cujus od. manebat cervix* Ask.—32 *Udos* Frut. Heins. *Nitidos* Passerat. quod rejicit Broukh. cum Burm.—33 *Tympana* et *cymbala* (vs. 36.) commutant Burm. Lachm.—35 'Non *Cybelle* legend. sed *Cybebe:* quam rem firmissimis rationibus demonstravit Gudius in Phædr. III. 20.' *Broukh. Currig.* damnat Burm. quod in Voss. et *thurig.* quod in uno Colb. et *justa*, quod in ed. Scal. Dein, addit ille, *cibele, cibelle, cibille* solita depravatione in

NOTÆ

reus, seu Bassarus, a quodam genere vestis ad talos demissæ, qua Bacchus utebatur, et quam Thraces vocabant Bassaram: vel a vulpibus, quarum pellibus Bacchæ cingebantur: vulpes enim Thraces vocant Bassares. Acron autem et Porphyrio Bassareum dicunt, a genere vestis cui nomen *Bassaris*, quæ vestis, inquit Acron, ad pedes usque demissa dicta est a Bassara loco Lydiæ, ubi fit. Bassarides etiam vocatæ sunt Bacchæ, seu Mænades, a Bassareo.

33 *Dircææ Thebæ*] Dircææ dicuntur Thebæ Bœotiæ a fonte Dirce, in quem mutata dicitur fuisse Dirce Lyci, regis Thebarum, uxor.

34 *Capripedes Panes*] Faunos, Satyros, Silenos, Lares, et Sylvanos vocat numero multitudinis Panes, tum quia Panis, sylvarum agrorumque Dei tutelaris, comites erant ac ministri, tum quia hi, qualis Pan fingebatur, humano capite, sed cornuto, pedibus caprinis, toto corpore villoso, repræsentabantur; unde et Poëta dixit 'capripedes Panes,' quomodo dixit etiam Virg. in Culice: 'Viridi ludentes Panes in herba.' Pan autem, Sileni, Fauni, Satyrique inter Bacchi ministros ac comites a veteribus numerabantur; ut vidimus supra Eleg. 8. hujus libri.

35 *Vertice turrigero Cybebe*] Cybele Cœli et Terræ filia, et uxor Saturni fingitur, aliis nominibus Ops, Rhea, Vesta, Magna Mater, Dyndymene, Mater Deorum, Idæa, Dea Phrygia, Pessinuntia, et Berecynthia appellata. Dicitur autem turrigera, turrigerumque habere caput Cybele, quia tellus, sive terra est, in qua sunt urbes et oppida. Lucretius lib. II. 'Hanc veteres Graium docti cecinere poëtæ Sublimem in curru bijugos agitare leones; Aëris in spatio magnam pendere docentes Tellurem, &c. Muralique caput summum cinxere corona, Eximiis munita locis quod sustinet urbes.' Inducit autem Poëta Cybelen laudes etiam Bacchi celebraturam, quia sacra Cybeles, sicut et Cereris, multa habent communia cum sacris Liberi patris, ut scribit Strabo lib. X. Ipse Propertius IV. 7.

36 *Ad Idæos choros*] 'Chori'. di-

Ante fores templi crater antistitis auro
Libatum fundens in tua sacra merum.
Hæc ego non humili referam memoranda cothurno;
Qualis Pindarico spiritus ore tonat.
Tu modo servitio vacuum me siste superbo,
Atque hoc solicitum vince sopore caput.

dotis oblatum tibi vinum in tuis sacrificiis effundet. Ipse *ego ista celebranda canam sublimiori socco, quomodo vis ac facultas pungendi carminis Pindarica voce detonat. Tu nunc liberum ac immunem me redde ab injusta gravique servitute, meumque caput curis anxium somno opprime.*

libb. manu exaratis: sed *Cybebe* scribend.—36 *Tundet* verissime a Scalig. restitutum censent Burm. Lachm. et recte id Canterum legisse notat Barth. Ita correxerat et Frut. et dant B. B. B. L. *Fondet* Palat. 1. *Fundet* multi codd. et vetustiss. edd. *Fundat* affert Guellius ad Virg. IX. Æn. 112. *Thoros* damnat Burm. quod in Dorv. 1.—37 *Craterque* Borr. Burm. 1. *Cratere* Groning. *Cratera* Vat. 5. *Crateræ* Dorv. 2. Legebat Heins. *cratere antistes et auro* vel *aureo*: sed eod. fere redire vulgatam judicat Burm. qui in vs. 38. legi etiam posse *fundet* pronuntiat.—40 'Groning. cum nostris *sonat*, frustra.' *Broukh.* Sic Voss. Ask. Dorv. 2. sed in quo *tonat* superscr. ut jam in prr. ceterisque vetustioribus edd.—41 *Tu mihi* Mentel. *Tu quoque* Dorv. 2. *Redde* pro *siste* Dresd.—42 Improbat Burm. *sapore*, quod conjecit Dousa in marg. ed. Rouill.

NOTÆ

cuntur 'Idæi' ministri sacerdotesque Cybeles, quæ Idæa vocata est, quod in Ida monte Phrygiæ summa religione coleretur, vel saltem coli cœpta fuisset.

37 *Crater antistitis*] Cum cratere aureo, mero pleno, sacra Bacchi celebrabant antiqui.

39 *Humili cothurno*] H. e. stylo carmineque grandiloquo ac sublimi, qualis poëtarum tragicorum est. Cothurnus enim fuit certum calceamenti genus, quo tragœdiarum actores utebantur in scena.

40 *Pindarico spiritus ore*] Pindarus, Græcorum Lyricorum princeps, spiritus magnificentia, carminisque inimitabilis excellentia, celebratur. Vide Quintilian. x. 1. Vell. Patercul. lib. I. Horat. Od. IV. 2. &c.

42 *Vince sopore caput*] Eodem sensu dixit noster Tibull. I. 2. 'Adde merum, vinoque novos compesce dolores, Occupet ut fessi lumina victa sopor.'

ELEGIA XVIII.

DEFLETUR MORS MARCELLI.

CLAUSUS ab umbroso qua ludit pontus Averno,
Fumida Baiarum stagna tepentis aquæ,

Qua parte mare divisum ab Averno sylvis opaco liquidos albuit lacus aquæ calidæ

In multis codd. huic El. præfigitur titulus, *Quod mors sit inevitabilis*, vel

Qua jacet et Trojæ tubicen Misenus arena,
Et sonat Herculeo structa labore via;

Baiarum, quaque parte sepultus dicitur in littore Misenus Trojæ tubicen, ac Her-

mortem esse inevitabilem. In Perr. v. c. *Defletur mors Marcelli.*—1 'Libb. fere *Clausus*, quod e suo cod. bene mutavit Scalig. *Plausus* et in Palat. 1.' *Broukh.* '*Clausus* Dresd. cum Venet. Aldd. Cant. cett. *Claudus* Bon. *Plausus* placuit Scalig. et Casaub. ad Pers. S. vi. p. 515. Vulp. tamen *Clausus* præfert, jure.' *Barth.* '*Clausus* Regg. Colb. Leidd. Voss. 3. Borr. Groning. Dorv. 1. meus uterque, et priscæ edd. *Lausus* Voss. 1. Dorv. 2. In Ask. *Lausus ab . . . portus.* Guy. tentaverat *Clausus ad umbrosum qua ludit pontus Avernum.* Heins. vero variis conj. locum solicitavit, *Obvius umbroso, Haustus ab umbroso,* vel *Julius umbr. qua ludit portus;* sed deinde nihil mutandum, h. e. edd. veterum lect. *Clausus* retinendam recte judicavit; nam *Plausus* ex ed. Scal. dedit Broukhusius, quod et in Voss. 4. Pro *ludit* Perr. v. c. et Vat. 2. *lidit:* pro *allidit:* ut in Vat. 1. Auratus, Lambinus, et Canter. ad Lycophr. 694. et II. Nov. Lect. 14. legunt *qua alludit pontus Averno:* et sic excusum in Douss. Fruterius in Epistola ad Canter. in collectione Gabbemæ p. 831. *pontum ludere,* non *alludere,* exponit, pontum clausum ab umbroso Averno ludere: sed eod. fere redit, an *ludit* vel *alludit* legatur.' *Burm.* *Clausus* dant Burm. Lachm. —2 *Humida* plerique codd. et vetustæ edd. quod defendit Passeratius. Sed *Fum.* Scaligerum præclare restituisse pronuntiat Lachm. idque anteponunt Guy. Heins. Broukh. Burm. et dant B. B. B. L.—3 *Tubicen* Passeratius pro tubicine Trojano exponit, sed fere *liticen* e Stat. præfert. *Trous* Heins. vel

NOTÆ

1 *Clausus ab umbroso*] Hac Elegia Propertius mortem deflet Marcelli, qui filius Octaviæ sororis Augusti fuit, et qui, cum Ædilis esset, periit in Baiano secessu, annum agens ætatis vigesimum. Huic Augustus filiam suam Juliam desponderat, ejusdemque obitum Romani vehementer doluerunt. Mater ejus Octavia nullum flendi gemendique finem per totum reliquæ vitæ suæ spatium fecit, bibliothecamque ad memoriam filii prorogandam construxit. Marcelli quoque nomine theatrum Augustus ædificavit. Iste est Marcellus de quo dixit Virg. Æn. vi. 'Tu Marcellus eris,' &c.

Averno] Avernus lacus est Campaniæ, non procul a Baiis, quem Plutoni dicatum, Inferorumque limen esse rudis credidit antiquitas; unde non raro pro ipsis sumitur Inferis. Sensus igitur is est: Ubi, inquit, est Avernus, ubi sunt tepidi fontes Baiarum, ubi Misenum promontorium, ubi semita Herculea; iisdem in locis extinctus est Marcellus, cum magno crimine aquarum Baiarum, quæ cum dicantur saluberrimæ, Marcello tamen exitiales fuerunt ac funestæ.

2 *Fumida Baiarum*] Baiæ civitas est Campaniæ, secus mare sita, in cujus agro sunt aquæ calidæ, tum ad voluptatem, tum ad varios morbos commodæ. Fuit enim hæc urbs aëris temperie, Romanorum civium frequentia, ornamentisque ædificiorum celeberrima. Unde Horat. Epist. I. 1. 'Nullus in orbe locus Baiis prælucet amœnis,' &c.

3 *Trojæ tubicen Misenus*] Misenum designat promontorium, cui nomen dedit Misenus, Æneæ tubicen, ibidem sepultus; unde et Virg. Æn. vi. 234. 'Monte sub aërio; qui nunc Misenus ab illo Dicitur, æternumque tenet per sæcula nomen.'

4 *Herculeo structa labore via*] Diximus I. 11. quomodo Hercules viam seu aggerem construxerit in Cam-

Hic ubi, mortalis dextra cum quæreret urbes,
  Cymbala Thebano concrepuere Deo;
At nunc invisæ magno cum crimine Baiæ,
  Quis Deus in vestra constitit hostis aqua?
His pressus Stygias vultum demersit in undas;
  Errat et in vestro spiritus ille lacu.

culeo opere stratum iter teritur; in eodem ipso loco, in quo crotala crepitum ediderunt Divo Thebano, dum in suam vi et armis potestatem civitates orbis redigeret, obiit Marcellus. *Sed jam* vero, o *Baiæ grandi scelere odiosæ et infames, quis Deus hostis pedem posuit in vestris fontibus*, ut eos inficeret? *Iis* enim *obrutus* Marcellus *faciem depressit in aquas Stygias, ac in vestris stagnis ejus umbra vaga-*

potius *j. Euboica.* Conj. etiam *j. Œnotra.*—5 'Pessime Beroald. *conderet.*' Broukh. cui assentit Barth. qui addit: '*Mortali* Brix. *Mortales* tuetur Vulp. neque Broukh. loco moverat. *Dexter* Dresd.' '*Conderet* Perr. v. c. Colot. Vat. 1. 2. sed recte id rejec. Scaliger, et *quærere* pro, acquirere, occupare, interpretatur: et sic intelligebat Grut. ad Senecam auctoribus Epist, I. p. 575. ed. Commelin. Vitiose *quateret* Harl. *Dexter* Colb. Heinsius in ora ed. Ald. *verteret* conjecerat. Sed vellem Broukh. explicuisset, quomodo *urbes mortales* hic dicantur. Passerat. et Guy. *mortalis* legunt; quod est in Vat. 1. 5. meo 2. et prr. edd. Simplicissima videtur emendatio Schraderi, *mortali.* Heins. in N. Prop. p. 783. existimabat olim f. exaratum fuisse *Martalas dextro*, et adeo scribend. *Marte Italas dextro.*' Burm. 'Bene Guy. *mortalis*, Nihil præterea novand.' *Lachm.*—6 *Increp.* Bon.—9 'Unus Palat. *demersit*, quod passive ac poëtice sumi debet pro, demersus est. Passive extulit Min. Felix. In ead. re *submergendi* verbo utitur Ov. I. Amor. 9.' *Broukh.* '*Bis* Posth. Palatt. C. Com. Guarn. *Hic* quoque edd. Livin. Gebh. *Demisit* Dresd. al. et Brix. Venet. Aldd. cett. *προῖαψεν* sed huic non locus hic. *Demersit* est in Bon. cett.' *Barth.* 'Heinsius ad oram ed. Ald. ascripserat aliquid deesse huic El. Guyetus etiam ante h. vs. multa desiderari censebat, et hoc distichon habebat suspectum; improbante tamen Heins. in Notis p. 783. [et aliis.] *Bis* in Mentel. Vat. 1. Exc. Scal. Borr. Ask. tribus Voss. utroque Dorv. et prr. edd. *Is* ed. Volsci. Sed hæc indicant literam initialem vel turbatam vel omissam. *Hic* Guy. sed *His*, aquis nempe Baianis, depressus ad undas Stygias vultum demisit, ut recte exponit Heins. *Demisit* enim in Vat. 5. Borr. Groning. tribus Voss. Dorvv. meis, et priscis edd. *Demersit*, ut edidit Broukh. confirmatur a Regio. Simile illud de Daphnide ap. Theocr. I. 140. Oud. ad Lucan.

NOTÆ

pania, quo suos boves traduceret; quæ via dicta est Herculea. Hanc Augusti temporibus exornavit Agrippa.

6 *Cymbala Thebano Deo*] Hic Herculem, qui Deus fuit Thebanus, cujus nimirum patria fuit Thebæ Bœotiæ, Propertius intelligit. Duo namque fuerunt præcipua Thebanorum numina, Bacchus scilicet et Hercules. Dicuntur autem cymbala Herculi concrepuisse juxta Baias, quia in eadem regione, in campis nempe Phlegræis, olim gigantes devicit; ut jam supra diximus.

7 *At nunc invisæ Baiæ*] Baiæ, quæ prius ob amœnitatem omnibus erant jucundissimæ, nunc propter Marcelli mortem factæ sunt invisæ et infames.

9 *His pressus*] Marcellus oppressus Baianis aquis Stygias undas petiit.

Quid genus, aut virtus, aut optima profuit illi
Mater, et amplexo Cæsaris esse focos?
Aut modo tam pleno fluitantia vela theatro,
Et per maternas omnia gesta manus?
Occidit, et misero steterat vigesimus annus.
Tot bona tam parvo clausit in orbe dies.
I nunc, tolle animos, et tecum finge triumphos,
Stantiaque in plausum tota theatra juvent.

tur. Quid ipsi profuit avita gentis nobilitas, vel virtus, vel parens optima, illamque *fuisse amplexatum Cæsaris Penates? Vel nunc etiam* quid ipsi prosunt *velamina ventis agitata theatro tanta spectatorum turba referto, manibusque maternis cuncta administrata? Mortem obiit, currebatque infelici annus* ætatis *vigesimus: tot bona dies* una *tam exiguo* annorum *spatio circumscripsit. Vade jam, altosque gere spiritus, ac triumphorum spem apud te concipe, et cuncta theatra ad plausum assur-*

III. 41. *demersit* h. in l. etiam probat.' *Burm.* 'Guy. multa deesse judicat, cui Heins. astipulatur, quia Marcelli nomen nusquam exprimitur. Sed, si rectius distinguamus, erit hic quod nominis loco esse possit. Scribe *His ... vestro, spiritus, Ille, lacu.*' Lachm. *Demersit* dant B. B. B. L.—10 *Nostro* Dresd. sed superscript. *vestro*.—11 '*Quid opt.* Ask. f. pro *quidve opt.* repetitione non invenusta.' *Burm.* *Illa* Neap. a m. pr.—12 '*Amplexos* v. c. Scal. unde ille *amplexo* fecit, eleganti Græcismo. *Amplexum* vulgg. cum Dresd.' *Barth.* 'In Regg. Colb. Borr. Groning. Leidd. tribus Voss. Dorvill. 1. et meo, ac vetustis edd. *amplexum*: ut legitur etiam ap. Oct. Mirand. in Viridar. Poët. fol. 184. b. Vitiose *amplexos cineres* pro *Cæsaris* in Exc. Scal. unde ille *amplexo* correxit, quem secutus est Broukh. et probavit Heins. ad Ov. de Nuce 107.' *Burm.* *Amplexum* probum esse judicat Lachm. *Amplexo* dant B. B. B.—13 *Fluctuantia* Leid. 1. *Vella* Brix.—14 *Maternos manes* ed. Græv.—15 '*Hei m.* Guy. *Sat erat* Livin. ineptissime.' *Barth.* '*Ut m.* Heins. *Sat erat* Livin. infeliciter.' *Burm.*—16 '*Quam* Heins. quasi non liceat etiam apodeictice loqui.' *Barth.*—17 'In Colb. 2. nostroque 2. *centum f.* quod non videtur de nihilo. Sed et vulg. recta est.' *Broukh.* '*Centum* non male.' *Barth.* Male *animo* in meo 1. *Tecum* vindicat Heins. Notis p. 783. idque, præfert Patruus meus ad Phædr. II. 5. 25. *F. tumultum* perperam Voss. 4.' *Burm.*—18 'Exponens Cic. pro P. Sext. LV. Nic. Abramus nescio unde *fremant* scripserit, in adducto h. vs. pro *juvent*: quod non est mutand. ut Heinsio videbatur.' *Broukh.* '*Stantiaqui* Reg. *Impulsu* Voss. 3. *In plausu* Leidd. Voss. 1. Alterum vindicat Phædr. v. 7. 28. Pro *juv.* Heins. *move*, vel *fove*, aut

NOTÆ

12 *Amplexo Cæsaris focos*] Nihil Marcello profuit amplexum fuisse 'Cæsaris focos,' h. e. fuisse cum Cæsare arctissimo affinitatis vinculo conjunctum; quia nimirum ipsi fuerat desponsata Julia Cæsaris filia.

13 *Vela theatro*] Marcellus Ædilis non theatrum modo, sed etiam forum, velis inumbrasse, ut salubrius litigantes consisterent, narratur. Vide Plin. XIX. 1.

14 *Per maternas manus*] Commendat Marcellum a pietate, quod nimirum omnem ædilitatis suæ curam Octaviæ matri commendasset, quæ sapienter omnia administraverat.

18 *Stantiaque theatra*] In theatro spectatores assurgere solebant honoris causa plausum daturi. Cicero in Lælio. 'Stantes plaudebant in re

Attalicas supera vestes, atque omnia magnis
Gemmea sint ludis: ignibus usta dabis.
Sed tamen huc omnes: huc primus et ultimus ordo:
Est mala, sed cunctis ista terenda via.
Exoranda canis tria sunt latrantia colla:
Scandenda est torvi publica cymba senis.
Ille licet ferro cautus se condat et ære,
Mors tamen inclusum protrahit inde caput.

gentia te delectent. Aulæa Attalica vince, cunctaque magnis ludis gemmata sint; flammis hæc omnia tecum *inferes. Attamen illuc* etiam *cuncti* nos ibimus; *illuc princeps et infimus ordo* tendit: *illud* ad Inferos *iter odiosum est ac invisum, nihilominus* tamen *omnibus est calcandum. Triceps canis* Cerberus *est eblandiendus ne allatret; communis conscendenda ratis est trucis vetuli. Quamvis* autem aliquis, sibi *multum providus calliduque, sese ferro tegat et ære, attamen illinc letum caput*

suum, vel *tuum*: sed nihil mutand. recte notat Broukh. [cum Barth.] *T. te th.* Ask.' *Burm.*—19 Damnat Burm. *Italicas*, quod in Dorv. 1. *Supra* Heins. in ora ed. Ald.—20 'Reg. 1. *nudis ign.* 2. *Gemmæ sint ludis ign. Semina sunt* in Exc. Scal. et meo 2. unde *Segmina* Scaligerum ascripsisse notaverat Heins. *Geminea* vel *Gemina sint nudis* pr. edd. *Gemmea sint: nudis* Harl. *Nudis* etiam in Leid. 2. Voss. 1. 3. Borr. et meo 1. *Laudis* Dorv. 2. *Usta* ex Mss. [hoc esse in Palat. 1. notat Barth.] prætuli, licet *ista* ediderit Broukh.' *Burm.*—21 *Et* ap. Oct. Mirand. Conj. Heins. *Vadimus* vel *Tendimus h. o. Hoc o.* Regg. Colb. Neap. Groning. Leid. 2. Voss. 1. Ask. Dorv. 1. Burm. 2. et prr. edd. *Hic* Voss. 3. *Huc* a m. sec. in Burm. 1. *Hic primus* Voss. 3. 'Scribe *hoc o.* Tum lege u. *ordo it*, vel *hoc pr.* et u. o.' Lachm.—22 *Via est* plerique codd. ac vetustiss. edd. in quibus *Est m.* *Tenenda* pro varia lect. in marg. Burm. 2. Nostram lect. veram esse pronuntiat Burm. et dant B. B. B. *Est m. . . via est* rectum esse judicat Lachm.—24 '*Corvi* cod. Palat. quod Palmerii *curvi* favet.' *Barth.* *Curvi* Frut. v. c. Voss. 4. unde Heins. *furvi*. *Torti* Colb. et Burm. 2. *Troci* Neap. unde in marg. ed. Gryph. conjecerat Heins. *Et sc. trucis.*—25 *Castus* Bon. *Tumidus* Leid. 2. et marg. Voss. 3.

NOTÆ

ficta, quid arbitramini in vera esse facturos?' Idem ad Attic. II. 19. 'Inimici erant equitibus, qui Curioni stantes plauserant.'

19 *Attalicas vestes*] 'Attalicæ vestes' sunt non modo aulæa pretiosa, auro argentoque intexta, tapetesque et tori, sed et alia id genus supellectilia, quæ dicuntur Attalica, quia Attalus rex Pergami pretiosæ supellectilis magnificentia, splendore, et abundantia mortales omnes dicitur superasse.

Magnis ludis] 'Ludos magnos' appellabant, seu Romanos, quos in honorem Jovis, quem principem Deorum putabant, faciebant; ut testatur Festus.

20 *Ignibus usta dabis*] Ista omnia in flammas rogi tui, cum mortuus cremaberis, mittentur. Consueverant enim pretiosissima quæque cum mortuo in rogum injici, flammisque rogalibus exuri.

23 *Canis*] Cerberi tricipitis, Inferorum custodis, ut dictum est ad Eleg. 5. 'Num tribus infernum custodit faucibus antrum Cerberus.'

24 *Torvi cymba senis*] Charontis nimirum, qui in Inferos transvehit animas mortuorum.

Nirea non facies, non vis exemit Achillem,
  Crœsum aut, Pactoli quas parit humor, opes.
Sic olim ignaros luctus populavit Achivos,
  Atridæ magno cum stetit alter amor.

ejus *probe munitum eruet.* *Nireum non eximia forma, nec vis Achillem eripuit morti, neque Crœsum divitiæ, quas Pactoli liquor trahit.* *Similis quondam fletus pæne exhausit funeribus Achivos nescientes, quando novus amor* tam *magno pretio*

f. pro *timidus*, censente Burm. *Tondat* damnat Burm. quod est in Leid. et Voss. 1.—26 ‘*Protrahet* vult Livin. languidius.’ *Barth.* Hoc affert Dousa, ut conjecerat etiam Markl.—27 *Ferrea* Burm. 1. *Terea* Borr. *Nerea* plerique codd. et pr. edd. et ap. Oct. Mirand. *Nir.* tuetur Burm. *Non vix* Mentel. —28 ‘Unus Colb. nostri duo, [et Dresd.] *premit:* frustra. Palatinus *perit*, unde Gebh. suspicabatur *gerit*. Mallem *vehit*, si quid foret mutand. Sed nihil movend.’ *Broukh.* Id. pronuntiat Barth. ‘Probanda f. est *Cr. haud*, in Neap. Regg. et Voss. 1. ut affert etiam Oct. Mirand. idque Guyeto et Heins. placebat, in cujus codice *non* legebatur. *Premit* in marg. mei 2. pro varia lect. In Ask. *qua fluit h.* e glossa, ni fallor.’ *Burm.*—29 ‘*Hinc* Leid. 1. et *Achilles*. Legebat Heins. *Sic o. i. Orcus.* In Leidd. et meo 1. hoc distichon desideratur, et inseritur in fine El. 18. Lib. III. post vs. 28. ut et in ed. Scal. Sed hic [loquitur sc. ad II. 7. 7. secundum suos calculos, et post II. 8. 5. secundum nostros:] recte et suo l. legitur.’ *Burm.* ‘Scaligerum (quem secuti sunt Broukh. et Burm.) male hoc distich. loco movisse recte notavit Vulp. Mitsch. p. 162. istam transpositionem probavit, qui legend. censet *ingratos* pro *ignaros*.’ Kuin. ‘Hunc vs. viri doctissimi frustra tentarunt; quod facturi non erant, nisi Scaliger hoc distich. nimia profecto licentia in l. non suum abire jussisset. Hoc memento, ‘luctus’ esse bis intelligend.’ *Lachm.* —30 Mallet Kuin. *qui st.* et reponit Lachm. *altus am.*—31. 32 Hunc l. cor-

NOTÆ

27 *Nirea non facies*] Non pulchritudo, non vires, non divitiæ possunt homines a conditione mortis eximere: nec enim Nireus ereptus est fato, quamvis esset formosissimus; neque Achilles, licet fortissimus, neque Crœsus, quanquam ditissimus, mortem effugerunt. Nireus rex fuit Naxi, quem omnium, qui ad Trojam expugnandam venerunt, formosissimum fuisse refert Homerus Il. II.

28 *Crœsum aut, Pactoli*] Crœsus Lydiæ rex fuit longe ditissimus, qui dicitur immensas opes conflavisse ex aureis arenis, quas Pactolum ejusdem Lydiæ fluvium traxisse fabulantur.

29 *Luctus populavit Achivos*] Designare videtur stragem cladenque illam quæ fere castra Græcorum exhausit funeribus, cum Atrides, h. e. Agamemnon, amare cœpit Briseidem, quam etiam Achilli eripuit. Unde indignatus Achilles amplius decertare noluit adversus Trojanos, qui Græcos ferocius invadebant, acriusque quotidie trucidabant; unde magnus Græcorum luctus ob amissos tot socios frustra Achillis opem implorantium, donec Briseidem Achilli restituisset Agamemnon.

30 *Atridæ magno cum stetit alter amor*] Atridæ dicti sunt fratres Agamemnon et Menelaus, ab Atreo patruo, cui Plisthenes ipsorum pater moriens commendaverat. Hoc autem in loco Atridæ nomine designatur Agamemnon, cujus fuit secundus amor Briseis, quam rapuit Achilli, et quæ magno illi pretio constitit: nam cum Achilles, indignatus ereptam sibi puellam ab Agamemnone, nollet ad-

At tibi, nauta, pias hominum qui trajicis umbras,
Huc animæ portes corpus inane suæ,
Qua Siculæ victor telluris Claudius, et qua
Cæsar ab humana cessit in astra via.

constitit Atridæ. Sed tu, o portitor, qui piorum mortalium animas in Inferos *transmittis, umbræ tuæ vehant* Marcelli *corpus exanime illum in locum, per quem Claudius, terræ Siculæ debellator, ac Cæsar e cœtu hominum in sidera discesserunt.*

ruptissimum vocat Burm. et addit: '*At cito* Guy. et *Hac an.* Sed ita præstaret *At tu &c. Huc an. portes c. i. suæ*: ut video Markl. etiam conjecisse. [' Et hanc emend. reliquis conjecturis ab antiqua scriptura nimium recedentibus longe præferendam, in ordinem recepi, cum eam etiam Reg. tueatur.' *Kuin.*] *Corpus portet* Reg. In meo 1. legitur *in anne* pro *in amne*. Sed, ne moremur, l. hunc egregie sanavit Heinsius: *Duc animæ, Porthmeu, c. i. suæ.* Ingeniosiss. hac emend. admissa, etiam corrigend. puto, *At tu*. *Retrahit umbras* Regius.' Legebat Eld. *At stipe* .... *Huc an. portes c. i. suæ. At tibi* .... *Hoc an. portent c. i. suæ*, refingit Lachm. Monet Barthius Heinsium legisse etiam *Huc an. porta vel portes c. i. suæ. At tibi* ... *Huc an. portent c. i. tuæ* dant B. B. B.—34 *Ad as.* Regius.

NOTÆ

versus Trojanos arma capessere, magnam stragem Græcorum ediderunt Trojani, ferocius irruentes; adeo ut Briseidem Achilli reddere, et cum ipso reconciliari compulsus sit Agamemnon.

31 *At tibi, nauta, pias, &c.*] Charontem significat, qui in Inferos mortuorum animas transvehit.

33 *Siculæ victor telluris Claudius*] Eadem via cupit Marcellum ad Superos ire, qua proavus ejus Claudius Marcellus, qui superavit Hannibalem, Syracusas Siciliamque expugnavit universam, quique Romanorum gladius est dictus, et qua Julius Cæsar adiverunt.

34 *Cæsar cessit in astra*] Julius Cæsar, ore non modo decernentium, sed etiam persuasione vulgi, in Deorum numerum relatus est, factusque est astrum, ut scribunt Suet. in Jul. Cæs. Plin. II. 25. Horat. Od. I. 12. 'Julium sidus:' Virg. Ecl. IX. 'Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum:' Ovid. Metam. XV. ac ipse etiam Propert. IV. 6. 'At pater Idalio miratus Cæsar ab astro.'

ELEGIA XIX.

DE INCONTINENTIA MULIERUM.

Objicitur toties a te mihi nostra libido:
Crede mihi, vobis imperat ista magis.

Exprobratur a te mihi tam sæpe virorum incontinentia, sed *profecto vobis fœ-*

De mul. incont. alii.—1 *Abj.* Brix.—2 *Nobis* codd. quod damnat Burm. *Illa* Franc. 1. '*Illa* forte fortuna irrepsit in exemplar Burmannianum.

Vos, ubi contemti rupistis fræna pudoris,
  Nescitis captæ mentis habere modum.
Flamma per incensas citius sedaret aristas,
  Fluminaque ad fontis sint reditura caput;
Et placidum Syrtes portum, et bona littora nautis
  Præbeat hospitio sæva Malea suo;
Quam possit vestros quisquam reprehendere cursus,
  Et rabidæ stimulos frangere nequitiæ.

minis *illa longe plus dominatur. Vos* mulieres, *cum* semel *spretæ verecundiæ repagula perfregistis, rationis penitus expertes nullam novistis adhibere moderationem. Ignis ardens, qui maturas messes corripuerit, potius restinguatur, ac fluvii* potius *revertantur ad scaturiginem fluenti sui, Syrtesque tranquillam securamque navibus stationem* præbeant, *ac littore suo faciles accessus navigantibus exhibeat infesta Malea; quam aliquis vestros valeret impetus retinere, aculeosque* vestræ *libidinis*

Ipse nihil notat. Ceteri omn. habent *ista.*' Lachm.—3 *Ut semel impositi* affert Lips. ad Sen. de Benef. cap. 10. nescit Burm. an ex veteri cod. vel potius memoriæ vitio. Vulg. tuetur Burm.—4 *Castæ* vel *cupidæ* Heins. quod probare non potest Burm.—5 ' Admodum venusta est lect. Palatini *sed.*' Bronkh. Id elegans esse judicat Barth. '*Sedetur* in plerisque Mss. et edd. antiquis; nec aliter ap. Oct. Mirand. in Viridar. Poët. fol. 185. *Sedatur* Ask. Bronkhusio præiverat Bernecceras ad Justin. XXXVI. 2.' *Burm.* ' *Sedaret* Bronkh. Burm. mavult *sedarit.* Reliqui libri omn. *sedetur*; ut illa, quam alterum præbet, elegantiæ species pro mera specie habenda esse videatur.' *Lachm.*—7 Damnat Burm. *pontum*, quod in Mentel. Leid. 2. Voss. 3.—8 *Scæva* Burm. 1. *Sævaque mala s.* Brix.—9 '*Reprend.* malebat Livin. et sic Bon. in marg. simul habens *compescere* tanquam interpretamentum.' *Barth.* ' *Possint* meus 1. *Nostros* male Colb. *Reprend.* Dorv. 1. meus 2. Ber. Gryph. 1551. Douss. *Reprehend.* Groning. Venet. 2. Vicent. Rheg. Volsci, Aldd. Junt. Colin. Gryph. 1573. Canteri et Rouill. Male in Vat. 5. *deprehend.* Ap. Oct. Mirand. *deprend.* p. 185. Virid. Poët. *Reprimere* meus 1. nisi glossa sit. Recte *reprehend.* pro, retrahere.' *Burm.*—10 ' Legend. *rab.* quod Dousa P. jam occupaverat.' *Bronkh.* '*Rap.* vulgg. *Rab.* Vulp. Gött.' *Barth.* ' *Rap.* omn. fere codd. et edd. vetust. Sed *rab.* Dorv. 2. a m. sec. ut bene firmavit Bronkh.' *Burm.* ' *Rab.* f. nimis vehemens

NOTÆ

1 *Objicitur toties*] Præsens Elegia demonstrat mulieres ad libidinem longe viris esse procliviores, multoque in fœminis quam in maribus acriores esse cupiditatis et incontinentiæ stimulos.

7 *Placidum Syrtes portum*] De Syrtibus, quæ duo sunt sinus in mari Libyco periculosissimi navigantibus, abunde diximus supra, maxime vero II. 9.

8 *Sæva Malea*] Malea promontorium est Laconiæ, longius in mare prominens, adversisque ventorum flatibus navigationem efficiens periculosam; unde proverbium illud: 'Cum ad Maleam deflexeris, domesticos obliviscere.' Significat autem Poëta Maleam, quæ suapte natura inhospita est, citius futuram nautis hospitalem, fluminaque potius ad fontem reditura, Syrtesque portuosas commodasque fore stationes, quam quisquam possit impetum fœmineæ libidinis retinere.

Testis, Cretæi fastus quæ passa juvenci,
  Induit abiegnæ cornua falsa bovis;
Testis Thessalico flagrans Salmonis Enipeo,
  Quæ voluit liquido tota subire Deo.
Crimen et illa fuit, patria succensa senecta,
  Arboris in frondes condita Myrrha novæ.
Nam quid Medeæ referam, quo tempore matris
  Iram natorum cæde piavit amor?

retundere. Illud testatur Pasiphaë, *quæ Cretensis tauri repulsam sæpius perpessa, aptavit sibi cornua ficta juvencæ ex abiete structæ.* Id etiam *testatur Salmonis ardens* amore *Enipei Thessali, quæ cupivit tota Deo humido succumbere. Infamis etiam ac scelesta fuit habita Myrrha, quæ correpta amore senectutis paternæ mutata est in folia recentis arboris. Quid vero commemorem Medeæ* crimen, *quando matris*

est. Certe, cur contemni debeat *rap.* non video.' *Lachm.*—12 'Hoc certe rectius est, quam quod impressi vett. habent. [sc. *abiegnæ bovi*: quod præfert Passeratius: et est ap. Oct. Mirand.] Sed libb. omn. aliam lect. exhibent, vulgari narrationi repugnantem, f. tamen non prorsus ineptam, *abiegno bovi.*' Lachm. Hoc ineptum pronuntiaverat Livin. Nostram lect. dant B. B. B. L. *Bovis* Dresd.—14 *Vovit* Heins. in ora ed. Ald. Pro *tota* Guyeto placebat *nupta* vel *nuda*, sine ulla necessitate, censente Burm.—15 *Crimine* Groning. *Cr. at* Leid. Voss. 1.—16 'F. scriptum fuerit in *truncos*, h. e. *truncos.* *Novam* pro *novæ* vitiose Neap.' *Burm.*—17 *Medeam* et vs. 19. *Clytæmnestram*, et *Teque, o M.* legebat Guy. Vulg. tuetur Burm. qui damnat

NOTÆ

11 *Cretæi fastus quæ passa juvenci*] Exemplis probat effrænatam esse ac furibundam mulierum incontinentiam. Hoc autem loco Pasiphaën Minois, Cretæ regis, uxorem designat; quæ cum amore tauri flagraret, dicitur ope Dædali intra ligneam vaccæ figuram corio formosæ juvencæ coopertam inclusa cum tauro concubuisse, ex quo genuit Minotaurum.

12 *Abiegnæ bovis*] Vaccæ ligneæ: abietem posuit pro quovis ligno.

13 *Thessalico flagrans Salmonis Enipeo*] Salmonis est nomen patronymicum. Designatur autem Tyro, Salmonei filia, quæ cum Enipei, fluvii Thessaliæ, amore flagraret, atque ad illius fluenta continenter accedens conqueri minime desineret, Neptunus, sumta Enipei forma, cum ipsa concubuit, ex eaque genuit Peliam et Neleum.

14 *Liquido Deo*] 'Liquidus Deus' est Enipei fluvii numen, cujus formam indutus Neptunus cum Tyro concubuit.

16 *Myrrha*] Myrrha fuit Cinyræ, Cypriorum regis, filia, quæ ejusdem Cinyræ patris sui amore nefando correpta, nutricis auxilio cum eo concubuit, ex quo filium Adonim genuit. Cum autem pater Cinyras illud nefas cognovisset, filiamque gladio persequeretur, illa fugiens in Arabiam Deorum miseratione conversa est in arborem sui nominis. Vide Ovid. Metam. x.

17 *Quid Medeæ referam*] Supple scelus. Medea namque Æetæ, regis Colchorum, filia, Jasonis uxor fuit, quam cum repudiasset Jason, Creusamque superduxisset, factum adeo moleste tulit, ut furore correpta geminos filios, quos ex Jasone pepererat, in ultionem ante patris oculos juga-

Quidve Clytæmnestræ, propter quam tota Mycenis
Infamis stupro stat Pelopea domus?
Tuque o Minoa venumdata, Scylla, figura,
Tondens purpurea regna paterna coma.
Hanc igitur dotem virgo desponderat hosti!
Nise, tuas portas fraude reclusit Amor.

dolorem placavit amor filiorum nece? Quid etiam Clytæmnestræ scelus referam, *ob cujus libidinem omnis familia Pelopea adulterio Mycenis diffamata est? Tu vero, o Scylla, vendita forma Minoa, spolians regnum patrium purpureis capillis. Talem ergo dotem hosti* paterno *promiserat puella?* O *Nise,* urbis *tuæ portas*

---

matrem, quod in Groning. et *Ira,* quod in Dorv. 1.—19 *Mycenes* Heins. 'Aut lege *Tu quoque Minoa,* aut potius *Quidve Clytæmnestra?* nominandi casu.' *Lachm.*—22 *Condens* Borr. *Tundens* Leid. 1. 'An f. *Prodens* vel *Tradens?* [' Recte hanc conj. improbavit quoque Huschk. in Ep. Crit. ad Sant. ubi lect. *Tondens* stabilit.' *Kuin.*] Sed præstat f. *Tuque o Minoæ ven. Sc. figura, Tondens purpuream, r. paterna, comam:* et sic Markl. cod. suo ascripsisse video: 'Mallem *purpuream comam:* et ita Dorvillius, ut me per epistolam monuit.'' *Burm.* 'Vulg. lect. bene se habet.' *Kuin.*—23 *Dispond.* Brix.—24 '*T. arces*

NOTÆ

laverit. Vid. Euripid. et Senecam in Medea.

19 *Quidve Clytæmnestræ*] Clytæmnestra filia fuit Tyndari, seu Tyndarei, et Ledæ, Agamemnonis, Argivorum et Mycenarum regis, uxor, quæ belli Trojani tempore Ægisthi, Agamemnonis consobrini, amore capta turpissimis cum eo se libidinibus implicuit, maritumque Agamemnonem, post captam Trojam in patriam reversum, ab Ægistho adultero adjuta per insidias interfecit.

20 *Infamis stupro Pelopea domus*] Per Clytæmnestræ stuprum dicitur infamis Pelopis familia, quæ tamen jam prius adulteriis et incestibus ignominiosa erat ac diffamata. Thyestes enim, Pelopis filius, fraterque Atrei, Æropen non modo, Atrei fratris uxorem, violavit, sed etiam ex propria filia sua Pelopea Ægisthum genuit, qui filium adoptivum Atrei, Agamemnonem consobrinum, adjuvante Clytæmnestra adultera, interfecit. Familia Pelopea dicitur, quæ ex Pelope duxit originem. Pelops enim, qui nomen dedit Peloponneso, Tantali filius, genuit Atreum, Thyestem, et Plisthenem, qui juvenis moriens duos liberos suos, Agamemnonem et Menelaum, Atreo fratri commendavit, qui ipsos educavit, ac in filios adoptavit; unde dicti sunt Atridæ, filiique Atrei existimati. Thyestes Æropen, fratris uxorem, stupravit, ac Ægisthum ex propria filia genuit. Infamis igitur stupro uxoris Atreus; infamis stupro ac incestu Thyestes; infamis adulterio cum Clytæmnestra Ægisthus, Thyestis filius; infamis Agamemnon uxoris Clytæmnestræ stupro, qui Argynnum etiam juvenem, Cassandram, Briseidem adamavit. Infamis stupro seu adulterio Helenæ cum Paride Menelaus. Unde non mirum si in proverbium abierant Pelopidæ. *Nequitudo Pelopidarum.*

21 *Minoa, Scylla, figura*] Scylla Nisi, regis Megarensium, filia fuit, quæ Minois hostis paterni flagrans amore patrem capillo purpureo, in quo situm erat regni totius fatum, spoliavit, eumque Minoi tradidit, quasi futuri conjugii dotem.

24 *Nise, tuas portas*] Nisus rex fuit

At vos, innuptæ, felicius urite tædas:
  Pendet Cretæa tracta puella rate.
Non tamen immerito Minos sedet arbiter Orci:
  Victor erat quamvis, æquus in hoste fuit.

Amor aperuit. Sed vos, o puellæ, melioribus auspiciis faces nuptiales incendite: Scylla *virgo suspensa est districta Cretæa navi. Non injuste ergo Minos* apud Inferos *Orci judex sedet; quanquam* enim *erat victor*, tamen *in hostem etiam suum fuit justus.*

affert Oct. Mirand. sine dubio ex aliquo vet. cod. in Virid. Poët. fol. 185. verso: sed recte *portas* in omn. meis codd. Excerptis, et vetust. edd.' *Burm.* —26 *Prendet* Voss. 1. Dorv. In Regio *Pend. in erecta fracta. Tecta* Ask. *Pendet tracta* saniss. esse lect. pronuntiat Burm.—28 'Male in multis edd. vetust. distinguitur, *erat, quamvis æ.*' Burm.

NOTÆ

Megaræ, quem Scylla filia Minoi paterno hosti, cujus amore flagrabat, abscisso purpureo capillo, a quo regni fata pendebant, prodidit.

25 *Felicius urite tædas*] Lætioribus auspiciis nubite. Nubentibus enim tædas præferri consuevisse apud veteres notum est ex Catulli Epithalamio Manlii et Juliæ. Vide quæ diximus ad illud, 'Pineam quate tædam,' vs. 15. et ad illud de Nuptiis Pelei, vs. 303. 'Nec Thetidis tædas voluit celebrare jugales.'

26 *Cretæa tracta puella rate*] Scylla dicitur tracta rate Cretensi, quod, cum in mare projecta fuisset summergenda, puppim navis arripuit; unde trahebatur, non vehebatur; vel quia, ut ait Apollodorus, e puppi pedibus vincta summersa est.

27 *Minos arbiter Orci*] Jure quidem merito Minos est judex Inferorum constitutus, qui tanta justitia æquitateque pollebat, ut quamvis esset victor, qui solet insolens esse, superbus, ac iniquus, fuit tamen æquus ac justus, cum Scyllam proditricem aspernatus a se summovit, ac Nisi, licet hostis, vicem ultus est. Orcus autem Deus est Inferorum, quem Ditem Latini modo, modo Summanum dicunt. Hunc Poëtæ vocant Jovem Stygium, ac Plutonem: sæpe etiam pro ipsis Inferis accipitur.

ELEGIA XX.

AD AMICAM.

Credis eum jam posse tuæ meminisse figuræ,
  Vidisti a lecto quem dare vela tuo;

An existimas illum nunc posse pulchritudinis tuæ recordari, quem mox *e cubili*

'Hi, qui sequuntur, decem versus male coaluerant cum superioribus. Fragmentum est Elegiæ majoris: quod aliquando ratus sum posse non incommode jungi cum fine El. 20. Lib. II. Hodie non ead. mens est. Cogitent

NOTÆ

1 *Credis eum*] Amicam alloquens, infidum quendam amatorem, puellæ desertorem, quod lucri causa reliquisset amicam, insectatur, signifi-

Durus qui lucro potuit mutare puellam?
Tantine, ut lacrymes, Africa tota fuit?

tuo surgentem *vela facere conspexisti? Ferreus* ille fuit, *qui propter quæstum sustinuit amicam deserere. An* aliquando *omnis Africa fuit in tam magno luctu?*

acutiores.' *Broukh.* '*Ad novam amicam* al. cum Ald. 1. *De contentore amica* al. cum Ald. 2. Item *De contentione amicæ. Ad Galliam Leliam* Dresd. Ceterum, quæ Broukh. notat de mala coalitione huj. El. cum superiore, ea unice pertinent ad Scaligerianam confusionem. Poterant et hæc Virum elegantissimi judicii in rectam viam revocare.' *Barth.* 'Nova hic El. a præcedenti separata, sed cum sequenti connexa, habetur in plerisque codd. et edd. antiquis. Mihi his decem vss. non absurde adjungi posse sequentem Elegiam verisimilius videtur.' *Burm.* 'Quæ versum 10. in libb. scriptis sequuntur, a prioribus non disjuncta, ea Scaliger optime separatim posuit.' *Lachm.* Separatim habent Broukh. Burm. Lachm.—4 'Groning. et C. Com. *Tantis ne l.* Rescribe cum Gronov. III. Obs. 17. *Tantine in lucris.* Posses etiam refingere, *Tantine, ut lacrymes.*' Broukh. '*Tantisne in lacrymis* Palatt. Bon. Dresd. cum edd. priscis. Andr. Schottus feliciter emendavit, Obss. Human. II. 26. *Tantine in lacr. Tantique in lucris* Gronov. applaudente, ut solet, Broukhusio, qui et Vulp. et Gött. edit. decepit, ut in contextum hanc emend. reciperent: et sic quoque Cant. *Tantine ut lacrymes* Heins. Vulg. bene tuetur Perizon. ad Sanct. Min. IV. 4. p. 571.' *Barth.* 'Vexatissimus locus. *Tantine in lucris* ex emend. Gronov. edidit Broukhusius; quam vel memorare vel laudare in Notis, et non contextui inserere, præstitisset, sed potius veterem codd. et edd. lectionem exhibere, in quibus fere omn. legitur *Tantisne in lacrymis:* quod revocand. censui. *Tantine* vel *Tantisne illecebris* Frut. divinaverat. Valens Guellius initium huj. El. explicans ad Virg. IV. Æn. 413. putat Propertium hoc vs. respicere ad historiam Æneæ, quem nec lacrymis nec precibus Dido, ejusque soror Anna, aut tota Carthago, a navigatione dimovere potuerunt. 'Ire iterum in lacrymas, iterum tentare precando Cogitur; et supplex animos summittere amori.' Eo igitur modo hic rivalem Poëta adducit in odium puellæ, quæ nullis lacrymis eum a profectione avocare potuerit, eaque amatorem illum discedentem largiore fletu prosecuta fuerit, quam Dido et tota olim Africa abeuntem Æneam. Quo sensu vetus lect. *Tantisne in lacr.* omnino admittenda esset. Simile quid ad loci huj. explicationem contulerat Schottus, sed a Gronovio operose explosus, probante tamen ejus correctionem *Tantine.* Gronovii tamen emendationi non penitus acquievisse Broukhusium colligo, quia refingere malebat, *Tantine, ut lacrymes:* et sic ad marg. lib. sui conjecerat Markl. neque aliter emendasse Heinsium testatur Patruus meus ad Ov. Ep. I. 4. Id profecto longe melius, quam altera ejus conjectura, *Tantine in gazis*, proposita in N. Prop. post Advers. p. 785. Illam tamen conjecturam, quæ etiam Heinsii est, vehementer exagitavit Perizonius, ut illa odio et succo loliginis atræ illita adderet verba: 'Hæc operosius declarare volui, ut ostenderem, quam graviter ille et inscite contaminaverit aliquando suos auctores, immittendo temere in textum, quæ confidentissimis asseverationibus

NOTÆ

catque se fidum ac constantem amatorem fore, qui nunquam fidem legitimi conjugii sit violaturus.

3 *Durus*] In hanc sententiam Tibull. noster I. 2. 'Ferreus ille fuit, qui, te cum posset habere, Maluerit prædas stultus et arma sequi.'

4 *Africa tota*] Hujus loci duplex esse potest sensus. Alii namque legunt, *Tantisne in lacrymis, &c.* et sensus erit, Africam quondam, cum a Scipione diriperetur, non tantum lacrymarum effudisse, quantum puella illa deserta ab amatore. Alii vero legunt, *Tantine in lacrymis, &c.* et sensus est, Africam totam illum amato-

At tu, stulta, Deos tu fingis, inania verba?
Forsitan ille alio pectus amore terit.
Est tibi forma potens, sunt castæ Palladis artes,
Splendidaque a docto fama refulget avo.
Fortunata domus, modo sit tibi fidus amicus.
Fidus ero; in nostros curre, puella, sinus.

Sed tu, nimium credula, tibi persuades esse Divos, vana illius *promissa. Forsan* tamen *alia cum amica corpus consumit. Singularis est tibi summaque pulchritudo, sunt tibi pudicæ Palladis disciplinæ, illustrisque* tua *nobilitas splendorem accipit ab erudito* tuo *avo.* O *beata* tua *domus, dummodo tibi sit amator fidelis! Certus ero* tibi, o *amica, propere veni in meum thalamum. Tuque,* o *Phœbe, qui dies æstivos*

perperam vera jactabat.' Non obstante tamen odioso hoc Perizonii judicio, Broukhusii emendationem utroque pollice laudavit Marklandus, Criticus certe Perizonio non inferior, qui non tantum eam ad Stat. Sylv. p. 269. probavit, sed et olim in sua Propertii ed. sic se editurum promisit. Præferendum igitur videtur *Tantine, ut lacrymes.*' Burm. Corrigit Ast. p. 63. *Tantine, (ah lacrymes!) A.* Reponit Lachm. *Tantisne in lacrymis A. grata f.*—5 'Pro *tu* Leid. 1. *ubi.* An f. librarius voluit *tibi?*' Burm. 'Vir doctus [sc. Kuinoel] non monito lectore distinctionem mutavit. [Antea enim editum erat *At tu, stulta, Deos, tu fingis* i. *v.*] Repono *At tu, stulta, Deos, tu fingis* i. *vera?*' Lachm. —6 *Alia* Guarn. *Teras* id. et Bon. *Terat* Dresd. Palatt. Neap. Borr. Leidd. Voss. 1. 3. Dorv. 1. Burmannianus, et pr. edd. monente Burm. sed *terit* esse in Aldd. et cett. omn. notat Barth. *Teret* Voss. 4. 'Forsitan,' ait Burm. 'cum subjunctivo passim ap. Ovid. non tamen perpetuo id obtinet, præsertim ap. Nostrum.' Non potest probare Burmannus Heinsii *tractus a. perit.*—7 *Est ubi* Leid. 1. *Ast t.* Neap. *Patens* Posth.—9. 10 *Ego* Heins. et sic Markl. qui ad Stat. Sylv. p. 308. legebat *F. nimis, modo . . . amicus. Fidus ego.*

NOTÆ

rem tanti æstimare non debuisse, ut ejus causa amicam in fletus et lacrymas effusam relinqueret.

5 *Stulta, Deos tu fingis, inania verba*] Nimium credula putas illud verum esse, quod non est; credisque Deos esse, quos ille non audeat fallere, postquam per eos fidem tibi promissam juravit; sed illa promissa sunt inania ac irrita, cum ille nullos putet esse Deos.

7 *Castæ Palladis artes*] Ingenuæ artes Palladis dicuntur, quas ipsa Pallas adinvenit, ut ars nendi, texendi, doctrinæ, literæ, versus, lyræ cantus, bella, milleque aliæ. Pallas enim, ut canit Ovidius, 'Mille Dea est operum,' &c. unde et 'rerum sapientia Pallas.'

8 *Splendidaque a docto*] Omnia, quæ hic commemorat Propertius, Cynthiæ conveniunt; nam Cynthia nendi texendique perita fuit, ut supra El. 6. hujus libri annotatum est ad illud, 'medio nebat et ipsa loco.' Præterea Cynthiæ fuerunt doctrinæ, ingenuæ disciplinæ, literæ, carmina, lyræ cantus; ut vidimus I. 2. et 3. II. 1. 3. et 13. Illustrem etiam Hostium, avum Cynthiæ, doctrina fuisse diximus II. 13.

9 *Modo sit tibi fidus amicus*] Tibi, inquit, omnia suppetunt bona, ingenuæ artes, nobilitas avorum, divitiæ domesticæ, forma potens, &c. adeo ut domus tua dici felix ac fortunata possit, nisi tibi deest amicus certus, constans, ac fidelis, qualem me futurum polliceor.

Tu quoque, qui æstivos spatiosius exigis ignes,
Phœbe, moraturæ contrahe lucis iter.
Nox mihi prima venit; primæ data tempora noctis
Longius in primo, Luna, morare toro.
Fœdera sunt ponenda prius, signandaque jura,
Et scribenda mihi lex in amore novo,
(Hæc Amor ipse suo constringet pignora signo:
Testes sidereæ tota corona Deæ:)

cursu longiores efficis, breviorem redde diei longæ viam. Imminet mihi prima nox: o Luna, longius effice spatium mihi datum primæ noctis in lecto tuo *primo diutius commorando. Pactiones sunt ante mihi constituendæ, leges sanciendæ, conditionesque proponendæ in amore recenti. Istas Amor ipse cautiones sigillo suo munitas connectit. Testatur cœtus omnis Divæ stellatæ, quam plures nostris colloquiis horæ consu-*

Domus, ait Burm. bene se habet, ni fallor. '*Toros* satis licenter. Noster 1. et Borr. habent *sinus*, quod magis placet.' *Broukh.* '*Sinus* recte VV. DD. prætulerunt. *Toros* male in reliquis codd. cum priscis edd.' *Burm.* 'Ceteri meliores universi *toros* habent, quod præ exigua illorum codd. auctoritate non spreverim.' *Lachm.* qui id exhibet.—11 'Distichon hoc postponitur sequenti in Guarn. qui ordo, ut ex Heins. N. Prop. conjicio, etiam in Douss. servatus est: non incommode sane.' *Barth.* 'In omn. fere scriptis et edd. vetustis secundum distichon priori et quintum quarto [Hæc nobis versa vice. Observet Lector hic incipere Burmannum novam El.] præponitur, ut nonnullos etiam in El. huj. initio versus aliter ordinat Lips. v. Ant. Lect. 20.' *Burm.* 'Verissima conj. Scaliger hæc disticha ordinem suum mutare jussit.' *Lachm.* qui hunc l. sic refingit: *Nox* .. *date* .. *Longius* .. *toro*, *Tuque o, qui &c.* Hunc ordinem exhibent Broukh. Burm. Ceterum *Tu q. per* Mentel. *Spatiosus* Reg. Dorv. 1. Burmm. et pr. edd.—13 Conj. Heins. *veni* .. *rata* .. *in primos* .. *toros*, vel *in primo polo*, aut *choro*. *Date* Neap. Exc. Scal. Ask. Voss. 1. 3. Dorvv. Burmm. Brix.—15 '*Condenda* Heins. An *ponere fœdera* dicit, ut 'ponere jura' El. 9. 24.? Præferrem tamen *pangenda*. *Signataque* affert Bentl. ad Lucan. III. 302.' *Burm.*—16 *Est* Franc. *Nova* Dorv. 2. Groning.—17 'Libb. fere *confringit*. Cum Livin. lege *constringet*.' Broukh. '*Confringet* Posth. *Confregit* Ed. pr. *Constringit* Dresd. cum vulgg.' *Barth.* '*Constringet* Ask. Groning. [cf. sup.] Leidd. Voss. 1. 3. Dorvv. meus 1. *Confringit* Borr.' *Burm.* '*Constringet* recte Beroaldus: scripti plerique *confringet* aut *constringit*. Hoc in Neap. est: illud Livin. e Groning. affert, ut Burmannus fallere videatur, in hoc aliisque pluribus *constringet* haberi narrans; quod tamen in libro antiquo legisse Heinsius testatur Advers. I. 9.' *Lachm.*—18 'Legend. *Testes*. Heins. in Ov. I. F. 287. et ad Val. Fl. v. 46. reponebat *Testis siderei t. c. chori*. [Sic ed. Leid. exhibet.] Cave quicquam mutes. *Tota* autem lege cum Passeratii libro vet. Male alii *torta*.' Broukh. *Tota* esse rectius judicat Barth. 'Omn. fere codd. et edd. vetustæ *Testis*

NOTÆ

12 *Phœbe, moraturæ, &c.*] Solem rogat, ut diem faciat breviorem; Lunamque precatur, ut noctem reddat longiorem; ut diutius deliciis fruatur.

18 *Testes sidereæ corona Deæ*] 'Dea siderea' dicitur Nox, quæ, siderum mater, stellarum choros astrorumque agmina, magno apparatu, longoque undequaque ordine, ostentat. Tibull. II. 1. 'Ludite: jam Nox jungit equos, currumque sequuntur Matris lascivo

Quam multæ ante meis cedant sermonibus horæ,
  Dulcia quam nobis concitet arma Venus.
Namque ubi non certo vincitur fœdere lectus,
  Non habet ultores nox vigilanda Deos.
Et quibus imposuit, solvit mox vincla libido.
  Contineant nobis omina prima fidem.

mentur, priusquam blanda nobis Venus excitet bella. Cum enim certo jure certisque legibus non constringitur conjugium, nox sine somno traducenda non habet Divos vindices. Statimque, quos impurus amor conjunxit, eos separat ac dirimit. Auspicia primis in amoribus nostris captata nobis servent in amore conjugali constantiam. Quicum-

---

siderea torta c. Deæ; sed recte *Testes tota* repositum est. *Tota* prætulit Passeratius, prob. Guy. *Torta* etiam male in Ask. Lipsius v. Ant. Lect. 20. versum h. transferebat post vs. 22. et pentametrum illic sequentem huc retrahebat. Male Heins. *siderei chori*. Markl. cod. suo ascripserat: 'F. legend. *Testis s. t. c. Deæ*.'' Burm. '*Testis* et *torta* libb. omn. Hoc recte rejiciunt; illud Markl. non frustra tuetur.' *Lachm.*—19 'Ad præcedentia referri volunt: 'Fœdera sunt,' &c. quibus subjunxit hoc distichon Scaliger: in scriptis enim turbatur sententiarum ordo, illis interjectis 'Hæc Amor,' &c. [Lachm. cum Broukh. et Burm. commutant hoc et præcedens distichon.] Sed nec Scaliger recte egit. Quid certius quam hoc distichon collocandum esse ita: 'Nox mihi .... Tuque o .... Quam multa ante meis cedent .... Fœdera sunt .... Hæc Amor .... Namque ubi ....' *Id.* '*Cum te ante meis cedant* Mentel. *Quam ante cedent* Leid. 1. *Cedens* Dorv. 1. *Cedent* [Vat. Bon. Guarn.] Reg. Borr. Neap. Groning. Leidd. tres Voss. Dorvv. meus uterque, et pr. edd. quod adjuvat conjecturam Heinsii, *meis se dent*.' Burm.—20 '*Alma* male in Colb. Reg. et meo 2. Huic autem disticho sequens [nobis vss. 17. 18.] præponitur in Regio.' *Id.*—21 *Jamque* Burm. 1. *Vincetur* Neap. *Sociatur* vel *sancitur* Heins. quod aptius fœderi verbum judicat Burm.—22 *Violanda* Perr. v. c. Vat. 1. 2. quod favere putat Burmannus Heinsio conjectanti *violata*. Vulg. tamen tuetur Burm.—23 *At* Burm. 1. '*Nox* Reg. 1. In 2. *nox vincla cupido*: quod ultimum non displicet, si *mox* legatur: licet *nox* in omn. fere codd. et edd. vetustis, nisi quod *mox* in Colot. Vat. 1. 2.' *Burm.* '*Mox* restit. Livin. et Gebh. prob. Broukh. Vulp. Gött.' *Barth.* *Mox* dant B. B. B. L. qui id probum censet.—24 '*Omnia* codd. et edd. plur. *omina* tamen cod. Heins. solenni confusione.' *Barth.* '*Contin.*

NOTÆ

sidera fulva choro.' Hoc igitur in loco Propertius coronam pro choro, seu siderum cœtu, quem Sacri Codices 'militiam cœli' dicunt, posuit, seu pro stellarum corona, qua nox exornari solet. Apuleius de Deo Socratis: 'Radiantes Deos, [astra,] quibus cœli chorum comtum et coronatum suda tempestate visimus.' Hinc manifestum est quam frustra se torserint, qui hunc locum de corona Ariadnes, aut alia quacumque de re quam de nocte, voluerunt exponere.

21 *Non certo vincitur fœdere lectus*] Non consignantur certis conditionibus matrimonii tabulæ. Lectus enim passim, ut et thalamus, et torus, pro conjugio sumitur.

22 *Ultores Deos*] Nox insomnis amatori prodito in curis traducenda nullos habet Deos qui injuriam hujusmodi, perfidiamque ulciscantur, quia, cum ad talem firmandum amorem testes non sint adhibiti, proditione aut perfidia non sunt violati.

24 *Omina prima fidem*] Auspicia primis in amoribus nostris ac nuptiis captata fidem servent nobis in amore

Ergo, qui tactas in fœdera ruperit aras,
Pollueritque novo sacra marita toro,
Illi sint, quicumque solent in amore dolores;
Et caput argutæ præbeat historiæ.
Nec flenti dominæ patefiant nocte fenestræ.
Semper amet, fructu semper amoris egens.

que igitur fidem conjugalem in sacris altaribus juratam violaverit, ac jura connubialia alio amore temeraverit ; adveniant illi quotquot mala calamitatesque in amore esse *consueverunt ; famæque garrulæ ipsum se totum exponat. Neque* ipsi *noctu conquerenti ac lugenti amicæ fenestræ aperiantur. Perpetuo* ille *amet, perpetuo carens amoris fructu.*

corruptum arbitror. F. legend. *Continuent n. omina p. f.* *Omina* Perr. v. c. Vat. 1. 2. ut emendand. jam monuit Canter. I. Nov. Lect. 8. et Val. Guellius ad Virg. I. Æn. 350.' *Burm.* Hoc dant B. B. B. L. qui id rectum judicat.—25 'Groning. *actas in fœdere.* Passeratii liber *tactas* habebat: quod verum reor: quanquam neque vulg. penitus improbari potest.' *Broukh.* '*Pactas* omn. membr. et edd. priscæ. Leidd. Voss. 1. 3. Ask. Dorvv. et meus uterque *in fœdera*, quod non mutand. fuisse in *fœdere*, ut edidit Broukh. et in pr. edd. legitur, monet Oud. ad Lucan. II. 151. In Aldd. vero, Junt. Colin. Gryph. ceterisque *in fœdera excusum est.* *Luserit* vel *riserit* Heins. Sed f. l. ita constituend. *tactis hæc fœdera rup. aris:* [vel *pia fœdera* cum Eldikio, adjiciunt Addenda ad fin. ed. Burm.]' *Burm.* 'Mirus loquendi modus, *rumpere aras.* Sed hoccine magis mirum esse dicemus, *tactas aras rumpere ;* an, quod habent scripti omnes, *pactas in fœdere ruperit aras?* Hoc posterius mihi tolerabilius videtur.' *Lachm.* *Tactas* dant B. B. B. *Fœdere* B. B.—26 *Toro . . novo* Regius. *Toro . . tuo* Voss. 3.—29 *Patefactæ* Groning.

NOTÆ

conjugali constantem ac perpetuam. Solebant autem veteres in nuptiis et connubiis firmandis auspices adhibere, captareque auspicia. Cic. Lib. I. de Divin. 'Cum vellet sororis suæ filiam in matrimonium collocare, exiisse in quoddam castellum, ominis captandi causa, quod fieri more veterum solebat.' Idem Cic. Orat. pro Cluent. 'Nubit genero socrus nullis auspiciis, nullis auctoribus, funestis ominibus omnium.' Val. Max. II. 1. de Institut. antiq. 'Nuptiis,' ait, 'etiamnum auspices interponuntur, qui quamvis auspicia petere desierint, ipso tamen nomine veteris consuetudinis vestigia usurpantur.'

25 *Tactas ruperit aras*] Hoc est, Deos violaverit, per quos ad aras fœdera conjugalia pacta sunt, ac jurata. Veteres enim Deorum aras in fœderibus ac pactis conjugalibus sanciendis jurantes tangebant.

26 *Sacra marita*] Jura fœderaque connubialia. Ovid. Epist. Hypsipyles: 'Heu! ubi pacta fides? ubi connubialia jura?' Idem de Pont. III. 1. 'Exigit hoc socialis amor, fœdusque maritum.'

27 *Illi sint, quicumque dolores*] Ærumnas omnes ac miserias amatorias fallenti fidem imprecatur.

ELEGIA XXI.

AD CYNTHIAM.

MAGNUM iter ad doctas proficisci cogor Athenas,
  Ut me longa gravi solvat amore via:
Crescit enim assidue spectando cura puellæ:
  Inde alimenta sibi maxima præbet amor.
Omnia sunt tentata mihi, quacumque fugari
  Possit; at ex omni me premit ille Deus.

Longam adire viam compellor, Athenas nimirum *eruditas, quo me longinquum ac diuturnum iter amore molesto liberet; amor namque fœminæ magis augetur dum illa continuo videtur: amor ipse sibi maxima pabula suppeditat. Cuncta sunt mihi tentata, quavis* ille *ratione possit* a me *procul amoveri; sed iste Deus undecumque mihi*

1 *Nunc iter* Burm. 1. Distinctione adjuvari posse putat Burmannus hunc vs. *M. iter: ad d.*—3 *Assiduæ* Ald. 2. Legend. f. *puellam* putat Burm.—4 Malit Burm. *Inde al.* quod rectum esse pronuntiat Kuin.—5 *Tentanda* Vat. 5. *Tentata modis* Burm. 1. unde Franc. *O. s. tentata, modo quocunque:* sed probum esse vulg. judicat Burm. *Figura* Dresd.—6 'In uno Reg. *ille*, quod non displicet.' *Broukh.* '*Et ex omni* Vat. 6. Groning. Leid. 2. Voss. 4. Dorvv. Ask. et meus 2. *Ac ex omni* cod. Reg. h. e. *at*, ut in ceteris codd. et priscis edd. Heins. N. Prop. p. 735. legebat *fugare Possint, ast omni me premit igne Deus.* Idem ad oram ed. Ald. conjecerat *at en*, vel *ecce, omni me premit igne:* vel denique *at exsomnem me premit usque Deus:* et sic in Notis ad Virg. VI. Æn. 556. in vulgata nullum sensum esse addens: quam tamen sic solicitandam non omnes f. annuent. *Quacumque fugari Possit* mutari necesse non videtur. *Ex omni*, subintell. parte, ut *quacumque*, pro, quocumque modo, vel quacumque *arte*, ut pro *ille* vel *ipse* legitur in Exc. Scal. *Ipse Deus* in omn. fere scriptis et editis antiquis: sed recte *ille* ex aliis correctum: et sic emendaverat Markl. vel *usque:* quod et Heins. conjecerat. Præsertim *me premit igne* non placet: neque illud *premit* sibi eripi facile pateretur Propertius ipse.' *Burm.*

NOTÆ

1 *Magnum iter*] Amorum vexatus curis Poëta significat se cœlum mutare cogi, Athenasque proficisci, ut loci mutatione minuatur amoris æstus, qui, quamdiu spectatur amica, indies crescere consuevit.

Ad doctas Athenas] Olim etiam præpositionem propriis urbium nominibus adhibebant, ut dixit etiam Cic. Philipp. II. 'Cum ad Aquinum accederet.' Virg. etiam Ecl. VI. 'Atque iterum ad Trojam magnus mittetur Achilles.' Athenæ porro 'doctæ' dicuntur, quod ibi non modo artes inventæ sint, educataque eloquentia, sed etiam quia, ut ait Cicero, inde humanitas, doctrina, leges, jura, fruges mortalibus obveuerunt. Athenæ civitas fuit totius Græciæ lumen, regionis Atticæ primaria, non procul a mari sita, philosophorum et oratorum mater, poëtarum alumna.

Vix tamen aut semel admittit, cum sæpe negavit;
  Seu venit, extremo dormit amicta toro.
Unum erit auxilium: mutatis, Cynthia, terris,
  Quantum oculis, animo tam procul ibit amor.
Nunc agite, o socii! propellite in æquora navem,
  Remorumque pares ducite sorte vices;
Jungiteque extremo felicia lintea malo:
  Jam liquidum nautis aura secundat iter.

gravis instat. Puella *tandem ægre* me in domum suam *semel recipit, postquam sæpius me exclusit; si vero* ad me *accedit, in ultima lecti parte vestita cubat. Unicum* illud *erit* mihi *remedium*, o *Cynthia, mutato climate*, quod *amor tam longe discedet a meo pectore, quantum* recedam *a tuo conspectu. Jam agite, o sodales, in mare ratem perducite, pariterque vices sortiti remos impellite, et aptate malo supremo vela candida; ventus enim benignior secundam navigantibus ac prosperam*

Nostram lect. exhibent B. B. B. L.—7. 8 ‘ Augurale verbum est *admittere*. Causa nulla est cur de mendo suspicemur, aut conjecturam nescio quorum hominum *addicit* recipiamus.’ *Broukh.* ‘ *Vix ea me aut s.* Guy. [Cf. sup.] *Negarit* membr. Palat. C. Com. Guarn.’ *Barth.* ‘ *Admittat* in Colb. *Negarit* in Neap. Leid. 2. tribus Voss. Dorv. 1. et meo. *Rogarit* in altero Dorv. et *rogarim* pro varia lect. superscriptum. *Solvit* pro *dormit* in Borr. meo 1. [et C. Com.] *Dormit amica* in Regg. Colb. Ask. Leidd. tribus Voss. Dorvv. et meis, ac primis aliisque vetustis edd. *Venit amica* in Palatino. *Amicta* bene correctum fuit a Scaligero. Priore versu conjecerat *Vix ea me aut semel admittit.* Sed mollior est Heinsii conjectura, *Vix tandem aut semel admittit.* *Seu venit* vel notat, sui dat copiam: vel præferendum hic videtur *Seu veni.* Recte *veni* etiam malebat Kopp. Obs. Philol. cap. 11. p. 147. Add. Broukh. inf. ad El. 23. 15. sed quod veterem lect. *amica* reducendam existimet, et de socia lecti amica, quæ simul cum ea in extremo toro dormiebat, intelligat, non probo.’ *Burm.* ‘ *Venit amica* Palat. membr. *Dormit amica* Bon. Guarn. Dresd. Brix. Venet. Aldd. *Amicta* tuetur V. D. in Bibl. Phil. Gött. T. I. p. 378. Erat tamen contra amictum Cynthiæ Propertio præsens remedium. Cf. II. 15. 18.’ *Barth.* ‘ *Amicta* præclare Scaliger. Nugas agere videntur, qui *veni* substituunt.’ *Lachm.*—9. 10 ‘ Male subdistinguunt. Scribe *mutatis Cynthia terris Quantum oculis, animo &c.*’ Id.—11 ‘ Noster 1. cum Groning. *navim:* quod est contra canonem Flav. Charisii lib. I. Videndus tamen Vossius II. Analog. 12.’ *Broukh.* *Navim* est in cod. Scal. Leid. 2. Voss. 3. 4. Dorv. 2. Burm. 1. Vat. *Navem* dant B. B. B. L. *Æquora* recte emendatum censent Burm. Lachm. pro *æquore*, quod in Bon. Fruterii cod. Neap. Leid. 1. duobus Voss. Dorv. 1. Burm. 2.—12 *Pari* Heins.—13 *Duciteque* Groning. ‘ *Jungite et* Voss. 4. ut scribere potuisset Prop. sed alterum prætulit.’ *Burm.*—14 *Nam* Regius, Borr. Burm. 1. et

NOTÆ

6 *Me premit Deus*] Amor, qui et Cupido. Tibull. I. 9. ‘ Ipse Deus somno domitos emittere vocem Jussit.’

10 *Quantum oculis*] Vulgatissima sententia est, oblivionem amicitiæ ex diuturniore absentia induci. Unde proverbium illud Græcorum apud Athenæum lib. IV. ‘ Procul degentes amici non sunt amici.’ Ad mentem etiam Propertii docet Ovid. præsentissimum amoris tollendi remedium esse migrationem ac fugam.

Romanæ turres, et vos valeatis, amici;
  Qualiscumque mihi, tuque, puella, vale.
Ergo ego nunc rudis Adriaci vehar æquoris hospes!
  Cogar et undisonos nunc prece adire Deos!
Deinde per Ionium vectus, cum fessa Lechæo
  Sedarit placida vela phaselus aqua;
Quod superest, sufferte, pedes; properate laborem,
  Isthmos qua terris arcet utrumque mare.

præbet navigationem. O *arces Romanæ, vosque,* o *amici, valete; tu quoque,* o *amica, qualiscumque mihi* sis, *vale. Jam igitur ego* navigationis *imperitus Adriatici maris advena vehar, Deosque marinos invocare mihi necesse erit. Postquam vero per Ionium* mare *transmissa navis carbasa longo itinere pæne fracta quiescere fecerit in Lechæo tranquillo littore; quod reliquum est* iter, vos, o *pedes* mei, *sustinete: viam celeriter conficite per illud intervallum, quo Isthmus ex utraque parte ter-*

antiquæ edd. *Jam* rectum judicat Burm. quod in reliquis codd. *Secundet* Reg. Bon. et *serenat* Dorv. 2. Hæc damnat Burm. qui monet: 'Vulg. firmatur a Nonio Marcello in 'Secundare' p. 169. ed. Mercer. ubi hunc vs. affert; ex quo etiam patet *Nam* frustra in aliis haberi.'—16 'Est quidam liber, in quo liquidis literis exaratum legitur *Johanna v.*' Broukh.—17 *Tergo* Heins. Vulg. non solicitand. opinatur Burm.—18 *Cogor* Burm. 1. *Undosos* Markl. ad Stat. Sylv. p. 276. Vulgatam, ait Burm. vindicavit Dorvillius II. Misc. Obs. p. 74.—19 Valde hæret Burm. in explicando hoc l. et inter alia quærit an f. in voce *vectus* lateat *pelagus*, vel *ventis*, vel *cursu*. *Lechæi* Guy. Heins. *Lychæo* Neap. Voss. 1. 4. Dorvv. *Lyceo* Mentel. Burm. 2. et pr. edd. *Lycæo* Regg. *Licheo* Ask. Colb. *Lecheo* Venet. ap. Barth. *Lyæo* Dresd. *Lechæo* veram esse scripturam pronuntiat Burm. ut primus Beroaldus restituit.—20 *Credidimus placidæ .. aquæ* Heins. contra mentem Poëtæ, judice Burm.

NOTÆ

16 *Qualiscumque mihi*] Formosa nimirum, sed impudica. Sic etiam Ovid. Amor. I. 6. 'Qualiscumque vale, sentique abeuntis amorem, Lente, nec admisso turpis amante: vale.'

17 *Adriaci æquoris hospes*] Indignatur Propertius, quod contra quod apud se statuerat, navigare cogatur. Dixerat enim supra Eleg. 7. 'At tu, sæve Aquilo, nunquam mea vela videbis.' Adriacum porro et Adriaticum mare dicitur, quod Picenum, Æmiliam, Venetiam, Carnos, Istriam, et Illyricum alluit, Ionio Tyrrhenoque conterminum, vulgo *Mare* seu *Golfo di Venetia,* quod a solis Venetis navigari solet, utpote cujus ipsi soli teneant imperium. Gallice dicitur *le Golfe de Venise*.

19 *Per Ionium*] Ionium mare, de quo jam sæpius, est illud quod a mari Adriatico incipiens inter Siciliam, Græciam, Macedoniam, Epirum, Achaïam, Peloponnesum, et Italiam interfusum extenditur.

Lechæo] Lechæum portus est urbis Corinthi ad occidentem, in sinu Crysæo seu Corinthiaco. Constat enim geminos portus fuisse Corinthi, Lechæum, et Cenchreum, testaturque Pausanias in Corinth. illis promontoriis Isthmum Corinthiacum disterminari. Utrumque describit Plin. IV. 4. Strabo vero lib. VIII. dicit uti portu Lechæo, qui ex Italia Corinthum navigant, ut Cenchreo, qui ex Asia. Ex hoc duplici portu Corinthus dicta est 'Bimaris' apud Horat. Od. I. 7.

Inde ubi Piræi capient me littora portus,
Scandam ego Theseæ brachia longa viæ.
Illic vel spatiis animum emendare Platonis
Incipiam, aut hortis, docte Epicure, tuis;

ris æquor depellit. Deinde postquam me ora Piræi portus acceperit, ego viæ Theseæ longa brachia transcendam. Athenis vero *aggrediar corrigere mentem* meam *disciplina Platonis, vel tuis hortulis,* o *Epicure; vel assiduam diligentemque operam*

Placidam aquam Dresd. *Phasellus* Burm. 2.—21 *Sufferre* Neap. Ask. Voss. 4. Dorvv. Burm. 1. Dresd. Groning. *Properare* Frut. v. c. Voss. 1. Groning. *Properate pedes, sufferte l.* legit Struchtmeyer. Animadv. Crit. p. 102. 'Certe,' ait Burm. '*sufferte l.* defendi posset ex Stat. XII. Th. 407. Nihil ad h. l. notavit Bronkh. sed recept. lect. ei prælatam fuisse patet ex hac illius imitatione in Juvenilib. p. 453. Poëm.' '*Sufferte p. properate l.* Non muto. Suspicor tamen Prop. dedisse *sufferre, pedes, properate laborum*; vel potius, *Qui s. sufferre, pedes, properate laborem.*' Lachm.—22 *Ismos* Brix. *Q. tenuis* Venet. 1. ap. Barth. et *q. tenuit* 2. Nescimus tamen quas edd. voluerit. 'Melius nostri libb. cum ed. Veneta *utr. m.*' Bronkh. '*Utr. m.* recte edidit et multis Veterum locis stabilivit Bronkhusius: neque aliter legitur in Neap. Mentel. Heinsiano, Voss. 1. aliisque codd. et in Venet. 2. Vicent. Rheg. Volsci ac Beroaldi edd. Perperam *utrinque* vel *utrimque* in Voss. 4. Groning. Borr. Dorv. 2. Aldi utraque, Junt. Colin. et Gryphii: sed *utrumque mare* bene probavit Heins. N. Prop. p. 736. et ad Ov. VII. M. 394.' *Burm. Utrumque mare* Bon. Dresd. Brix. et Venet. ap. Barth.—23 'Nescio quo modo gratius ad animum cadit Groning. cod. et membr. Palat. lectio, *mea lintea.*' Bronkh. '*Pisæi* Dresd. *Mea lintea* initio in Palat. membr. fuisse testatur Gebh. sed huic erasæ substitutam vulgarem.' *Barth.* Cett. codd. et edd. vetustæ *me littora;* quod defendit Burm. 'Utra lectio,' ait Lachm. 'verior sit, non possum dicere. Tu Burmannum adito et nos Libro v. 6. 17.' Semper *Piræum*, non *Piræeum*, scribend. pronuntiat Burm.—24 'Non male legi posset *Prendam*. Pro *Theseæ* absurde *Thessaliæ* Voss. 4.' *Burm.*—25. 26 'Nullus dubito quin primitus scriptum fuerit *stadiis.* Porro,

NOTÆ

22 *Isthmos qua terris*] Isthmus significatur Corinthiacus, qui nihil aliud est quam angustum illud terræ intervallum inter duo maria, Ægæum et Ionium, exporrectum, unde procedit Peloponnesus, in quo medio intervallo, seu in cujus intervalli faucibus, sita fuit Corinthus. Isthmum porro hunc Corinthiacum Julius Cæsar, Caligula, ac Nero Imperatores Rom. infelici exitu, irritoque conatu, perfodere tentarunt.

23 *Piræi portus*] Piræus portus fuit Athenarum, 400. navium capax, muro duorum millium passuum urbi conjunctus.

24 *Theseæ brachia longa viæ*] Sic vocat Propertius viam illam inter longos muros Themistoclis consilio ab urbe Athenis ad mare usque 40. stadiorum spatio perductos, ut urbi Piræus portus jungeretur. Thesea via est illa, quam Theseus olim latronibus purgavit, liberamque a prædonum metu fecit.

25 *Spatiis* [*studiis*] *animum emendare Platonis*] Philosophiam significat, quæ morum est emendatrix, vitiorum expultrix, virtutumque commendatrix. Plato philosophus fuit insignis, Academicæ sectæ princeps, non minus morum integritate quam discipulorum frequentia celebris. Hic in Academia vico Athenis proximo primus scholas seu gymnasium erexit.

26 *Epicure*] Epicurus etiam philo-

Persequar aut studium linguæ, Demosthenis arma,
Librorumque tuos, munde Menandre, sales;

dabo eloquentiæ, quæ *Demosthenis arma* sunt, *salesque* et jocos *comœdiarum tua-*

nisi me omnia fallunt, scripsit Poëta *dux Epicure*.' Broukh. '*Stadiis* prob. Vulp. Valcken. (ap. Kopp. Obs. Phil. p. 71.) et Klotz. ad Tyrt. p. 71. ed. nov. Bene saltem hæc stadia respondent hortis Epicuri voluptariis. *Docte Ep*. omnes libb. quo epitheto Epicurus quoque insignitur a Petron. cap. 132. *Dux* recepit Gött. improbantibus VV. DD. *Aut Ep*. malebat doctus Anglus, vel *note Ep*.' Barth. '*Stadiis* ... *dux Ep*. edidit Broukhusius, rejecta lectione, quæ olim in omnibus Mss. et editis obtinebat, *studiis*. Broukhusius primum in notis Mss. forte a Propertio *spatiis scriptum* fuisse conjecit, idque postea corruptum in *stadiis*, deinde abiisse in *studiis* opinabatur: sed in Notis editis prætulit *stadiis*, et velut certissimam lect. in contextu exhibuit. Ap. Claud. II. de Laud. Stil. 129. Patruus meus Broukhusii emendationem in hoc Propertii loco laudat. Vulgatam tamen lect. olim probasse videtur Broukhusius, ut colligi potest ex Carminib. ejus Juvenilib. p. 425. ubi hæc imitatur. Deinde *docte Epicure*, ut in omnibus scriptis et excusis libris legebatur, non minus eum offendebat: edidit itaque et multis Veterum locis corroboravit, *dux Epicure*. Britannus in Misc. Obs. Vol. II. p. 114. tentabat, relicto hiatu, *studiis*... *Incipiam ; hortis aut Epicure t*. ubi in nota subjecta Patruus meus [Cf. Barth. sup.] tentat reponere *hortis note Epicure:* observatque *docti* epitheton, Epicuro datum, non adeo ad eruditionem referendum esse, quam ad illud philosophiæ genus, quod sectabatur Epicurus, ut quisque in sua arte *doctus* dicitur: idque pluribus astruit G. Vlamingius, inedito, sed luce publica dignissimo, Commentario ad Boëth. III. de Cons. Philos. metro 11. in fine.' *Burm*. *Docte* defendit Valcken. in Obss. Phil. Koppiersii p. 172. Huschk. in Ep. ad Sant. cum Fonteinio defendit *spatiis*, nec putavit *stadiis*, quod voluit Toup. in Addend. ad Theocr. Warton. p. 400. convenire huic l. 'Huschkii rationibus inductus *spatiis* in ordinem recepi: et script. *docte Ep*. revocandam putavi.' *Kuin*. 'Hos vss. varie a multis, sed frustra, ut opinor, tentati. Hic l. etiamsi de repetitionibus concedamus, tam gravibus laborat vitiis, ut facile credam ita potius interpungi debuisse, vitato illo pravo loquendi genere *Platonis studia: Illic vel studiis animum emendare, Platonis Incipiam aut hortis, docte Epicure, tuis:* ut suo errore dixerit *Platonis hortos*, non librariorum vitio. *Persequar aut* habes in proximo disticho, in priore *Illic vel*, variatione iis, qui hodie Latine scribere putantur, familiari, ignota Veteribus, qui *vel* sequente *aut* non magis dixerunt, quam nos *entweder auch—oder aber*. Repetito *aut* vel certe pluribus membris disjunctivis antecedentibus *vel* poni potest, et aliquoties ita positum reperimus. Sc. *aut* prorsus excludit alterum, *vel* admittit. Haud multum afuit, quin critici alterum distichon potius impugnarent, 'Persequar aut' &c. in quo Huschkius etiam, cetera sibi obscura esse fassus, Burmanno *tuos librorum sales* pro, sales tuorum librorum, corruptum esse concedit; præterea observans, 'libros' vel 'libellos' pro comœdiis dici. Guyetus et Heinsius audacia nimis et vaga, partim inepta quoque, commenti erant: *Graiorumque tuos, Ludorumque tuos, arma Liberatumque tuos*. Quid vero, si una interpunctionis nota addita omnia clara

NOTÆ

sophus fuit celebris, qui primus Athenis hortos instituit, cum antea moris non fuisset in oppidis haberi rura. Unde et refert Laërtius Epicurum scholam habere, ac in horto docere consuevisse. Significat autem Poëta sese Athenis esse philosophaturum, sectaturumque aut dogmatica Platonica, aut Epicuri sectam.

27 *Demosthenis arma*] Unum De-

Aut certe tabulæ capient mea lumina pictæ,
  Sive ebore exactæ, seu magis ære manus.

rum, o *Menandre*, sectabor ; *vel saltem tabellæ depictæ, vel statuæ ex ebore vel ex ære exquisita arte elaboratæ spectantem me detinebunt ; vel temporum longinquitas,*

---

funt? Sic distingue : *Persequar aut studium linguæ, Demosthenis arma, Librorumque, tuos, docte Menandre, sales.*' Lachm. qui in textu uncinis includit vv. 25. 26.—27. 28 '*Prosequar* Dresd. *Graiorumque* Guy. *Ludorumque* Heins. Id. et pro *docte* reponit *culte*, approb. Kopp. et V. D. Misc. Obss. qui et *comte* volebat. At ita omnia possumus omnes !' *Barth.* '*Prosequar* in Exc. Modii, et Ask. sed *Persequar* hic positum est pro simplici, sequar. *Aut* deest Menteliano. Deinde et *Dem.* inseritur in Vat. 1. Regio, et primis edd. ante Aldinas : sed male. *Tuos librorum sales*, pro, sales tuorum librorum, corruptum esse non dubito, ne dicam *librorum Menandri* mentionem ineptam esse, et fere puerilem : sed et *docte Menandre* merito etiam viris doctis displicet, quia præcedit *docte Epicure :* nam *dux Epicure* ex sola Broukhusii conjectura editum est. Guyeto in mentem venerat *Graiorumque* vel *Græcorumque tuos.* Heinsius in ora ed. Ald. conjecerat *arma Libera, tumque tuos :* sed ad Prop. p. 786. *culte Menandre* legebat, vel *Ludorumque tuos :* quod ultimum ipse aliquando conjeceram, vel *Mimorumque*. *Culte Menandre*, vel *comte*, etiam Dorvillius proposuerat in Misc. Obs. Vol. II. p. 115.' *Burm.* 'In ordinem recepi *munde*. *Docte* a grammaticis profectum videtur.' *Kuin.*—30 *Aut eb.* Guy. *Arte man.* Livin. et *ære juvent* Heins. quorum conject. duas postremas

NOTÆ

mosthenem Atheniensem, oratorum principem, instar omnium appellavit; dixitque linguam seu eloquentiam esse 'Demosthenis arma,' quia oratores tanquam armis muniuntur eloquentia. Unde et Cic. lib. I. de Invent. 'Qui vero ita sese armat eloquentia, ut non oppugnare commoda patriæ, sed pro his pugnare possit, is mihi vir et suis et publicis rationibus utilissimus atque amicissimus civis fore videtur.' Petronius etiam dixit: 'ingentis quatiat Demosthenis arma.'

28 *Docte Menandre, sales*] Menander, seu Menandrus, Atheniensis, poëta fuit comicus, strabus, mente acutus, amore in mulieres insanus. Comœdias scripsit 80. Tanto porro fuit in pretio, ut etiam oblatis magnis honoribus ac divitiis invitatus sit ab Ægypti regibus. De Menandro scribens Quintilian. Instit. Orat. x. 1. ait : 'Vel unus [Menander], meo quidem judicio, diligenter lectus ad cuncta quæ præcipimus efficienda sufficiat: ita omnem vitæ imaginem expressit; tanta in eo inveniendi copia, et eloquendi facultas; ita est omnibus rebus, personis, affectibus accommodatus . . . Atque ille quidem omnibus ejusdem operis auctoribus abstulit nomen, et fulgore quodam suæ claritatis tenebras obduxit.' De Menandro quoque canit Ovid. Trist. II. 369. 'Fabula jucundi nulla est sine amore Menandri ; Et solet hic pueris virginibusque legi.'

29 *Aut certe tabulæ*] Tabulis pictis ac signis inspiciendis vehementer oblectabantur Romani. Testatur autem Plinius cum nostro Propertio magnam copiam Athenis fuisse tabularum ab Apelle, Zeuxide, Parrhasio, pictarum.

30 *Sive ebore exactæ*] Signa etiam ex ebore vel ære diligenter a peritissimis artificibus elaborata Athenis visebantur.

Aut spatia annorum, aut longa intervalla profundi,
  Lenibunt tacito vulnera nostra situ.
Seu moriar, fato, non turpi fractus amore:
  Atque erit illa mihi mortis honesta dies.

vel diuturnæ maris intercapedines silenti in *pectore* meo *sedabunt mala mea. Si vero ex fatorum lege mortem obibo, non* saltem *infami vexatus amore* occumbam, *mihique ista dies leti decora erit.*

damnat Burm.—31 *Et sp.* Brix. et Venet. ap. Barth. '*Aut l.* Regg. Ask. Leidd. tres Voss. Dorvv. Burmm. et omn. fere reliqui codd. et edd. vetustæ: ideoque sic edidi, non *et l.* ut in ed. Scal. et Broukh. [et Barth.] ut correxerat etiam Markl. *Arvorum* in aliis legi notat Passeratius, quod recte rejecit. *Longi* Heins. in marg. ed. Ald.' *Burm.*—32 '*Situ* divinabat Gebh. quod vix possum non probare. Potest tamen *sinu* commodo sensu servari, si Tempus et Longinquitatem capias pro personis divinis.' *Broukh.* '*Situ* D. Heins. ad Sil. p. 424. Nihil mutand.' *Barth.* '*Situ* verissime D. Heins. ut filius ejus in marg. ed. Ald. etiam conjecerat: et ita olim jam correctum fuisse patet, quia Perreius eid. ed. ascripserat *situ* in aliis esse. Heinsii emendationem, ut ei pro more obloqueretur, improbavit Dausq. ad Sil. p. 328. In Mss. tamen omn. et edd. antiquis *sinu* reperi, quod probat Passerat. H. tamen l. *situ* admittend. videtur: neque aliter legebat Markl.' *Burm.* 'Huschk. in Ep. ad Sant. p. 76. jure optimo dubitat, an 'tacitus' ad *situs* hoc sensu quadret, et codd. omnium script. *sinu* perbene tuetur.' *Lachm.* —33 *Aut m.* Guy. *Facto* Mentel. *Fretus am.* Regius. *Turpefactus* Voss. 4. —34 *Æque erit* Heins. In Dorv. 2. *m. non inhonesta d.*

NOTÆ

31 *Aut spatia annorum*] Nullum enim tantum est malum, nullus tantus dolor, cui longinquitas temporis aut locorum distantia non medeatur.

ELEGIA XXII.

AD TULLUM.

Frigida tam multos placuit tibi Cyzicus annos,
  Tulle, Propontiaca qua fluit Isthmos aqua,

O *Tulle*, an *tibi per tanti temporis spatium placuit Cyzicus inamœna ac gelida,*

1 Duo priora huj. El. disticha ab interpolatore esse putat Guy. citra necessitatem, ut judicat Burm. Ceterum *jam* Heins. *Cyricus* Regg. Brix. *Circiter* Bon. *Cyzius* Dresd. *Cirricus* Voss. 1. *Garricus* Mentel. Groning. *Cirzicus* Borr. *Cizicus* Neap. *Cinzicus* Ask. ut et in aliis codd. haberi testatur Wass. Adden-

NOTÆ

1 *Frigida tam multos*] Tullum amicum diutissime peregrinantem Propertius revocat in urbem Romam, qua nihil in toto terrarum orbe pulchrius ac mirabilius esse demonstrat. Quis vero fuerit ille Tullus, incertum

Dindymus, et sacræ fabricata juvenca Cybebæ,
Raptorisque tulit qua via Ditis equos.

qua Isthmus mari Propontiaco alluitur, Dindymusque ubi templum Divæ Cybelæ ædificatum est, iterque quod equos Ditis Proserpinam *rapientis tulit? Si forsan oblec-*

dis ad Thucyd. p. 676.—2 *Propontiacæ aquæ* Heins. quod placet Burmanno, si de freto Propontidis capiamus. *Quæ* Dresd. *Ismos* Brix.—3 '*Dindyma qua Argivo* (al. *Argivum*) *et quæ sunt templa alta Cybelles* Passerat. in vet. lib. reperit, unde ipse refingit, *D. qua Argivæ sunt templa sacrata Cybellæ*; vel *Dindyma, quæ sacræ fabricata in templa Cybellæ. Fabricata inventa* dictum ut 'Graiorum obscura reperta' ap. Lucret. I. 137. (In Dresd. et Brix. etiam *sacra* pro *sacræ*.) Nihilo tamen minus Vossii emendat. adoptavit cum Vulp. et Gött.' *Broukh.* '*Sacra fabricata inventa* in omn. codd. et edd. vetustis: et ap. Nestorem in Vocab. in 'Dindymus,' quod tuetur Scaliger. *Invecta* in illius Excerptis. *Dindyma qua Argivu* Perr. v. c. *Dindyma qua Argivam fabricata juventa Cybele est* in Vat. 2. quod favet Heinsio conjicienti *Dindymaque Argoa fabricataque templa Cybebæ*: vel *Dindymaque ac Phrygiæ* legebat. Guyeto placebat *Dindymaque Argivæ qua sunt templa alta Cybellæ*, vel, *qua surgunt templa Cybellæ*. Sed Bronkh. merito recepit Is. Vossii restitutionem, eamque auro contra non caram vocat, qui in Obs. ad Catull. p. 161. legend. monuit *sacræ fabricata juvenca Cybellæ*, quam laudat etiam Wassius, et a cod. Rich. Meadii confirmari testatur in Addendis ad Thucyd. p. 676.' *Burm.* '*Sacræ fabricata juvenca Cybebæ* egregie Is. Voss. nisi quod *Cybebes* scribend. Libb. vett.] *sacra f. inventa Cybelæ*. Neap. *Cibele*, ut solet in talibus.' *Lachm.*

NOTÆ

est, nisi forsan filius fuerit fratris L. Volcatii Tulli, qui collega fuit Augusti in secundo ipsius consulatu, ut scribit Dio sub fin. lib. XLIX. nam supra dixit Propert. I. 6. 'Tu patrui meritas conare anteire secures.'

Cyzicus] Vel Cyzicum, civitas est minoris Asiæ ad Propontidem, quæ quondam magnitudine ac pulchritudine primis Asiæ urbibus non cedebat, paci, belloque apta, mœnibus, arce, turribus marmoreis, armisque inclyta.

2 *Propontiaca qua fluit Isthmos aqua*] Propontis dicitur totum illud mare, quod ab Hellesponti angustiis ad Thracium usque Bosporum protenditur. Nam Geographi primas maris Ægæi sese coarctantis angustias Hellespontum vocant. Deinde illa laxitas, in quam latius exspatiatur æquor, Propontis appellatur; ubi vero iterum mare in arctum coit, ac stringitur, Bosporus Thracius nuncupatur. Deinde ubi rursus diffunditur, Pontus Euxinus dicitur. Isthmum autem dicit Poëta allui Propontiacis undis, quia nimirum Cyzicus civitas, ut dictum est, satis ampla, intra Propontidem sita, arcto tantum et angusto terræ spatio in mare porrecto adhærebat continenti; ut testatur Pompon. Mela I. 19. 'Trans amnem,' inquit, 'sedet in cervice peninsulæ Cyzicum.'

3 *Dindymus*] Seu Dindyma, orum, mons est urbi Cyzico imminens; unde et aliquando Cyzicus dicta est Dindymis, ut scribit Plin. VI. 32. In monte Dindymo Cybelæ Deorum matri, quæ et inde dicta est Dindymene, et Dindymi domina, templum est olim ab Argonautis ædificatum; ut testatur etiam Strabo lib. XII. Hic porro Propertii locus videtur corruptus, nam vario modo legitur a variis. Libri veteres habent: *Dindyma qua Argivum, et quæ sunt templa alta Cybellæ*. Sic autem Passeratius legendum putavit: *Dindyma qua Argivæ sunt templa sacrata Cybellæ*: vel hoc

Si te forte juvant Helles Athamantidos urbes,
Nec desiderio, Tulle, movere meo;
Tu licet aspicias cœlum omne Atlanta gerentem,
Sectaque Persea Phorcidos ora manu,

tant te, o Tulle, civitates Helles Athamantidos, meique desiderio teneris; tu quamvis aspectes Atlantem totum cœlum humeris *sustinentem, caputque Phorcidos ampu-*

—4 Sic Mentel. Vat. 1. Borr. Groning. Heinsian. et pr. edd. *Quæ* Aldd. Junt. Colin. Gryph. aliæque, quod etiam Guyeto placebat. 'Diu est cum VV. DD. reposuerunt *quæ*. Sed nihil opus, modo ista omnia recte distinguas.' *Lachm.* qui punctum medium ad fin. vs. 2. minimum ad fin. vs. 4. et maximum ad fin. vs. 6. ponit. *Qua* dant B. B. B. L.—5 *Juvat* Dresd. *Hathamant.* Ald.—6 '*Et* nemo solicitavit, neque suspectum habuit de mendo. Groninganus *Nec*: optime.' *Broukh.* '*Nec* restituit Guy. ex Modii cod. et Palat. *Nec* esse in Ferrarii lib. observat ed. Cant. *Mei* vult Broukh. contra idiotism. Prop.' *Barth.* '*Et* in plerisque codd. et edd. antiquis; sed in Colot. Vat. 1. 5. recte *Nec*. *Tuo* male in Vat. 5.' *Burm.*—7 *Ferentem* Mentel.—8

NOTÆ

modo: *Dindyma, quæ sacræ fabricata in templa Cybellæ.* Quæ quidem lectio sensum efficit apertum ac planum ad mentem Strabonis mox laudati. Argivi namque sunt Argonautæ, qui templum Cybelæ Argivæ in illo monte dedicarunt. Scaliger autem locum hunc sic explicat: 'Fabricata inventa Cybellæ,' inquit, 'sunt urbis Cyzici fabricæ, quæ pulcherrimæ erant in hoc oppido. Vocat autem Poëta Cybellæ fabricas, quia oppidum illud Cybelen colebat.'

4 *Raptorisque Ditis, &c.*] Dis, itis, Latinis dicitur Pluto, quem hoc in loco Propertius dicit circa Propontidem rapuisse Proserpinam; licet omnes alii fere scriptores eam in Sicilia raptam fuisse referant.

Tulit qua via equos] Ad Heracleam, urbem Ponti, specus est Acherusia, qua ad Inferos aditum patere fabulati sunt veteres. Unde per illam viam ac specum Proserpinam rapuisse Plutonem dicit Propertius. Inde etiam extractum ad superos ab Hercule Cerberum Inferorum custodem existimarunt.

5 *Helles Athamantidos urbes*] Hellespontiacas civitates intelligit, quæ ad Hellespontum sitæ sunt. Hellespontus autem est fretum illud angustum, quod inter Ægæum mare et Propontidem, inter Sestum et Abydum interfluit; hodie vulgo *El far*, vel *Il stretto di Gallipoli;* Gallice, *le détroit des Dardanelles.* Hellespontus porro dictus est ab Helle Athamantis, regis Thebarum, filia, quæ una cum fratre Phryxo novercam fugiens, Pontumque trajiciens, decidit in mare, in quo summersa est. Ovid. in Epist. Leandri: 'Hoc mare, cum primum de virgine nomina mersa Quæ tenet est nactum, tale fuisse puto. Et satis amissa locus hic infamis ab Helle, Utque mihi parcat, crimine nomen habet.'

7 *Cœlum Atlanta gerentem*] Atlas, Iapeti et Clymenes filius, frater Promethei, Mauritaniæ rex, magnus fuisse dicitur astrologus, sphæramque primus adinvenisse; unde cœlum portare humerisque sustinere fingitur. Virg. IV. 'cœlifer Atlas Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.' Atlas etiam Mauritaniæ mons est altissimus, in quem Atlas rex

Geryonæ stabula, et luctantum in pulvere signa
   Herculis Antæique, Hesperidumque choros;
Tuque tuo Colchon propellas remige Phasim,
   Peliacæque trabis totum iter ipse legas,

tatum manu Persea, Geryonis armenta, Herculisque et Antæi inter se pugnantium vestigia pulveri impressa, Hesperidumque choros; ac tu Colchicum Phasin remige tuo impellas, omnemque peregrinationem navis Peliacæ ipse

‘ *Tactaque* Heinsian. *Sertaque* Leid. 1. *Tectaque* in meo 1. An f. *Cæsaque? Phocidos* corrupte Neap. a m. pr.’ *Burm.*—9 ‘ *Gerionæ* unus Reg. unus Colb. Ceteri omn. *Gerionis*, quod non est admittend. ut luculenter ostendit Heins. ad Ov. Ep. Hermion. 9.’ *Broukh.* ‘ *Geryonæ* unus Reg. unus Colb. Cett. omn. etiam Dresd. *Geryonis.*’ Barth. ‘ *Geryonis* Regius, Colbertinus, Neap. Borr. Groning. Leidd. tres Voss. Dorvv. mei, et Ask. in quo male *luctantem*: sed *Gerionæ*, ut recte edidit Broukh. jam in primis ceterisque vetustis edd. legitur.’ *Burm.*—11 ‘ *Colchum* habent libb. scriptione Latina.’ *Broukh.* ‘ *Colchum* Guy. et sic Vat. et Posth. cum Ed. pr. Brix. Venet. *Colchus* pro, Colchicus. *Colchin* Dresd.’ *Barth.* ‘ Recte *Colchum* correxerunt VV. DD. quod firmatur a codd. et pr. edd. non *Colchon*, ut in Aldd. Junt. Colin. Gryph.

NOTÆ

conversus dicitur a Perseo, cum ipsi caput Gorgonis Medusæ spectandum objecisset.

8 *Persea Phorcidos ora manu*] Phorcis est Medusa seu Gorgonis, cujus caput amputatum est a Perseo. Gorgones fuerunt tres filiæ Phorci, a quo Phorcides dictæ sunt. De Perseo jam supra satis superque dictum est.

9 *Geryonæ stabula*] Rex fuit Hispaniæ Geryon, quem tricorporem seu tricipitem fuisse fabulati sunt. Alii dicunt fuisse tres tantæ concordiæ fratres, ut uno animo duci viderentur. Geryonem Hercules interfecit, ejusque boves et armenta, quæ erant copiosissima, abegit in Græciam.

10 *Herculis Antæique*] Statuas et simulacra. Antæus Terræ filius fuisse dicitur, qui cogere solebat hospites, ut secum palæstra decertarent, quos deinde inter luctandum enecabat. Hunc Hercules a terra sublimem medio corpore oppressum elisit. Plinius autem III. 8. a Polycleto factum refert Herculem Antæum procul a terra sublimem opprimentem.

Hesperidumque choros] Hesperides sorores tres dicuntur filiæ fuisse Hesperi, fratris Atlantis, quas poëtæ finxerunt hortos habuisse nemore aurifero pretiosos, quos pervigil servaret draco, quem Herculis dicitur interfecisse, pomaque aurea abstulisse. Significat autem hoc loco Poëta, quod in hortis suis Hesperides choros ducerent, choreasque agerent.

11 *Colchon Phasim*] Phasis fluvius est Colchicæ regionis seu Colchorum maximus, ex Armeniæ montibus nascens, et in Pontum Euxinum illabens.

12 *Peliacæque trabis*] ‘Peliaca trabs’ est navis Argo, quæ ex arboribus et lignis e Pelio Thessaliæ monte prognatis constructa est, quæque Argonautas in Colchidem ad vellus aureum vexit; ut canit etiam noster Catull. in nuptiis Pelei et Thet. carm. LXIV. 1. ‘Peliaco quondam prognatæ vertice pinus Dicuntur liquidas Neptuni nasse per undas Phasidos ad fluctus.’

Qua rudis Argoa natat inter saxa columba
In faciem proræ pinus adacta novæ;
Et qua Gygæi visenda est ora Caystri,
Et qua septenas temperat unda vias;

perlustres, qua parte pinus inculta in formam navis recentis exstructa fertur inter cautes cum *columba Argoa, et qua parte spectanda est regio Caystri Gygæi, et qua alveus* unicus *in septem divisus cursum* suum *moderatur; cuncta*

---

aliisque.' *Burm.*—13 *Argea* Voss. 3. Ask. Burm. 2. Damnat Burm. *Argo-duce natat* Vat. 5. *Intra* Ask.—14 *Pin. ad ossa* improbat Burm. quod in Colb. et in marg. *adepta.*—15 'Multos incertos certare super hoc versu vidimus. Nostri duo cum Groning. ac Borr. et tribus Gebhardi libris *Et si qua origæ* exhibent: quod ipsum in suo repertum Scaliger mutavit in *quadrigæ.* Is. Vossius Obss. in Melam reponebat *Et si qua Ortygii.* Nihil poterat melius: et tamen in Notis ad Catullum substituit *Et si qua Phrygii.* Veræ lect. vestigia satis clara servarunt Regg. *Et si qua Origiæ;* (unde manavit ceterorum τὸ *origæ;*) est et in uno *Ogygiæ*, quod ipsum non multum abludit. Etiam editio princeps, et ei proxima Veneta, habent *At si qua Origiæ.* Inde vides paulula mutatione elici *Ortygii*, quo modo omnino legi debet. Ezech. Spanhem. Obss. in Callimachi Hymnos, solicita cura examinat hunc ipsum Poëtæ nostri locum, p. 305. sqq. affertque multas rationes, cur Scaligeri *quadrigæ*, Vossiique vel *Phrygii* vel *Ortygii* non possit admittere, doctas profecto atque acutas. Quæ tandem eo redeunt, ut, si conjecturis sit locus, illam Lipsii, *cygnæi Caystri* reponentis, omnino aliis potiorem arbitretur; aut receptam lectionem *Gygæi* loco non movendam putet. Quod si istud *Gygæi* in ullo usquam vetere libro compareret, causa nulla esset quare rejiceremus: sed primum est conspectum in Volsc. 2. h. e. totos annos tredecim post principes edd. quæ a manu scriptis libris nihil abibant. Nota est autem huj. hominis temeraria audacia, quidvis quovis modo refingentis, neque hoc loco vel verbulo uno indicantis, unde hauserit suum *Gygæi:* quod tamen factum oportebat, ubi a lect. jam recepta discedebatur. Atque hoc ne gratis dixerim, ecce ipsa Volsci verba: '*At si qua origæ.* Locus mendam habet, quam ita castigandam censeo, *Et qua Gygei.* Alii *cycnei*, alii *olorigeri* legend. putarunt; non placet.' Habemus confitentem reum, et simul antiquam scripturam agnoscentem. Tamen Volscum Lipsius non viderat: itaque Beroaldum audiamus: '*Gygei ora Caistri.* Caister fluvius est Lydiæ Sardibus proximus, a quo dicitur Caistrianus campus. *Gygeum* cognominat Poëta a Gygeo lacu ejusd. regionis, qui alio nomine dictus est Colous. In vetust. cod. legimus *olorigeri:* quod non displicet,' &c. His inductus adolescentulus Lipsius *cygnæi Caistri* reponebat I. Var. Lect. 2. quod opus vir factus abolere voluit, nec potuit. Videmus itaque in qua officina

NOTÆ

13 *Argoa columba*] Argonautas monuerat Phineus, ut columbam, quam ipsis dederat, viæ ducem ad Symplegadas insulas emitterent, quam ab Argo navi vocat Argoam Propertius.

Inter saxa] Symplegades, seu Cyaneæ insulæ sunt, quæ procul visentibus apparent cautes sive scopuli inter se concurrentes. Sunt autem trans Bosporum Thracium in ipso Ponti Euxini ingressu.

14 *In faciem proræ novæ*] Omnium namque navium prima fuisse dicitur Argo.

15 *Gygæi Caystri*] Cayster fluvius est Lydiæ, qui dicitur Gygæus a Gyge, Lydorum quondam rege, a quo etiam 'lacus Gygæus' Eleg. 11. hujus libri. Sardes, urbem Lydiæ nobilissi-

Omnia Romanæ cedent miracula terræ.
Natura hic posuit, quicquid ubique fuit.

terrarum orbis *miracula cum agro Romano non contendent. Ibi natura protulit,*

Cayster *Gygeus*, in qua item *Cygnæus* fuerit factus. Spero homines elegantes facile passuros ut *Ortygius* dicatur, in tanta conspiratione veterum librorum, utque constet Vossio sua laus ob locum tam pulchre emendatum.' *Broukh.* '*Si qua orige* Bon. *Et si qua orige* Posth. Palatt. cum libro Passeratii. *Origa* C. Com. *At si qua orige* Ed. pr. *Origæ* Dresd. Vult Guy. *Aut si quadrijugi.* Editio an. 1475. et ei proxima Veneta exhib. *At si qua Origia.* Brix. *Si quave Gygei:* quare *gygæi* non primum in Volsc. 2. apparuit. *Si quæve olorigeri* est in Venet. 1500. *Et qua Gygei* tuetur Spanhem. ad Callim. H. Dian. 257. rejectis aliorum conjj. inprimis Volsci, [cf. sup.] qui *Phrygii* et *Ortygii* substituebat.' *Barth.* 'Vossii emendationem in contextu recepit, multisque propugnavit Broukhusius: repudiata altera Vossii ad Catull. p. 108. *Et si qua Phrygii;* quæ certe priori postponenda, licet ipse Vossius eum præferret. In uno Reg. *Et si qua Ogygia:* in altero *At si qua Origia:* ut in pr. edd. In Ask. et meo utroque *orige visenda.* *Et qua Origæ* in Perr. v. c. Vat. 2. Exc. Scal. Heinsiano, Borr. Groning. Leidd. tribus Voss. et Dorvv. In Vat. 1. *Et si qua Origi.* In aliis ejusd. Bibliothecæ *Si quane Lygæi*, *Si quave Gygæi*, vel denique *Si quave olorigeri.* *Et qua Gygei* in Aldd. Junt. Colin. Rouill. Gryph. aliisque: quod ex Volsc. 2. petitum esse indignatur Broukhusius, Volsco plerumque iniquior, nam ille in Notis monuerat alios *cycnei* vel *olorigeri* legere: sed *Gygæi* in Brix. jam extare notavit, et hanc lect. recepit editor Elect. Minor. Etonens. Scaliger reponebat *Et si quadrigæ:* et per *quadrigam Caystri* intelligebat quatuor urbes Ephesi nobiliores, Ephesum, Smyrnam, Colophonem, et Miletum: quod nimis longe quæsitum et contortum videtur: et absurdam hanc interpretationem vocat editor Elect. Minor. Etonens. Inde tamen Guy. formabat *Et* [vid. Barth. sup.] *si quadrijugi.* Heins. vero N. Prop. p. 737. tentabat *Quave Ephiræi*, vel *Aut qua Smyrnæi*, vel *Si qua et olorigeri*, aut *Si qua et cycnei.* *Cycnei* [*cygnei* Lips. ibi legisse notat Barth. Eod. tamen redeunt.] *Caystri* etiam conjecerat Lips. I. Var. Lect. 2. et hoc ultimum præ ceteris virorum doctorum conjecturis calculo suo probavit Spanhemius, ad Callim. H. Dian. 257. Illud itaque præferendum videtur, vel *olorigeri Caystri.*' Burm. 'Spanhem. improbat Vossii [cf. Barth. sup.] correctionem *Phrygii.* Unice veram lect. judicat, *Gygæi.* Recte.' *Kuin.* 'Libb. scripti meliores habent *Et si qua orige* vel *origæ*, nisi quod *si* nonnullis exulare videtur, quanquam Burmanni Notis hic aliquid erroris aspersum Livineius et Broukhusius arguunt, qui in Groning. Mentel. Heinsian. Borr. *si* legi testantur, quod ille abesse notat. Itali tentarunt *Si quave olorigeri;* tum Calderinus *Si quave Gygæi;* alii *Et qua Gygæi;* unde nuper factum *Et si qua Gygæi;* quæ 'unice vera lect.' versum uno, quem detrectat, semipede donat; [Kuinoelem perstringit, qui sic editum exhibet, sed f. errore typoth.] alii aliter: sed omnia ab optimorum libb. scriptura nimis differunt. Proxime verum, ni fallor, Vossius *Et si qua Ortygii.* Potius est ut reponamus *Et si qua Ortygiæ.*' Lachm.—16 *Temperet* Borr. Heinsian. *Perforat* Guy. quod reprobat Burm. *Minas* pro *vias* Franc. 1. *Septenas* incerto numero dictum, aut *centenas* legend. censet Burm. qui damnat editorem Elect. Minor. Etonens. accepti τοῦ *minas.*—17 'Mur. XVII.

NOTÆ

mam, alluit Cayster, ac deinde per regionem amœnissimam labens in sinum Ionium influit. Dicitur autem 'visenda ora Caystri,' tum propter regionis amœnitatem, tum propter urbium, quæ in ea sunt, nobilitatem. Multa pro more suo hic conjicit, divinatque, ac mutat Scaliger, quæ nos relinquimus.

16 *Qua septenas temperat unda vias*]

Armis apta magis tellus, quam commoda noxæ,
Famam, Roma, tuæ non pudet historiæ:
Nam quantum ferro, tantum pietate potentes
Stamus: victrices temperat illa manus.
Hic, Anio Tiburne, fluis, Clitumnus ab Umbro
Tramite, et æternum Marcius humor opus;

quæcumque alibi admiranda *fuerunt*. Hæc *regio* longe *magis bellis idonea* est, *quam culpæ injuriæque accommoda.* O *Roma, fama tuam historiam non erubescit. Quantum enim armis, tantum religione valemus: victrices manus illa moderatur. Ea in regione laberis*, o *Anio Tiburtine, Clitumnus*que fluit *ab Umbro nemore, ac Mar-*

Var. Lect. 12. errore memoriæ, ita laudat h. vs. *O. sunt pariter rerum miracula Romæ.*' Broukh. '*Cedant* Heins. et mox *ubique nitet* vel *sui est:* sed nihil tentand.' *Burm.*—19 *Nosse* Posth. pronunt. Italica, monente Barth.—22 'Lips. malebat *illa*, III. Var. Lect. 2. Ei [Livin.] Canter. [in marg. in Douss.] et Passerat. accesserunt: ac deinde J. M. Mattius I. Opin. 14. Sane in Borr. legitur. Tamen satius est servare antiquam lect. *ira*, quam et Gronov. defendit N. in Papin. I. Th. 112.' *Broukh.* 'Sane Propertianus idiotismus ignoratus librario potuit occasionem dare *illa* substituendi.' *Barth.* '*Illa* edend. censui, tam auctoritate codd. quam virorum eruditorum consensu. Legitur in Vat. 5. Borr. Leid. 2. Ask. recte omnino. Pro *ira* stat Heins. N. Prop. eamque Grut. ineditis Suspicionum schedis confirmare conatur. Dubitat editor Elect. Minor. Eton. sed *illa* tamen retinuit, quia sic in uno lib. legi edoctus erat: plures vero in hanc lect. consentire codd. notavi.' *Burm.* '*Illa* prima specie blanditur, sed falsa est.' *Lachm.*—23 '*Almo* male in meo 2. *Tiberine* Groning. Ask. [Palat. membr.] Leid. 2. Voss. 3. Dorv. 2. *Tiburtine* meus 1. *Tiburine* C. Com. [Guarn. Mentel.]

NOTÆ

H. e. fluvius unus in septem vias, septemque alveos unus alveus divisus cursum suum moderatur, ac minus rapidum reddit. Per septem porro vias quas 'temperat unda,' vel Rhesum fluvium Phrygiæ, qui septem habet vada, significat, vel Gangem, Indiæ fluvium, qui septem ostiis in mare delabitur Orientale; de quo Virg. Æn. IX. 'Cum septem surgens sedatis amnibus altus Per tacitum Ganges:' vel Nilum intelligit, qui septem ostiis celeberrimis Ægyptum fœcundans in Mare Mediterraneum ingreditur. De hoc jam supra satis superque diximus.

18 *Natura hic posuit*] Sic etiam Plin. XXXVI. 15. 'Verum,' inquit, 'et ad urbis nostræ miracula transire conveniat, nongentorumque annorum dociles scrutari vices, et sic quoque terrarum orbem victum ostendere; quod accidisse toties pæne, quot referentur miracula, apparebit: universitate vero coacervata et in quendam cumulum unum conjecta, non alia magnitudo exsurget, quam si mundus alius quidam in uno loco narretur.'

19 *Armis apta magis tellus*] Hanc etiam dixit Virg. Æn. IV. 'Gravidam imperiis belloque frementem.'

21 *Nam quantum ferro*] Quantum armis ac bello, tantum religione, fide, et clementia valemus.

22 *Temperat illa* [*ira*] Antiqui codices melius habent *temperat illa manus.*

23 *Hic, Anio Tiburne, fluis*] De Aniene fluvio, qui Tiburtinum agrum oppidumque rigat, ac deinde in Tibe-

Albanusque lacus socii Nemorensis ab unda,
Potaque Pollucis nympha salubris equo.

cia aqua monumentum nunquam interiturum; Albana quoque palus a fonte socii Nemorensis, et aqua salutaris hausta Pollucis equo. *Sed* ibi *non serpunt cerastæ,*

Borr. h. e. *Tiburne*, quod in Neap. Venet. 2. Vicent. Rheg. Ber. et sic Scaliger et Guy. *Tiburte fluis* Markl. et editor Elect. Eton. Minor. ut in ed. Volsc. Aldd. Junt. Colin. Rouill. Gryph. Canteri, et in quibusd. codd. legi testatur Beroaldus. *Tiburte fluit* placebat Schradero, Emend. cap. 81. idque admittend. videtur. *Flues* male Ask. Groning. Voss. 1. 4. meus 2.' *Burm.* *Ditumnus* Dresd. *Liturnus* Voss. 1. *Litumnus* Neap. Borr.—24 '*Martius* vitiose omn. fere codd. et edd. vetust. ut passim.' *Burm.* *Marc.* dant B. B. B. L.—25 '*Albani lacus* Vat. Dresd. *Albanus lacus: et s.* Brix. cum cett. edd. pler. nisi quod Venet. *et socia* habet. *Albanus lacus et socii* in suis libb. constanter invenit editor Cant. Ipse tamen *socia* prætulit.' *Barth.* '*Albanus lacus et socii* Regg. Mentel. tres Voss. Dorv. 1. meus uterque, et priscæ edd. *Albanus lacus at socii* Ask. Conjecerat Franc. *Albanus lacus, et socia.* *Et unda* Groning. *Umbra* male Mentel. Heinsian. Rejecta Scaligeri emendatione, censet editor Elect. Minor. Etonens. legendum *socia N. in unda.*' Burm. 'Quid veremur ejicere *Albanusque lacus socii*, quod Cuj. tantum habet? Colot. Perr. v. c. duo Vat. [1. 5.] *Albanusque lacus socia*, non melius. Scribe cum Franc. et Venet. 1500. ap. Barth. *Albanus lacus et socia.*' Lachm. Unde intelligas quam ed. Barthius velit, cum de Veneta loquitur. Nostram lect. dant B. B. B.—26 'Recte *nympha* ex Varrone restituit Scaliger.' *Broukh.* '*Nympha* correxerunt VV. DD. pro *lympha*, quod in plerisque codd. et edd. vetustis: et sic Heins. ad Ov. Ep. v. 31.' *Burm.* *Unda* Dresd. 'Recte

NOTÆ

rim influit, supra dictum est satis. Dicitur vulgo *Teverone*.

Clitumnus ab Umbro] De Clitumno etiam, Umbriæ fluvio, cujus aqua pota boves facit candidos, dictum est I. 20. 7. et II. 19. 25.

24 *Tramite*] *Trames* pro sylva ponitur, quia nimirum ibi frequentes sunt *tramites*.

Marcius humor] De aqua etiam Marcia dictum est ad Eleg. 2. 12. hujus Libri.

25 *Albanusque lacus*] Juxta Albam, Latii urbem, nemus est Albanum dictum, in quo etiam lacus Albanus, cujus aqua quondam supra modum intumescens Veiorum expugnationem præsagiit. De hoc Liv. Lib. v. 'Albano lacui' proximus est etiam mons Albanus.

Socii Nemorensis] Juxta Ariciam, non procul a monte Albano, nemus est Aricinum dictum, in quo et lacus Aricinus, qui et Nemorensis dicitur. Dianæ lacus ille sacer olim fuit; unde et speculum Dianæ vocatur. Artemisium vocat Strabo Lib. v. 'Mons Albanus,' inquit, 'habet lacum ampliorem eo qui ad Artemisium nemus jacet.' De nemore porro Aricino dictum est II. 32. Nemorensis autem lacus 'socius' dicitur Albani, vel quia non longe ab invicem absunt, vel quia ex iisdem fontibus oriri crediti sunt.

26 *Potaque Pollucis nympha*] Fons est Juturnæ, cujus aquam bibisse quondam dicitur Cyllarus, Pollucis equus. Dicitur autem 'salubris' aqua Juturnæ fontis, quia fuisse dicitur ægris salutaris. Duplex autem Juturnæ dicitur fuisse fons: alter in agro Latino in amnem Numicum influens; alter vero Romæ in Velabro, ubi nunc sacra ædes sanctæ Mariæ Liberatricis.

At non squamoso labuntur ventre cerastæ;
  Itala portentis nec furit unda novis.
Non hic Andromedæ resonant pro matre catenæ;
  Nec tremis Ausonias, Phœbe fugate, dapes.
Nec cuiquam absentes arserunt in caput ignes,
  Exitium nato matre movente suo.

quorum *alvus squamis horret; neque* etiam *mare Italum monstris insolitis concitatur. Ibi non sonant Andromedes ob maternum fastum vincula; neque* tu, o *Phœbe, indignatus abhorres Ausonias epulas. Neque* ibi in *cujusquam vitæ perniciem absentes incensi sunt ignes, genitrice filio suo necem machinante.* Ibi *furentes Bacchæ*

libb. tantum non omnes *lympha.*' Lachm.—27 *Lambuntur* Guarn. Colb. Mentel. Voss. Burm. 2. Venet. 2. Rheg. *Labuntur* rectum pronuntiat Burm, et dant B. B. B. L. *Squamosa veste* Ask. quam lect. non aspernandam pronuntiat Burm. et elegantiorem quam ut librariis suam debeat originem.—28 '*Fuit una* omn. libb. unde Scalig. recte *furit* formabat: quod tamen jam tum legebatur in Colin. Bene reposuit *unda* Frut. I. Verisim. 14.' *Broukh.* '*Fuit una* Dresd. sed Guarn. [et Neap.] *fuit unda*. *Fluit unda* Livin.' *Barth.* '*Fuit una* omn. fere codd. et vetust. edd. *Fluit unda* Perr. v. c. ut legebat Canter. *Furit* ex suo cod. Scaliger, quod recepit Passerat. *Facit ora* Aur. non male.. *Furit* cum Passerat. vel *fluit unda* cum Frut. se præferre notat Val. Gnellius ad Virg. II. G. 154.' *Burm.* '*Furit* recte Scaliger.' *Lachm.* *Fuit ora* Ferrarii liber. Nostram lect. dant B. B. B. L.—30 '*Ausoniis* Ask. *Fugare* Vat. 1. Borr. Groning. Leid. 1. tres Voss. meus 1. et pr. edd. Ad Ov. Ep. XVI. 206. Heinsius, memoriæ vitio, affert *Nec fugis A.* pro *N. tremis:* quod minime tentand.' *Burm.*—31 *Cuique* Burm. 1. *Cuicumque* Dorv. 1. *Nequicquam* pr. edd. ut Brix. *Absentis* Aldd. Junt. Colin. Gryph. aliæque. Rectum censet Burm. *absentes*, quod in Dresd. Mentel. Borr. Groning. Heinsian. aliisque. *Arserant* Borr. Burm. 1.—32 'In octo libb. *mov.* quod etiam

NOTÆ

27 *Non labuntur ventre cerastæ*] Postquam a propriis commodis regionem laudavit Romanam, nunc eandem laudat ab incommodis quæ non habet. Nec repunt, inquit, in solo Romano serpentes cerastæ, quibus sunt cornicula quadrigemina.

28 *Itala portentis nec furit unda*] In mari Italo non visuntur insolita monstra, nec immanes belluæ, qualia sunt cete, monstraque illa quibus expositæ olim fuerunt Hesione et Andromede.

29 *Non hic Andromedæ*] Quomodo fuerit olim Andromede, propter matris suæ Cassiopes, quæ se Nymphis præposuerat, superbiam, monstro marino exposita, dictum est ad II. 28. 21.

30 *Nec tremis Ausonias, Phœbe, dapes*] Sol fingitur olim ad Auroram revocato cursu retrocessisse, ne spectaret epulas humanas, appositosque liberos propriis parentibus comedendos; qualis fuit cœna Thyestea, qua proprium filium Thyesti comedendum apposuit Atreus; quale etiam convivium illud regis Thraciæ Terei, cui Prŏcne conjux proprium filium Ityn apposuit etiam epulandum. Similes epulas in Ausonia, quæ et Italia, nunquam aversatum Solem exhorruisse significat Poëta, quia nimirum Romana tellus tantis sceleribus non fuit obnoxia.

31 *Nec cuiquam arserunt ignes*] De fato Meleagri, ejusque matris Althææ crimine, fabulam tangit, quam pluribus Metam. VIII. Ovidius narrat.

Penthea non sævæ venantur in arbore Bacchæ;
  Nec solvit Danaas subdita cerva rates;
Cornua nec valuit curvare in pellice Juno,
  Aut faciem turpi dedecorare bove;

non insectantur Pentheum arbori insidentem, neque cerva supposita Danaas naves dimisit; neque Juno potuit ibidem *in pellice cornua recurva efformare, vel vultum fœda vaccæ figura deturpare.* Ibi quoque nullus habet *Sciniis arboreos cruciatus,*

habebant codd. Gebhardi et edd. vetustæ: recte. Gebh. ingeniose *novante*, quod potuisset defendere; sed nihil est novand.' *Broukh.* '*Monente* Brix. *Parante* Venet. cum vulgg. *Movente* Bon. Guarn. Dresd. unde nec opus est *novante.*' Barth. '*Parante* in Voss. 3. Ber. Gryph. Rouill. Canteri, Douss. aliisque. Sed *mov.* Frut. v. c. Regg. Colb. Vat. 1. 5. Neap. Borr. Groning. ceterisque membr. cui script. favent codd. et edd. pr. in quibus *mon.* ut in Venet. 2. Vicent. Rheg. Volsci, et Colin. *Induente* Ask. æque ac *parante* in aliis codd. glossam sapit. *Parante sua* Markl.' *Burm.*—33 *Sceva* Leid. 2. Burm. 1.—34 *Non* Reg. 2. *Danais* Dorv. 2.—35 *Non* Groning. Guarn. Leidd. Voss. 1. 3. 'Totum hoc distichon abest a Dorv. 1. Et certe non bene hæc procedunt cum seqq. Aberrasse hos vss. suspicor, et f. spectare ad II. 28. Illic eo ordine si inserantur hi vss. non incommodum ibid. occupare locum videri possint: 'Io versa .. Nunc Dea .. Cornua nec .. Aut faciem .. Ino etiam .. Hanc miser .. Andromede monstris .. Hæc eadem .. Callisto Arcadios .. Hæc nocturna ...' F. et aliis videbuntur hæc transponi posse eod. Lib. El. 33. post vs. 14. Sed prior l. videtur aptior.' *Burm.* Nihil mutand. opinatur Knin.—36 *Bovi* omn. fere Mss. *Bove* dant B. B. B. L.—

NOTÆ

Hanc vero paucis verbis subjiciemus. Cum natus esset Meleager, Parcæ stipitem quendam flammis comburendum imposuerunt, dicentes tamdiu Meleagrum victurum, quamdiu stipes ille duraret inconsumtus ab igne. Althæa igitur arreptum stipitem extincto igne asservavit diligentissime. Cum autem aliquando accepisset fratres suos a Meleagro filio fuisse interfectos Althæa, doloris impatientia in furorem versa fatalem stipitem illum conjecit in ignem, quo exusto, Meleager etiam absens exustis intus intestinis consumtus est, sicque, ut ait Propertius, mater filio paravit exitium. Ovid. Trist. I. 7. 'Utque cremasse suum fertur sub stipite natum Thestias, et melior matre fuisse soror.'

33 *Penthea non sævæ venantur Bacchæ*] Fabulam etiam tangit Penthei, quem mænades, seu Bacchæ, h. e. mater ipsius propria, duæque materteræ, Bacchantes arbori insidentem discerpserunt. De hac fabula dictum est ad Eleg. 17. vs. 24. hujus Libri.

34 *Nec solvit Danaas subdita cerva rates*] Attingit fabulam Iphigeniæ, Agamemnonis filiæ, quæ cum esset immolanda ad placandos ventos, quorum flatus contrarii Græcorum in Aulide portu classem retinebant, cerva loco Iphigeniæ ad sacrificium supposita est; quo peracto, mare fuit Græcis ad bellum Trojanum properantibus navigabile. Fabulam hanc attigimus Eleg. 7. vs. 24. hujus Libri.

35 *Cornua nec valuit curvare in pellice Juno*] De Io in vaccam a Junone conversa fabulam intelligit, de qua etiam sæpius dictum est, maxime vero II. 33. 13.

Arboreasque cruces Sinis, et non hospita Graiis
Saxa, et curvatas in sua fata trabes.
Hæc tibi, Tulle, parens, hæc est pulcherrima sedes.
Hic tibi pro digna gente petendus honos.

neque petras Graiis inhospitales, in suamque ipsius *perniciem flexas arbores. Ista* felicissima regio *tua patria est*, o *Tulle, tuumque jucundissimum domicilium. Ibi capessendi tibi* sunt *honores pro generis tui eximia claritate. Ibidem tibi* præsto

37 'Frustra [Id. censet Barth.] Livin. quædam desiderari suspicabatur. Ceterum *Sinis* scribend. cum Apollodoro: quod alludunt omn. membranæ, in quibus *senis*. Habet Borr. *sinis*.' Broukh. '*Cutes sævis et inhospita* Dresd. *Truces sævis et inhospita graiis* Brix. *Cruces Scænis* n. Guarn. *Senis* Posth. *Scinis* Venet. Aldd. cett.' *Barth.* '*Truces* vitiose Voss. 3. et pr. edd. ante Beroaldum. Corrupte *Synis* Vat. 4. *Senis* 5. Ask. Leidd. Voss. 1. 3. Dorvv. et mei. In uno Reg. *Arboreas cruces senis et non hospita*: in 2. *Arboreasque truces senis et in hospita*. *Cruces* etiam Exc. Scal. *Sævis* Voss. 4. *Sævis et inhospita Graiis* Venet. 2. Rheg. *Sinis* Vicent. Canteri et Douss. *Scinis* correxit Beroaldus, ut est in ed. Volsci, Aldd. Junt. Colin. Rouill. Gryph. Mureti Ald. aliisque. *Saxaque curvantes* male Borr. [Guarn.] Voss. 1. Dorv. et meus. *Curtatas* Perr. v. c. Quod autem Livin. quædam hic desiderari suspicatus fuerit, ex eo patere opinor, distichon ei visum fuisse male cum his cohærere, quod loco alieno hic insertum modo notavi, et hinc puto Marklando locum hunc visum esse obscurum et corruptum, ut ascripserat: nam quod Broukhusius repetenda existimet 'non valuit curvare,' Sinidi non convenit. Sed accusativos hic vagos esse, 'arboreas cruces,' 'saxa,' et 'curvatas trabes,' cum quibus verba e superioribus connecti commode non possint, animadvertit Dorvillius ad Charit. p. 708.' *Burm.* 'Repone *Arboreasve*: Præterea nihil mutaverim. Supplendum ex præcedd. habere vel adhibere.' *Lachm.* *Sinis* legend. docuerunt quamplurimi VV. DD.—40 *Hinc* Markl. '*Hinc* emendaverat quo-

NOTÆ

37 *Arboreasque cruces Sinis*] Sinis latro fuit famosissimus ac crudelissimus, qui quondam Isthmum Corinthiacum infestabat, duasque arbores flectebat, quibus simul flexis homines utrimque alligabat, ut iisdem arboribus in sublime renitentibus eorum membra discerperentur. 'Cruces' autem hoc loco posuit Poëta, pro eo omni instrumento quod cruciat. Isto enim modo Sinis homines cruciabat atrocissime. De Sine sic Ovid. Metam. VIII. 'Occidit ille Sinis magnis male viribus usus, Qui poterat curvare trabes, et agebat ab alto Ad terram late sparsuras corpora pinus.'

Non hospita Graiis Saxa] Saxa Scironia, seu petras Scironidas, intelligit, a Scirone latrone Megarensi sic dictas, qui viatores e scopulis in mare præcipitabat. De Scirone dictum est ad Eleg. 16. hujus Libri vs. 12.

38 *Curvatas in sua fata trabes*] Non, inquit, in Italia audita sunt hujuscemodi flagitia, quæ fuerunt apud Græcos, apud quos Althæa mater filium Meleagrum interfecit, Agave filium Pentheum in frusta discerpsit, Iphigenia virgo mactata est, &c. Neque etiam fœminæ Romanæ in vaccas deformantur, quemadmodum Io a Junone dicitur in Græcia mutata. Non etiam in Italia Sinis et Sciron latrones grassantur, neque quisquam ibi in suam ipsius perniciem flexas arbores experitur. Quibus quidem ultimis verbis significat Poëta Theseum eadem omnino pœna affecisse Sinin latronem qua ipse alios affecerat.

40 *Hic tibi pro digna, &c.*] Illic tibi

Hic tibi ad eloquium cives; hic ampla nepotum
Spes, et venturæ conjugis aptus amor.

erunt *cives, qui eloquentiam* tuam audiant; *ibidem magna* tibi *spes posterorum, facilisque ac conveniens amor futuræ conjugis.*

que Pucc. procul dubio ex unico Vall.' *Addend. ad fin. ed. Burm.* *Parandus* Voss. 3. et pro varia lect. superscript. *creandus.*—41 '*Cursus* in aliis legi patet ex Notis Passeratii. Heins. conjecerat *el. via fert.* A recepta lect. minus recederet *el. vires.* *Nepotis* Borr. Heinsian. *Nepotes* Mentel. ut in marg. ed. Ald. conjecerat Heins. sed editum præfero.' *Burm.*—42 *Aptus* dant omn. fere codd. et B. B. B. L. qui id rectius esse censet p. 309. quam *altus*, quod dedit Scaliger e suo lib. *Actus* Dresd.

NOTÆ

capessendi sunt magistratus, prout dignitas nobilitasque gentis tuæ postulat.

41 *Ad eloquium cives*] Tibi præsto erunt cives, qui tuam facundiam audiant, vel quos eloquentia tua possis adjuvare.

ELEGIA XXIII.

DE TABULIS PERDITIS.

Ergo tam doctæ nobis periere tabellæ,
Scripta quibus pariter tot periere bona!
Has quondam nostris manibus detriverat usus,
Qui non signatas jussit habere fidem.

Nobis igitur tam eruditi pugillares amissi sunt, cum quibus una simul tot bona scripta perdita fuerunt? Istas olim tabellas *manibus meis ac puellæ simul usus detriverat, qui* eas etiam *non obsignatas fidem habere præcepit. Hæ quidem,* etiam

1 *Vobis* Dresd.—2 *Quot* Heins. Markl. quod alteri lect. præferendum videtur Burmanno.—3 *Navibus* Voss. 1. *H. q. in nostros ... Quæ* Heins.—4

NOTÆ

1 *Ergo tam doctæ*] Amissos pugillares, in quibus res amatorias scribere consueverat, conqueritur, illique qui repertos sibi retulerit præmia pollicetur.

4 *Signatas*] Etsi, inquit, illæ tabellæ sigillo non essent munitæ ac obsignatæ, iis tamen a me et a puella fides habebatur, quia sæpe manibus meis ac puellæ terebantur, nobisque erant familiares ac notæ.

Illæ jam sine me norant placare puellam,
  Et quædam sine me verba diserta loqui.
Non illas fixum caras effecerat aurum;
  Vulgari buxo sordida cera fuit.
Qualescumque mihi semper mansere fideles,
  Semper et effectus promeruere bonos.
Forsitan hæc illis fuerant mandata tabellis:
  Irascor, quoniam es, lente, moratus heri.
An tibi nescio quæ visa est formosior? an tu
  Non bene de nobis crimina ficta jacis?
Aut dixit: Venias hodie, cessabimus una:
  Hospitium tota nocte paravit Amor.

absente me, didicerant puellas iratas *lenire, ac* etiam *facundas quasdam voces renuntiare. Istas aurum affixum pretiosas non reddiderat; erat* in *buxo communi cera vilis.* Sed, *quanquam viles essent, mihi* tamen *jugiter fideles permanserunt, meritoque suo felices rerum eventus perpetuo consecutæ sunt. Ista fortasse iis in tabulis inscripta fuerant: Succenseo tibi,* o *piger, quod hesterna die venire distuleris. Num tibi nescio qualis* alia *tibi visa est pulchrior? Numquid falsas in me contumelias affingis? vel dixit;* Ad me *venias hodie;* nos *una* simul *desidiæ dabimus operam; hospitium amor in omnem noctem præparavit. Et quicquid callida puella*

Qui modo Burm. 1. *Signatis j. adire fidem* Exc. Scal.—5 Sic Voss. 4. Dorv. 2. quod dant Burm. Lachm. In reliquis *puellas*, quod dant B. B.—6 *Atque eædem* Heins. Vulg. tuetur Burm.—8 *E b. collita* Heins. *Sordida* anteponit Burm.—10 *Affectus* damnat Burm. quod in Ask. et Dorv. 2. Probet idem Burm. Vossiani lect. *suos*.—11 *Fuerint* Heins. Non necessarium judicat Burm. 'Quod malit Heins. in nostris membranis legitur. Sed nihil tamen mutand. duco.' *Lachm.*—12 *Here* Exc. Scal.—13 *At* Guarn. Voss. 1. *Aut* 3. sed *An* pro varia lect. superscr. *Et* Burm. 1. *Et tibi.. et tu* Guy.—14 'Eleganter restituit Heins. N. in Ov. I. Tr. 6. Nihil verius.' *Broukh.* '*Non bona* edd. Aldd. Colin. Mur. cett. *Bene* restituit Heins. cum Guy. prob. Vulp. Gött. et sic liquido Brix. ac Venet. [sc. 1500.]' *Barth.* *Non bona de nobis* omn. fere Mss. et edd. antiquæ. *De nobis* desunt in Burm. 1. *De meritis* Leid. 2. Voss. 3. *Carmina* Regius. *Omina* in margine Dorv. 2.—15 '*Venias* scribi debet. Deinde repone *cessabimus*.' Broukh. '*Aut dixti* Reg. Brix. *Aut dixi* Dresd. *At disti* Venet. [sc. 1500.] *Venies* Guarn. Dresd. Brix. Venet. Aldd. cett. *Cessavimus* Guarn. Aldd. sed edd. Mur. Venet. Brix. *cessab.* *Cœnabimus* Dresd. *Ima* Guarn.' *Barth.* '*Aut dixti* Vat. 1. pr. edd. *Dixi* Neap. Colb. Ask. Leid. 1. Voss. 1. 4. Dorv. 1. meus uterque. *Haud dixi* Guy. *Venies* Regius, [Neap.] Colb. Borr. Groning. Leidd. tres Voss. Dorvv. et mei, ac priscæ edd. *Cessav.* Ask. Voss. 1. 4. Dorvv. et mei: sed *cessab.* Vat. 1. 2. Colb. Mentel. Groning. ceterique. Heins. ad ed. Ald. correxerat, *ven. hod. cessab. una: H. t. n. parabit A.* *Cessab.* pr. edd. *Parabit* firmari potest ex El. 10. vss. 29. 30.' *Burm.* *Parabit* damnat Barth. '*Venias* num quis ante Scaligerum dederit, ignoro: non vitupero tamen, si e bonis

NOTÆ

12 *Irascor*] Hæc sunt verba quæ forsan in tabellis erant inscripta, Convicium est puellare in lentum ac tepidum amatorem.

Et quæcumque volens repêrit non stulta puella,
 Garrula cum blandis ducitur hora jocis.
Me miserum! his aliquis rationem scribit avarus,
 Et ponit duras inter ephemeridas?
Quas siquis mihi retulerit, donabitur auro.
 Quis, pro divitiis, ligna retenta velit?
I, puer, et citus hæc aliqua propone columna;
 Et dominum Esquiliis scribe habitare tuum.

irata excogitat, quando tempus garriendo teritur blanditiis dolosis. O *me infelicem! istis* in tabulis *quispiam expensa avari* nunc *describit, hasque inter diaria molesta statuit. Has si quis mihi reddiderit, aurum accipiet. Quisnam malit lignum pro auro retinere? Vade,* o *famule, et properans ista alicui columnæ affige, herique tui significa domicilium in Esquiliis esse.*

libb. sit. Nihilominus nescio quid suavius habet *Venies.*' Lachm.—17 'Livin. malebat *repetit;* sed nihil erat necesse. [Id. pronuntiat Barth.] *Volens* certo legend.' *Broukh.* '*Dolens* Bon. *Volens* recep. Vulp. Gött.' *Barth.* '*Dolens* Ask. Leidd. tres Voss. Dorvv. mei, neque aliter in primis aliisque antiquis edd. quod defendit Struchtmeyer. II. Anim. Crit. 2. p. 103. Alio sensu *dolens*, pro, irata, hic accepisse videtur Dousa P. quia huic versui ascripserat illud Virg. I. Æn. 9. 'Quidve dolens Regina Deum:' sed *volens* recte emendavit, et edidit Bronkh. idque probat Heyn. ad Tibull. p. 266. *Solens* Guy. Melius cum Heins. legeretur *Et quodcumque doli reperit;* ea tamen lege, ut in minore versu ex illius codice emendetur *blandis ducitur hora jocis* pro *dolis:* quod a Perr. v. c. et Vat. 1. 2. firmatur, ejusque lectionis vestigia sunt in Ask. in quo *locis*. Sed recepta hac Heinsii emendatione *dicitur* præterea corrigend. censet Schrader. Emend. cap. 8. p. 164.' *Burm.* '*Volens* palmaria Broukhusii emend. nec dubites quin verissima sit.' *Lachm.*—18 '*Dicitur* Groning. *Jocis* Heins. e Ms.' *Barth.* 'Repone *dicitur*. *Jocis* nolim admittere.' *Lachm.*—19 'Groning. *avarus;* quod e Mod. Exc. jam olim monuit Dousa F. Ovidius pariter I. Amor. 12. 26.' *Broukh.* '*His laqueis* Heinsian. Heins. conjecerat *tabulis rationem inscribit avarus*. *Rationes* Markl. *Scripsit* Leid. et Voss. 1. *Avari* in multis Mss. et primis ceterisque edd. antiquis: sed *avarus* in Colot. Vat. 2. ut Auratum legisse notaverat Dousa: quod firmatur ex imitatione Ovid. I. Amor. 12. 26.' *Burm.*—20 'In multis libb. *diras*, errore librariorum: quod tamen Gebh. placebat.' *Broukh.* '*Diras* Vat. Palatt. C. Com. Guarn. *Dur.* Groning. Dresd.' *Barth.* '*Dias* v. c. Frut. Vat. 5. Borr. Ask. Leidd. tres Voss. Dorvv. et mei. *Rigidas* Heins. quod si admittatur, etiam *scribet* vs. præc. legend.' *Burm.* *Duras* dant B. B. B. L. —21 *Q. mihi si quis* Ask. Dorv. 2. et præterea *attulerit* Ask. *Has si quis* Franc. quod probat Burm.—22 *Signa* plerique codd. cum Venet. 2. Vicent. Brix. Rheg. et ed. Volsc. Hanc lect. argutam magis quam veram notaverat Markl. et recte, judice Burm. *Ligna* primus emendavit Beroaldus, unde in Aldd. Junt. Colin. Gryph. ceterasque derivatum fuit. Hoc verissimum censet Lachm. et dant B. B. B. L.—23 *I p. i c.* Franc. non male, pronuntiante

NOTÆ

20 *Inter ephemeridas*] Hoc in loco Ephemerides sunt diaria rationum seu expensarum diurnarum.

23 *Aliqua propone columna*] Illa proponi dicuntur, quæ publicis in locis omnium oculis exponuntur, ut conspiciantur. Columnæ porro illæ publicæ, quibus sua programmata libellosque affigere ac vulgare solebant veteres, erant vel templorum, ut II.

Burm. *Columba* Venet. 1492.—24 'An *Exq.* an *Esq.* scribend. vide Dausqu. Orthogr. P. II. p. 126. et Demster. Paralip. ad Rosin. I. 8.' *Burm.* *Exq.* dant B. B. *Esq.* Burm. Lachm.

NOTÆ

14. 'Magna ego dona tua figam, Cytherea, columna:' vel in porticibus publicis, vel in Circo, vel in foro, aliisque locis; qualis erat, v.c. Columna Aurea in foro Romano, Columna Lactaria in foro Olitorio, Columna Mevia, Delphinorum Columnæ in Circo, &c.

24 *Esquiliis scribe habitare*] Esquiliæ mons fuit urbis Romæ, qui et Esquilinus dictus est, ab excubiis Tulli Hostilii regis, qui collem hunc urbi adjecit, et in eum, ut frequentius incoleretur, domicilium suum transtulit. Ab Esquiliis, Esquilinus lucus, Esquilina porta. In Esquiliis autem habitasse se hoc in loco dicit Propertius, ac etiam infra IV. 8. De Esquiliis Horat. Sat. I. 8. ait: 'Nunc licet Esquiliis habitare salubribus.'

ELEGIA XXIV.

AD CYNTHIAM SUPERBIENTEM.

FALSA est ista tuæ, mulier, fiducia formæ,
Olim oculis nimium facta superba meis.
Noster amor tales tribuit tibi, Cynthia, laudes:
Versibus insignem te, pudet, esse meis.

O *mulier, inanis est ac vana illa tuæ pulchritudinis confidentia*, quæ *meo quondam aspectu facta* est *nimis arrogans*. O *Cynthia, amor meus hujusmodi formæ tibi largitus est existimationem ac gloriam*; modo vero *erubescis te carminibus*

Sic inscribitur in Regio et priscis edd. *Ad amicam sup.* Dresd. Borr. Burm. 1. pro quo in Colb. *Ad am. sentientem* corrupte, pronuntiante Burm. *Ad am. impudicam* Mentel. *Ad Cynthiam* Burm. 2.—2 'Omnino legend. *tuis.* Facessant absurdæ, nescio cujus, conjecturæ, quas auctore non nominato hic affert Gebhardus, *O joculis nimium, &c.* vel *O titulis*, vel etiam *O logulis*, aut denique *Ellogiis*. Sic melius esset cum Schradero Emend. cap. 8. p. 164. *Olim elegis* reponere.' *Burm.* *Meis* dant B. B. B. L. '*Meis* omnino retinend. ut et visum est Huschkio Ep. ad Sant. et Jacobsio Ep. ad Ast. qui [i. e. Jacobs.] tamen legend. censebat *Oh curis nimium*, s. *Oh nimium curis.*' Kuin. —4 'In fine vs. Gebh. ponit interrogandi notam, male.' *Barth.* Damnat et Burm. qui addit: 'Recte servari potest lectio vulgata, in *jam* cum Heinsio

NOTÆ

1 *Falsa est ista tuæ*] Arrogantiam fastumque Cynthiæ pulchritudinis formæque nomine superbientis insectatur, ac retundit; significatque sese carminibus eam celebrando effecisse, ut formosissima existimaretur, licet revera non esset. Lætatur denique se tandem ab ejus pedicis laqueisque amatoriis esse liberum.

Mulier] Convicium illud est gravissimum superbæ fœminæ, cum suo nomine appellatur.

Mixtam te varia laudavi sæpe figura,
Ut, quod non esses, esse putaret amor;
Et color est toties roseo collatus Eoo,
Cum tibi quæsitus candor in ore foret.
Quod mihi non patrii poterant avertere amici,
Eluere aut vasto Thessala saga mari.
Hæc ego non ferro, non igne coactus, et ipsa
Naufragus Ægæa vera fatebar aqua.
Correptus sævo Veneris torrebar aëno;
Vinctus eram versas in mea terga manus.

meis esse celebratam. Frequenter te varia distinctam forma prædicavi, ut sibi persuaderet amor te *esse, quod* revera *non esses.* Tuusque *color est* a me *sæpe comparatus colori rubeo Auroræ, licet* tamen *arcessita fucataque albedine facies tua niteret. Quod a me necessarii paterni non poterant avertere, nec maga Thessalica toto mari abluere. Ego ista nec gladio, nec flammis adactus, nec in naufragii discrimine per Ægæos fluctus constitutus dicta confitebor.* Ego *percitus insano Veneris æstu coquebar; constrictus eram brachiis post tergum retortis. En linter* mea *sertis re-*

non mutata vel *nunc pudet*, ut in notis Mss. olim conjecerat Broukh.'—5 *Fictam* Heins. Markl. Vulg. tuetur Burm. ex Passeratio. *Tam v.* Dorv. 1.—6 *Sæpe put.* damnat Burm. quod in Leid. 2. Voss. 1. et 3. in marg. et suo 2. et *esse putere tamen*, quod conj. Franc. *Putarat* Neap.—9 '*Quæ* Guy. frustra. *Tibi* Venet.' *Barth.* '*Cum* C. Com. unde Gebh. *Cum me*. *Quæ* Guy. et *averrere*. *Avellere* Voss. 3. *Portant* pro *poterant* vitiose Voss. 1.' *Burm.*—10 '*Eluere* recte in omn. codd. et editis vetust. præter Gryph. 1551. in qua *Eruere*: sed in Gryph. 1573. *Fluere* in Neap. et Ask. *Eluere* ut in ceteris, etiam pr. edd. ut legend. *Eluere et* Regius.' *Burm.* In qua Nota deest, ut videtur, punctum maximum s. medium post *Fluere*: et minimum punctum post *Eluere*. Nova sententia orditur ab istis vocibus 'In Neap.' Quo leviter prætermisso, Kuinoel incidit in errorem, dum ea exscripsit: sic enim habet: 'In Gryph. 1551. *Eruere*, sed in altera Gryph. 1573. recte *Eluere*. In Neap. et Ask. *Fluere*. In Regio *Eluere et*.'—11 *Ferri* Dorv. 1. *At ipsa* Vat. 2. *Ut i.* Colot.—12 *Egea* Brix. '*Verba* in omn. scriptis editisque ante Passerat. qui primus *vera* restituit: et sic Guy.' *Burm.* Id rectum censeut B. B. B. 'Scripti, ni fallor, omnes *verba fatebor*; nec *vera* legend. vidit quisquam ante Livin.' *Lachm.* *Fatebar* legit Passerat. et dant B. B. B. L.—13 *Scævo* Burm. 1. *Ferrebar* Mentel. Voss. 1.

NOTÆ

7 *Color roseo collatus Eoo*] Sæpe, inquit, comparavi colorem tuum colori roseo orientis Auroræ. 'Eous' dicitur orientalis, ac etiam aliquando sumitur pro Lucifero; ut ap. Virg. Ge. I. 'Te matutinus flentem conspexit Eous, Et flentem paulo vidit post Hesperus idem.'

9 *Non patrii amici*] De istorum hominum genere Propertius erat qui non possunt amicorum consilio sibi moderari.

10 *Thessala saga*] Thessalicæ mulieres erant artis magicæ veneficiorumque peritissimæ. Significat autem tantum fuisse, quo tenebatur, amoris incendium, ut nec maga peritissima, quanquam omnes adhiberet aquas Oceani, posset illud extinguere.

Ecce coronatæ portum tetigere carinæ;
  Trajectæ Syrtes, anchora jacta mihi est.
Nunc demum vasto fessi resipiscimus æstu,
  Vulneraque ad sanum nunc coiere mea.
Mens Bona, siqua Dea es, tua me in sacraria condo.
  Exciderint surdo tot mea vota Jovi.

dimilia portum attigit; trajectæ sunt *Syrtes, anchora mihi jacta est. Jam tandem ingenti tempestate jactati mentem recipimus ac respiramus; vulneraque nostra ad sanitatem coaluerunt.* O *Bona Mens, si Diva es aliqua, me* tibi *in tua templa addico: tam multa* namque *mea vota Jovi surdo non sunt exaudita.*

quod improbat Burm.—14 ‘*Victus* Dresd. Aldd. *Vinctus* edd. Colin. Mur. e Vat. et Posth. *Versus* Venet.’ *Barth.* ‘*Victus* male Leid. 1. Voss. Dorvv. ut in prr. aliisque vetustis edd. præter Rouill. et Gryph. In cett. Mss. et editis *Vinctus*, ut dudum restitutum est.’ *Burm.*—15 ‘Hoc distichon sequenti postponend. olim censebat Broukh. sensu id exigente; quod in Notis editis non memoravit.’ *Id.*—17 ‘*Insano* conjecerat Heins. quia ‘vasto mari’ præcessit vs. 10. sed *insano æstu*, et *ad sanum*, quæ vera lect. est, magis adhuc offendit, eod. in disticho positum. *Requiescimus* malebat Franc. obstantibus omn. Mss. et vera lectio latet in vitiosa Ask. scriptura *resempsimus*.’ Id.—18 ‘*Vulneraque* Ald. 2. *Ad sanum* ed. Vulp. cum Dresd. *Ad saniem* Gött.’ *Barth.* ‘*Vulneraque ad sanum*, suam Propertio lectionem reddidi, quam tuentur omnes fere mei codices, quibus accedunt Regius, Ask. Leidd. tres Voss. Dorvv. et mei, in quibus constanter *Vulneraque ad sanum*, vel *Vulnera et ad sanum*, ut in Mentel. neque aliter in primis easque subsecutis edd. antiquis, nulla excepta. *Ah sano* vel *ad planum* conjecerat Heins. N. Prop. p. 788. remittens ad Curas suas Secundas in Ov. Rem. Am. 623. quæ tamen in editis ejus Notis non leguntur. Ex solo Groning. [Quod habet Groning. id et Palatinas membr. habere testari Gebhardum monet ipse Broukh. qui dicit Groning. habere *Vulneraque ad san.*] *Vulnera et ad saniem* edidit Broukh. et exponit de vulneribus bene sperari jubentibus, cum ad saniem maturuerint. Id licet Palmerio et Grutero etiam probatum addat, magis tamen medicum, quam poëtam sapere videtur. *Ad sanum* in Phædr. v. 6. 12, recte Schoppius h. in l. defendit.’ *Burm.*—19. 20 ‘Admodum elegans est Heinsii emend. Not. in Epist. Acontii 188. *tua me in sacraria condo:* neque dubito quin sit vera. Posset et legi *tua me in s. dedo.* Sed video et Lips. hic legisse *condo* in Sen. Ep. x. an ex libris? non addit.’ *Broukh.* ‘*Deo e* Guarn. *Deo est* Dresd. *Deu est* Brix. *Me sacr.* Venet. *Dono* omn. libb. etiam Dresd. Bon. Brix.

NOTÆ

15 *Portum tetigere carinæ*] H. e. omnes effugi amoris procellas, omnes scopulos. Solebant autem veteres e longinqua peregrinatione redeuntes naves in portu consistentes sertis ac floribus coronare seu ornare. Ovid. Amor. III. 10. ‘Jam mea votiva puppis redimita corona Læta tumescentes æquoris audit aquas.’ Idem etiam Ovid. II. Rem. Am. 811. ‘Fessæ date serta carinæ: Contigimus portum.’

16 *Trajectæ Syrtes*] De Syrtibus dictum est sæpius. Significat autem se penitus omnia amoris discrimina ac tempestates evasisse.

19 *Mens Bona*] Mentem Bonam Deam esse veteres existimarunt, eique sæpius supplicabant; ut etiam testatur Augustin. de civitate Dei IV. 21. Ovid. Fast. VI. ‘Spem metus abstulerat, cum Menti vota Senatus

Venet. Aldd. cett. *Condo* prob. Vulp. Gött.' *Barth.* '*Deo est* vitiose in Regiis, Neap. Leidd. tribus Voss. Dorvv. meis, et primis edd. et mox *Exciderant* in iisd. codd. *Exciderent* edd. pr. *Exciderunt* in aliis : sed *Exciderint* Livin. quod præfert etiam Heins. ad Ov. Ep. xx. 188. *Tua me in sacraria condo* edidit Broukh. Markl. ascripserat se minore mutatione emendare *pono*. Dubito valde, an conjectura ista huic l. conveniat, eique non potius præferenda sit Heinsiana *condo*.' Burm. '*Exciderunt* est Passeratii lect. Gebhardo probata. In libb. fere est *Exciderant*. Mihi omnium minime displicet *Exciderint*.' Broukh. '*Exciderant* Vat. Bon. Dresd. *Exciderunt* Douss.' *Barth.* Retineatur *dono*, ait Lachm. qui amplectitur *Exciderint*, quod dat cum B. B. B. qui *condo* exhibent.

NOTÆ

Suscipit, et melior protinus illa venit.' T. Liv. lib. xxii. scribit Attilium prætorem ædem Menti vovisse, quam deinde Attilius Crassus Duumvir dedicavit. Augustus Justitiam et Mentem in eadem æde consecravit.

Siqua Dea es] Quandoquidem, inquit, Jupiter aures surdas votis meis hactenus adhibuit, ad templa tua confugio, o Mens Bona, si revera es in numero Dearum, meque tibi totum devoveo, ut per te scilicet resipiscam, et in meliorem frugem me recipiam.

20 *Exciderint surdo Jovi*] Surdi dicuntur etiam qui nolunt audire, vel votis annuere. Ex hoc loco perspectum est parum religiose Jovem suum habuisse Propertium ; de quo etiam supra Eleg. 15. hujus Libri vs. 28. 'Si Deus es, tibi turpe tuam servire puellam.' Solet etiam Jovem irridere, ut supra Eleg. 11. hujus Libri, vs. 28. et 66. et Eleg. 3. vs. 12. Eleg. ultima lib. ii. vs. 18. aliisque in locis.

ELEGIA XXV.

AD CYNTHIAM.

Risus eram positis inter convivia mensis ;
Et de me poterat quilibet esse loquax.

Fabula ludibriumque fui conviviis tuis, o Cynthia, *ad epulas accumbentibus*, ac

' Hanc El. cum superiore connectunt Aldd. Colin. Scal. Grasseri, Bronkhusii, [Burmanni, et Lachmanni.] At Dresd. cum al. novam incipit El. addita epigraphe, *Ad Cynthiam*. Eand. divisionem sequuntur Brix. Venet. Mur. Douss. Vulp. Gött. Nobis videtur utique hæc cum antecedente unum constituere totum, in quo Poëta Cynthiæ nuntium remittit, dirasque canit. Male igitur hæc El. tanquam lacinia aliqua pone trahitur.' *Barth.* 'Hæc præcedentibus connectenda monuit Scaliger : [' haud male, opinor,' ait Kuin.] quod confirmat Perr. v. c. et sic jam extat in ed. Volsci, Ald. 1. Junt. sed in omn. codd. quorum Excerptis utor, et edd. Venet. 2. Vicent. Rheg. Ber. Gryph. Rouill. aliisque nova incipit El. cum epigraphe

NOTÆ

1 *Risus eram*] Conqueritur se fuisse risui ludibrioque epulonibus, qui de ipso ipsiusque amoribus inter calices et pocula confabulantes loquaciter

Quinque tibi potui servire fideliter annos:
  Ungue meam morso sæpe querere fidem.
Nil moveor lacrymis; ista sum captus ab arte.
  Semper ab insidiis, Cynthia, flere soles.
Flebo ego discedens; sed fletum injuria vincit:
  Tu bene conveniens non sinis ire jugum.

quisque de me potuit esse disertus. Per *annos quinque sustinui famulari tibi inviolata cum fide. Frequenter roso pollice dolebis quod fidelitatem meam amiseris.* Sed nunc *fletibus non commoveor, hoc* olim *artificio sum in fraudem inductus.* O *Cynthia, jugiter consuevisti lugere ex insidiis. Ego te relinquens lugebo; verum* nunc *crimen* erga me tuum *lacrymas supprimit. Tu jugum bene conveniens esse non pa-*

Ad Cynth.' Burm. 'Hos vss. cum præcedd. conjungendos critici omnes ab Italis inde judicarunt. Recte sane.' *Lachm.*—1 '*Issus* Mentel. *Missus* Leid. 1. *Visus* Perr. v. c. Regg. Exc. Scal. Groning. Leid. 2. Voss. 3. 4. meus 1. [C. Com. Guarn.] Aldd. Junt. Colin. *Risus* [Dresd.] Vat. 1. Venet. 2. Vicent. [Mur. Brix. Venet. ap. Barth. qui notat hoc legere Colin. aliter atque Burmannus notat,] Rheg. Volsci, Rouill. Gryph. ut ex Scaligerana recte edidit Broukh. *Risus eram positis inter convicia mensis.* [Ita hunc vs. scribit Burm. nulla mentione facta e quo fonte derivetur, aut quid velit. Burmannus id ipse voluit ad Lotich. I. 31. 14. citra necessitatem, pronuntiante Barth. Kuinoel quoque *convivia* veram esse lect. judicat.]' *Burm.*—4 *Roso* Heins. *Annis* Voss. 3. Burm. 1. *Quærere sæpe* Dresd.—6 'Mentel. *Semper insidiis,* omisso *ab,* an forte *in* absorptum a prima syllaba vocis 'insidiis,' et repeti neglectum fuit, pro *in insidiis:* nisi *ab insidiis* dixerit pro, post insidias. *Ab insidiis Cynthia flere solet* Voss. 4.' *Burm.*—7 *Vincet* Perr. v. c. *Flebam* Guy. *Flerem* Heins. *Flebo ego discedens?* Struchtmeyer. in Animadv. Crit. cap. 2. p. 104.—8 'Noster 1. Vat. Groning. et libri Gebhardi *s. ire.* Passerat. conj. *isse.* Magis placet *ire.*' Broukh. '*Esse* Dresd. Brix. Venet. Aldd. quod ex *isse* ortum esse potest, cum *ire* habeant meliores codd. etiam Bon. Guarn.' *Barth.* '*Ire* in cod. Fruterii, Vat. 2. 5. Groning. Exc. Scal. et Heinsiano: non autem *esse,* ut in Leid. 1. Voss. 3. meo secundo, et plerisque aliis codd. et edd. vetustis: et ita e Mss. Guyetus. *Et bene c. non*

NOTÆ

procaciterque garrierant. Postquam vero Cynthiæ, quam receptus ad meliorem mentem prorsus reliquit, fraudes perfidiamque exprobravit, ejusque januæ vale dixit, ipsi rugas, senium, ac omnes diras ærumnasque imprecatur.

3 *Quinque tibi servire annos*] Obdurantis est ac increpantis, ut illud II. 8. 'Ergo tam multos nimium temerarius annos, Improba, qui tulerim teque tuamque domum.'

4 *Ungue morso*] Ungues rodere ac mordere, gestus est dolentium ac iratorum hominum.

Sæpe querere fidem] Sæpe querelis tuis dolorem tuum testaberis, quod tua culpa meam fidem amiseris.

5 *Nil moveor lacrymis*] Lacrymis quoque fœminarum, quibus nihil est fraudulentius, non esse credendum inprimis etiam docuit Ovid. II. Rem. Am. 689. 'Neve puellarum lacrymis moveare caveto: Ut flerent oculos erudiere suos.' Idem etiam Art. III. 'Quo non ars penetrat? discunt lacrymare decenter, Quoque volunt, plorant, tempore, quoque modo.'

8 *Bene conveniens jugum*] Ferre non potes, ut jugum tuum, servitium, seu

Limina jam nostris valeant lacrymantia verbis,
  Nec tamen irata janua fracta manu.
At te celatis ætas gravis urgeat annis;
  Et veniat formæ ruga sinistra tuæ.
Vellere tum cupies albos a stirpe capillos,
  At speculo rugas increpitante tibi.

teris. *Nunc valeant fores meis querelis flentes, ac ostium* a me quamvis *irato non effractum. Sed molesta senectus te pondere suo premat, occultis tectisque annis, rugæque inimicæ pulchritudinis faciem tuam occupent. Tunc velis canos crines radicitus evellere; heu! speculo tibi rugas exprobrante.* Tunc *etiam vicissim deserta perpe-*

---

sinit ire legend. esse margini ed. Rouill. ascripserat Dousa P.' *Burm.*—9 ' Heins. reponebat *balantia sertis* N. in Ov. I. F. 287. [et Advers. I. 9.] Vellem addicerent libri: [iterat hoc Barth.] nunc secus est. Nec tamen dubito de sanitate loci, [sc. vulgati.]' *Broukh.* Damnat Burm. *Lumina*, quod in Dresd. Vat. 1. Regio, Mentel. Borr. Voss. 3. 4. Dorv. 2. et in suo utroque. *Limina* prr. ceteræque vetustæ edd. Reponere malit Burm. *lacrymis v. manantia nostris.* *Tum nostris* Colin.—10 ' *Fracta* optime iratæ manui convenit, ne quis *tacta* legend. conjiciat ex Claud. in Eutrop. 93.' *Burm.*—11 *Te festinatis* Heins. ad marg. ed. Ald. sed nihil temere immutand. pronuntiat Burm.—12 *Veniant* Borr. Voss. 4. Burm. 1.—13 ' Vat. *cupias*: sed solus. Rectum est *cupies*: nam vaticinatur et futura canit: unde apparet in disticho sequente scribend. *patiere* et *querere*. Colb. *cum capias*: id quod ideo in medium profero, ut Carmentalis aliquis Magister habeat causam proclamandi, agnoscere se expressa vestigia Propertianæ manus, quam sic reponat, *Vellere tum capiare albos a stirpe capillos.*' Bronkh. ' *Tum cupias* Vat. Bon. *Cum cupias* Dresd. *Cum cupies* Mss. Heins. *Albosa stirpe* Dresd.' *Barth.* ' *Tunc cupies* Borr. Heinsian. *Cum cupies* Leid. 1. et Voss. 4. *Quam cupies* Heinsius. *Cupias* Leidd. Voss. 3. 4. Dorvv. et meus 2. *Cum capias* Neap. et Colb. *Tum capias* Frut. *Annosa a stirpe* in Palatino: quod blandiri nonnullis possit: sed recepta lectio in reliquis servatur codd. eamque firmat scriptura cod. Ask. in quo *albosa stirpe*: sed præsertim eam tuetur locus Tibulli, I. 9. 45.' *Burm.* ' Libri boni, ni fallor, omnes, (nam *tum capias*, quod habet Neap. a mero errore venit; a cuj. cod. lectione indicanda errat Burm.) *cupias* . . *patiare* . . *queraris*. Recte. Hæc vaticinia non sunt, sed diræ.' *Lachm.*—14 ' *A sp.* Aldd. Colin. Mur. Cant. quod Livin. pro *Ah* accipit, quomodo est in Douss. *Et* plur. codd. pro, etiam.' *Barth.* ' *A sp.* in Regiis, Mentel. Scal. cod. Ask. et primis aliisque vetustis edd. *E sp.* Colot. et Vat. 1. quod pro, Ad speculum, rugas tibi increpans, capiebat Dousa P. sublata distinctione

NOTÆ

connubium concors sit, aptum, justum, ac tolerabile.

9 *Limina lacrymantia*] Sic loquitur, quasi Cynthiæ janua, quam sæpe exclusus irrigavit fletibus, querelis ipsius etiam illacrymaret.

13 *Vellere tum cupies*] Fœminæ canescentes, ut ætatis vitium occultent, canos capillos clam radicitus evellunt. Tibull. noster I. 8. ' Tollere tunc cura est albos a stirpe capillos, Et faciem demta pelle referre novam.' Hinc Augusti ille jocus celebratur, qui cum aliquando filiam Juliam canos evellentem deprehendisset, interrogavit: ' Cana esse mallet, an calva:' cumque respondisset se malle esse canam, ' Quid ergo,' inquit, ' te calvam facis?'

Exclusa inque vicem fastus patiere superbos;
Et, quæ fecisti, facta quereris anus.
Has tibi fatales cecinit mea pagina diras.
Eventum formæ disce timere tuæ.

tiaris dura fastidia; factaque vetula doleas eadem, *quæ* aliis quondam *fecisti. Mei versus istas tibi diras exitialesque prædixerunt ærumnas. Disce metuere id quod tuæ pulchritudini debet accidere.*

in præced. versus fine. *Et sp.* Borr. et Beroaldi liber, quam verum lect. dicit Passeratius. *Ah sp.* cod. Scal. Leid. 2. Voss. 3. Dorvv. et mei. *Has sp. ruges* Heinsius: sed ex codicum vestigiis, in quibus *A* vel *Ah* scribitur, præstaret *At sp.* vel pro *Et sp.* legend. *Sed sp.*' Burm. 'Rectius libb. tantum non omn. *A sp.* i. e. *Ah.*' Lachm. *Et* dant B. B. B.—15 *Vices* Guarn. Leid. 2. Voss. 1. 3. Dorv. 1. Heinsian. *Vicem* anteponit Burm. et dant B. B. B. L. *Patiare* et *quereris* omn. fere codd. et edd. vetust.—16 *Ut* Burm. 2.—17 '*Fatalis* Fruterii v. c. Regg. [Guarn.] Ask. Borr. Groning. Leidd. tres Voss. Dorvv. mei, et pr. edd. ante Aldd. in quibus *fataleis*, ut in subsequentibus. Non enim *fatalis pagina* jungenda, sed *diras tibi fatales.*' Burm. —18 *Ev. domina* Burm. improbat, quod in suo 2.

NOTÆ

17 *Fatales diras*] Diræ sunt Furiæ, seu malorum ultrices Deæ, quæ apud Inferos dicuntur Eumenides. Per '*diras*' hic intelliguntur execrationes, imprecationes, ac quæcumque ærumnæ, calamitates, et infortunia. De diris dictum est in notis ad illud Tibulli II. 6. 'Tunc tibi, lena, precor diras; satis anxia vivas, Moverit e votis pars quotacumque Deos.'

18 *Eventum formæ*] Non bene vaticinatus est Propertius: Cynthia namque non consenuit, sed integra adhuc florentique ætate interiit, ut ex IV. 7. perspicuum est.

SEX. AURELII PROPERTII

ELEGIARUM

LIBER IV.

ELEGIA I.

DE URBE ROMA.

Hoc, quodcumque vides, hospes, qua maxima Roma est
Ante Phrygem Æneam, collis et herba fuit.

Istud, quicquid cernis, o advena, quantacumque Roma est, ante Phrygem Æneam mons et gramen erat. Et quo in loco templum Phœbo Navali conditum est,

1 '*Qua m.* bene emendavit Gronov. III. Obs. 19.' *Broukh.* '*Quocumque* Venet. 2. *Quæ m.* Heins. v. cod. ap. Cant.' *Barth.* '*Quæ m.* Perr. v. c. Colot. Vat. 1. 2. *Quam m.* Mentel. Groning. Voss. 3. 4. Dorvv. mei, et primæ aliæque vetustæ edd. quod tuetur editor Elector. Etonens. Major. p. 160. Sed *qua m.* recte Schopp. Dous. P. Gronov. Guy. aliique correxerunt, et Gebh. I. Antiq. Lect. 5.' *Burm.* '*Qua* confirmare videtur imitatio Ov. F. v. 95.' *Kuin.* Probat etiam Lachm. et ita habet Vossianus ap. Heins. *Qua* dant B. B. B. L. Vulp. Gött. *Quam* possit defendi, ait Barth. si id jungas cum τῷ *est*: quod omittit C. Com.—2 '*Ænean* Bon. Groning. prob. Broukh.'

NOTÆ

1 *Hoc, quodcumque vides*] Omissis paululum rebus amatoriis, ad res serias ac graves stylum convertit Propertius, blandeque quasi hospitem ac peregrinum quempiam compellans, altiusque repetens urbis Romæ primordia, vitam priscorum Romanorum rudem, moresque ac ritus rusticanos ingeniose describit. Deinde quendam vatem seu astrologum inducit, a quo se fingit res futuras edoctum fuisse, et a scribendo carmine heroico deterritum, utpote qui non sit ad hoc idoneus.

2 *Ante Phrygem Æneam*] Dicitur 'Phryx Æneas,' qui Trojanus fuit, quia nimirum in Phrygia, Asiæ Minoris provincia, Troja civitas, Æneæ patria, sita fuit.

Collis et herba fuit] Sic etiam Ovid. Fast. v. 'Hic ubi nunc Roma est orbis caput, arbor, et herbæ, Et paucæ pecudes, et casa rara fuit.'

Atque ubi Navali stant sacra Palatia Phœbo,
  Evandri profugæ concubuere boves.
Fictilibus crevere Deis hæc aurea templa;
  Nec fuit opprobrio facta sine arte casa.

Evandri vaccæ vagæ jacuerunt. Ista delubra auro undequaque illita e simulacris Deorum testaceis sic aucta sunt, neque tunc *dedecori fuit rude tugurium. Tarpeius*

Barth. Quod legend. jubet Lachm. Nostram lect. dant B. B. B.—3 ' *At* Palatt. *Phœbes* Brix.' *Barth.* '*Ac* vel *Ast* Gebh. *Phœbes* vitiose in Regio (in quo etiam *navalis*) pr. edd. et ap. Nest. Vocab. p. 155. *Atque ubi navali sacrata p. P.* Voss. 4. a m. sec. Francius conjecerat *Stant ubi navali sacrata p. P.*' Burm.—4 ' *Concub.* Palatt. noster 2. Groning. Regg. Venet. et Borr. pro diversa lect.' *Broukh.* ' *Concub.* Bon. Brix. Venet. In Ald. 2. est *procub.* quod verb. Liv. hac in re ponit I. 7. et Broukhusio arrisit.' *Barth.* ' *Concub.* Vat. 1. Colot. Neap. Frut. v. c. Ask. Voss. 4. Dorvv. meus 2. cum pr. edd. Ald. 1. Colin. quod probat Heins. Sed *procub.* in Vat. 5. Rouill. Gryph. et aliis.' *Burm.* *Procub.* reprobant Kuin. et Lachm. quod Broukh. et Burm. receperunt. Intervallum ponit Lachmannus in textu post hunc vs. Id quod fecit et post vs. 7. 8. 10. 16. 18. 20. 26. 29. 30. 38. 54. 72. 84. 88. 116. 118. 126. 134. 146. Lineam interponit vs. 70. 71.—5 *Suis* Guarn. ' Librariorum aberrationes sunt, quæ in codd. exhibent, vel *suis* pro *Deis*, vel *dies*, vel *Diis*.' Burm.—6 ' *Nec* Vat. Palatt. Brix. Venet. *Non* Dresd. Aldd. cett. *Hæc* C. Com. *Hec* in aliis, teste Broukh. firmat τὸ *Nec*.' Barth. ' *Non* Leid. 1. Dorvv. meus 2. cum primis et multis aliis vetustis edd. *Nec* Neap. Heinsian. Borr. ut ex Livineii Ms. Guyetus. *Hæc* in Regio. [solenni librariorum aberratione, censente Kuin.] *Facta habitare casa* Ask. Id f. petitum ex II. 16. 20.'

NOTÆ

3 *Navali sacra Palatia Phœbo*] Templum Apollinis in Palatio seu monte Palatino constructum ac dedicatum ab Augusto post victoriam Actiacam significat. Fuit et aliud templum Phœbo seu Apollini dicatum extra portam Carmentalem inter forum Olitorium et Circum Flaminium, cujus meminit Cic. in Epist. ad Att.

4 *Evandri profugæ boves*] Nemo nescit Palatium seu Palatinum montem ante Romam conditam ab Arcade Evandro fuisse habitatum; unde idem Evander dicitur a Virg. Æn. IX. Palatinus. Evander porro Arcas fuit, seu ex Arcadia, Peloponnesi provincia, oriundus, qui cum patrem casu interfecisset, avito regno pulsus, suadente matre, quæ vates erat, navim conscendens in Italiam venit, pulsisque Aboriginibus populis, ea loca tenuit ubi postea Roma condita est. De Evandri exilio Ovid. Fast. I. ac etiam Virg. Æn. VIII. ' Me pulsum patria, pelagique extrema sequentem, Fortuna omnipotens et ineluctabile fatum His posuere locis.'

5 *Fictilibus crevere Deis*] Ista templa aurea in hanc altitudinem ac majestatem accreverunt ex illis parvis ac vilibus delubris, in quibus fictilia Deorum erant simulacra, quia nimirum simul cum imperii majestate aucta est et templorum majestas et amplitudo. Deos autem hic posuit Poëta pro Deorum simulacris, quæ fictilia quondam fuerunt. Ovid. Fast. I. ' Jupiter angusta vix totus stabat in æde, Inque Jovis dextra fictile fulmen erat.'

6 *Sine arte casa*] Remi Romulique ædes ac palatia erant e rudibus lignis et impolitis constructa tuguria, neque id opprobrio aut infamiæ duce-

Tarpeiusque pater nuda de rupe tonabat;
Et Tiberis nostris advena bubus erat.
Qua gradibus domus ista Remi se sustulit olim,
Unus erat fratrum maxima regna focus.
Curia, prætexto quæ nunc nitet alta senatu,
Pellitos habuit, rustica corda, patres.
Buccina cogebat priscos ad verba Quirites.
Centum illi in prato sæpe senatus erant.

parens e frigido saxo fulgurabat, ac tauris nostris tunc *Tiberis peregrinus erat. Ubi* vero *hoc Remi palatium paulatim exstructum est, unica casa fuit summum fratrum imperium. Curia, quæ jam prætextato senatu superba fulget, pellitis patribus, animis agrestibus constabat. Cornu vocabat ad concionem veteres Quirites: sæpiusque in campo centum hujusmodi curiam confecere. Laxa siparia* tunc *thea-*

Burm. *Nec* dant B. B. B. L.—7 *Tarpetuisque* Neap. *Sonabat* Voss. 4. Heinsian.—8 *Bubus* Dresd. et sic semper scribend. contendit Heins. '*Bobus* Heinsian. Leidd. Voss. 3. Dorv. 2. primæ et Volsci ac Beroaldi edd. Ald. 1. Junt. Colin. et Gryph. 1. *Bubus* Neap. Vat. 5. Borr. Groning. Ald. 2. Rouill. Gryph. 2. [ut ille vocat ed. de qua loquitur,] Canteri, idque a VV. DD. fide meliorum membr. passim receptum. *Tutus* Dorv. 1. ut legend. censebat Galeottius Martius, refutatus a Tit. probante Broukh.' *Burm.* *Bubus* dant B. B. B. L.—9 '*Qua* Vat. 5. Palat. [1.] ut ad marg. ed. Ald. correxerat Heins. et ex cod. Editor. Elect. Eton. Major. *Quod* Neap. *Qui* Exc. Scal.' *Burm.* *Quo* dant B. B. B. quod reprobat Lachm. et *Qua* legit. 'Broukhusius hunc vs. ita distinguend. ascripserat, *sustulit! olim Unus &c.* quod in editis ejus Notis non comparet.' *Burm.* 'Unus Broukhusius, sed hic quoque vix animadvertit hæc verba ita esse distinguenda, *se sustulit! Olim Unus &c.*' Lachm. qui incipit verbum *Gradibus* cum capitali litera.—11 'Hoc distichon sequenti postponitur in nonnullis codd. ap. Lactant. qui hunc l. affert II. Instit. Div. 6. ut illic notat Gallæus; idque de cod. Gothano etiam testatur Heusingerus I. Emend. 2. p. 31.' *Burm.*—13 *Ad septa* emend. Heins. citra necessitatem, pronuntiante Barth. *Primos* Franc.—14 'Latinitatis ratio poscit

NOTÆ

batur, quia tunc paupertate gloriabantur, quæ nunc tanquam vitium exprobratur.

7 *Tarpeius pater*] Jupiter intelligitur, qui Tarpeiæ arcis seu Capitolii præses ac Deus tutelaris erat; unde et Jupiter Capitolinus dictus est. Vide annotat. ad III. 11. 45. Tonare porro dicitur Jupiter 'nuda de rupe,' quia priscis olim temporibus rupes Tarpeia, quæ et Capitolium, inculta erat, deserta, ædificiisque vacua.

9 *Domus ista Remi*] 'Domus Remi' dicitur urbs Roma, ubi cum fratre Remo Romulus habitavit; unde et Romani Catullo dicuntur 'Remi nepotes.'

10 *Unus erat fratrum focus*] Unica pastoris Faustuli, Remi Romulique educatoris, casa, vel etiam Remi, vel Romuli, tuguriolum amplissimum fuit fratrum una pariter regnantium imperium.

11 *Curia*] Curia nomen est ordinis ac loci. Hic videtur accipi pro loco in quo senatus habebatur.

12 *Pellitos habuit, rustica corda, patres*] Patres dicit animos agrestes ac rusticos, quos etiam pellitos vocat, quia nimirum erant pastores et aratores, pellibusque induebantur.

13 *Buccina cogebat priscos Quirites*]

Nec sinuosa cavo pendebant vela theatro;
Pulpita solennes non oluere crocos.
Nulli cura fuit externos quærere Divos,
Cum tremeret patrio pendula turba sacro.
Annuaque accenso celebrare Palilia fœno,
Qualia nunc curvo lustra novantur equo.

tro concavo non appendebantur, nec pulpita crocum effusum redoluerunt. Nemo curabat peregrina numina longe accersere, cum sacrificiis more rituque patrio peractis attenta plebs contremisceret. Palilia vero, *quæ quotannis tunc inflammato fœno celebrabant, iis erant similia, quæ jam quinto quoque anno, decurtato equo, peragun-*

erant; [id. censet Barth.] nimirum scriptum fuit primo *erat*, per abbreviaturam, ut vocant.' *Broukh.* '*In prati sepe* Heins. *Erant* recte emendarunt VV. DD. *Erat* omn. mei codd. et edd. priscæ; sed *erant* in cod. Gothano etiam legi ait Heusinger. et in marg. ed. Ald. correxerat Heins. quod et probabat Markl. et sic edidit Broukh. licet dissentiente Bunemanno ad Lactantii l. c. et non sine verborum contumelia Broukhusium ea propter exagitat Editor Elect. Etonens. Major. qui censet *erant* potius reponend. Male Livin. *ille sen. erat*. Ayrm. conjecerat *Ac humili in p. sæpe s. erat*, minus feliciter.' *Burm.* *Erat* se tenere dicit Lachm. *Erant* habent B. B. B.—15 *Non* Guy. Pro *cavo* in Vat. 5. Dorv. 1. et Burm. 2. *suo*.—16 Pro *crocos* Regius *trochos* quod damnat Burm.—18 '*Fremeret* Posth. [Mentel.] non male. *Credula* malit Guy. cum Livin. at *pendula* elegantior est.' *Barth.* '*Credula* merito rejicit Heins. *Extremos* Dorv. 1. male.' *Burm.*—19 'Scriberem *Annua at*,' inquit Lachm. 'nisi in hoc Carmine vel potius in his Carminis rudimentis nihil cohærere scirem.'—20 '*Curro* Brix. Venet. Ald. 1. Colin. ed. Mur. cett. *Curto* Guarn. Dresd. Ald. 2. cett.' *Barth.* '*Curvo* Perr. v. c. Regg. Mentel. Exc.

NOTÆ

Veteres Romanos ad concionem vocabat buccinæ clangor per cornicitem datus, ut cum Propertio testatur etiam Varro lib. v. de L. L.

14 *Centum illi*] Testatur etiam cum Propertio Liv. lib. I. centum creavisse senatores Romulum, quos Patres vocavit, et quorum posteri dicti sunt Patricii.

In prato] Quia scilicet plerique senatores tum pastores erant, qui sub Jove frigido facile durabant.

15 *Vela theatro*] De velis theatralibus vide annotat. ad lib. III. 18. 13.

16 *Pulpita non oluere crocos*] 'Pulpitum est,' inquit Isidorus XV. 14. 'locus in quo lector positus in publico conspici potest a populo, ut liberius audiatur.' Crocos porro solennes vocat, qui spargi solebant ludis solennibus seu anniversariis, et qui statis fiebant diebus. De qua quidem profusione Martial. v. 25. 'Hoc, rogo, non melius, quam rubro pulpita nimbo Spargere, et effuso permaduisse croco?'

19 *Annuaque Palilia*] Festa Palilia dicta sunt a Pale pastorum Dea, ut Cerealia a Cerere; quæ quidem Palilia Romæ quotannis celebrabantur undecimo Kalendas Maias, qui dies est urbi natalis, et vigesimus secundus mensis Aprilis. Sic autem celebrabantur Palilia. Cum fœno stipulas congerebant, ignemque magnum accensum transiliebant, sic sese expiari credentes. Unde et Ovid. Fast. IV. 'Moxque per ardentes stipulæ crepitantis acervos Trajicias celeri strenua membra pede.'

20 *Curvo* [*curto*] *lustra novantur equo*] Lustrum quinquennale tempus est,

Vesta coronatis pauper gaudebat asellis:
  Ducebant macræ vilia sacra boves.
Parva saginati lustrabant compita porci;
  Pastor et ad calamos exta litabat ovis.
Verbera pellitus setosa movebat arator;
  Unde licens Fabius sacra Lupercus habet.

tur. Tunc *inops Vesta coronatis asinis lætabatur, macilentæque boves humilia ac sine sumtu sacra vehebant. Pingues exigua compita sues expiabant, opilioque ad fistulam porrectis pecorum visceribus Deos placabat. Agricola pellibus indutus villosa quatiebat lora, unde lascivus Fabius Lupercus sacra* sua *habet*. *Neque* etiam

Scal. Heinsian. Borr. Voss. 1. 3. Vicent. Venet. 2. Rheg. Ber. *Mutilo* Vat. 1. sed *curto* Volsc. In Dorv. 2. erat *Curti*.' Burm. *Curto* legunt B. B. B. L.—22 *Matres* Palat. 1. C. Com. Heinsian. sed nihil mutand. censent B. B. *Sacræ* Ask. et Guell. ad Virg. Æn. VIII. 665. *Julia sacra* Neap.—23 *Pauca* conjicit Lachm.—24 '*Thalamos* Heinsian. *Excalitabat* meus 2. [Ed. pr.] ita legend. censebat Galeott. de Doctrin. Promisc. cap. 39. Merito Passerat. et Broukh. monstrum hoc verbi exploserunt.' *Burm.*—25 *Ubera* Dresd. *Vellera* Vat. 5. ut conj. Heins. *Fœtosa* Franc. 1. *Fœcunda* Heins.—26 '*Lyceus* Vicent. Venet.

NOTÆ

quo quondam quinto quoque anno urbs lustrabatur, quod lustrum Servius Tullus Romanorum rex instituit, cum exercitum in campo Martio facto sacrificio de sue, ove, et tauro lustravit. Fuit autem postea lustrum opus censorum, qui completo quoque quinquennio populum lustrabant. Dicit autem 'Lustra curto equo novari,' quia nimirum in sacrificiis lustri quinquennalibus lustratio fiebat cum sanguine caudæ equinæ, quæ decurtabatur, sicut in sacrificiis Paliliorum, in quibus erat etiam suffimen sanguis equinus, ut eleganter refert Ovid. Fast. IV. 'Sanguis equi suffimen erit, vitulique favilla, Tertia res duræ culmen inane fabæ.'

21 *Vesta coronatis gaudebat asellis*] Vel sensus est, ut Vesta asellorum dorso gestari gauderet, ut Isis et Cybele; vel, ut in sacris Deæ Vestæ panibus aselli coronarentur, rudi sæculo, dum Vesta erat pauper. Consualibus autem asellos et equos coronari solitos fuisse scribit Ovid. Fast. VI. 'Ecce coronatis panis dependet asellis, Et velant scabras sordida serta molas.'

22 *Ducebant vilia sacra boves*] Tunc boves sacra ducebant ad templa in pauperrimis plaustris. Solebant autem apud Romanos sacra curru ad templa duci; ut testatur Virg. Æn. VIII.

23 *Lustrabant compita porci*] Festa Compitalia instituta sunt a Servio Tullo rege. Erant autem Laribus, eorumque matri Maniæ, sacra, quibus porci, sicut et Cereri et Telluri, immolabantur. De his vide annotat. ad Tibull. Eleg. ult. lib. I.

24 *Exta litabat ovis*] Litare proprie est sacrificio peracto placare numen, propitiare, veniamque impetrare; sacrificare vero est veniam petere. Ad fistulæ concentum pastores sacra sua peragebant, ovemque sacrificabant.

25 *Verbera pellitus movebat arator*] Olim in festis suis solennibus agricolæ, pellibus induti, scuticas et lora e pellibus caprinis quatiebant, quibus obvios quosque ferire solebant. Sed postquam Luperci fuerunt instituti

Nec rudis infestis miles radiabat in armis;
Miscebant usta prælia nuda sude.
Prima galeritus posuit prætoria Lucmo;
Magnaque pars Tatio rerum erat inter oves.

tunc *rudis ac tiro miles infensis in armis fulgebat, pugnas sine armis ambusto vecte conserebant. Lucmo galeritus prætorium primus exstruxit; et magna pars bonorum*

2. Rheg. [Brix.] quod provenit ex vitiosa scriptura *lycens*, ut excusum est in Volsc. Ber. [Venet. ap. Barth.] *Ciens* conjecerat Heins. Editor Etonens. Major. p. 162. legend. existimabat *U. Lycea Fabi s. Lupercal habent.* Pro *habet* in Dorv. 2. *erat.*' Burm.—27 *Et r.* Heinsian.—28 *P. facta* Francc. Voss. Dorvv. meus 2. *Nuda* vindicarunt Passerat. et Broukh. F. tamen melius est, ut cum Ant. de Rooy in Spicileg. Crit. cap. 15. p. 88. legamus *cruda.* Sic Barth. ap. Stat. Theb. IX. 20.' *Burm.*—29 '*Lygmon* Vat. Dresd. Bon. Brix. Venet. Aldd. Rheg. Habet *ligmon* Guarn. *Lucmon* C. Com. [Colot.]' *Barth.* '*Galeratus* vitiose in uno Reg. *Ligmon* Ask. et meus 2. *Lygmon* Regg. Colbertinus, Heinsian. Leidd. tres Voss. Dorvv. et priscæ edd. *Lucmo* vera scriptura ex *Lucumone* contracta, ut monnit Scaliger et Turneb. XXVI. Advers. 53.' *Burm. Lucmo* probat Lachm.—30 '*Tacito* Neap. nec minus

NOTÆ

ritum hunc ab agricolis eundem mutuati in sacris suis observarunt, ut ex versu sequenti manifestum est.

26 *Unde licens Fabius sacra Lupercus habet*] Ad agricolarum exemplum Luperci, Panos agrorum Dei tutelaris sacerdotes, per licentiam ac lasciviam quandam nudi discurrentes, ac scuticas et lora quatientes obviis infligebant flagella. Unde 'licens' dicitur Lupercus, quia nimirum protervus ac lascivus. Vide Livium Lib. I. Festum in *Crepos* et in *Februarius*, Varron. Lib. IV. de L. L. Serv. in Æn. VIII. Plut. in Romulo, Ovid. Fast. II. &c. Lupercus autem dicitur Fabius a Fabio, et Quintilius a Quintilio, unde et Luperci dicti sunt Fabiani et Quintiliani; quia nempe a Remo et Romulo primum duo Lupercorum præpositi fuerunt instituti, nimirum Fabius et Quintilius, quorum hic a Romuli, ille a Remi partibus stetit; ut testes sunt scriptores mox laudati. Lupercalia porro festa mense Februario quotannis celebrabantur in honorem Panos, Fauni, Deorumque ceterorum agrestium, ut lupos a gregibus arcerent. Proprios habuerunt sacerdotes, qui Luperci dicti sunt. Hæc sacra, quæ ex Arcadia, ubi Pan impense colebatur, Evandrum in Italiam advexisse scribit Ovid. Fast. II.

27 *Nec rudis miles*] Tunc temporis sine usu ac peritia armorum ac disciplinæ militaris prælia sudibus ac vectibus conserebant.

29 *Galeritus Lucmo*] Lucmo dicitur per syncopen, detrita una litera, a Lucumo, qui et Lucomedius dictus est. Lucumon autem seu Lucumo fuit unus e Tuscorum regibus, qui Romulo contra Tatium auxilium tulit, et a quo Luceres nominati sunt, quæ tertia pars fuit populi Romani. Ubi primum enim populus Romanus constitutus est, in tres statim partes divisus est, scilicet in Ramnenses, in Tatienses, et in Luceres. Ramnenses sic dicti sunt a Romulo, Tatienses a Tatio, Sabinorum rege; Luceres a Lucumone, Tuscorum etiam rege. Varro Lib. IV. de L. L. 'Ager Romanus,' inquit, 'primum divisus est in partes tres, a quo tribus appellatæ Tatiensium, Ramnium seu Ramnen-

Hinc Tities, Ramnesque viri, Luceresque coloni:
Quatuor hinc albos Romulus egit equos.
Quippe suburbanæ parva minus urbe Bovillæ;
Et, qui nunc nulli, maxima turba Gabî;

Tatio fuit in ovium copia. Inde homines *Tatienses, et Ramnes homines, et Luceres coloni. Inde quatuor equis candidis vectus est Romulus. Siquidem* tunc urbs Roma *minor* erat *oppidulo Bovillæ suburbana; Gabiique, qui jam extincti* sunt,

vitiose *statuit* in Exc. Scal.' *Burm.*—31 '*Tities* cod. Reg. *Titiens* Brix. *Tacies* Venet. 1. *Tatiens* Venet. 2. [ita vocat has nescio quas Venetas.] Mur. *Titiens* Ald. 1. Colin. *Ticiens* Ald. 2. Dresd. *Taties* Basil. *Tatiens* Gryph. 1. *Titiens* 5. et Grasseri. *Soloni* Guarn.' Palat. 1. *Sabini* C. Com.' *Barth.* '*Tatiens* Leid. 2. Dorv. 1. *Taties Rhamnisque* affert Nestor Vocab. p. 125. Corruptissime in Ask. *H. tociens ramnes v. L. Soloni. Soloni* Neap. Leid. 2. Voss. 1. 3. *Ticines* Groning. *Ticiens* meus uterque, quod propius accedit ad veram scripturam *Titiens*, ut in Vicent. Venet. 2. Rheg. Volsc. et aliis priscis edd. *Taciens* Ber. sed *Titiens* probabat Markl. *Tatii* præfert Demster. Parallp. ad Rosin. I. 12.' *Burm. Tities* probat Lachm. et dant B. B. B. L.—32 'Fuerunt, qui emendarent *alter R.*' Burm.—33 '*Violæ* Borr. Guarn. Brix. Rheg. *Parvæ* in aliis, quod Passeratio placebat. Editor Elect. Eton. Maj. p. 163. corrigere tentat, *metus u.* Hæc dicit Barthius: 'Editor Cant. parum accurate hic versatur: observat virum doctissimum legere *metus.*' *Eminus* legit Lachm.—34 *Gabi* Dresd. Venet. ap. Barth. cum aliis. *Tunc*

NOTÆ

sium, et Lucerum nominatæ; Tatienses a Tatio; Ramnenses a Romulo; Luceres a Lucumone.' Lucumon autem dicitur 'galeritus' a quodam genere pilei quod dicunt galerum, quo veterum Romanorum Pontifices ac sacerdotes utebantur, ut testatur Gellius II. 15. 'Galero albo velatur flamen.' Inde etiam Festo dicitur 'albogalerus' flamen. Galerum idem esse cum tiara Pontificum nostrorum plurimi sentiunt cum D. Hieronymo Epist. ad Fabiolam. Dicitur autem Lucumon primus fixisse prætoria, quia primus tabernaculum quoddam constituit, in quo esset dux seu imperator exercitus in castris, quod prætorium voluit appellari, quia nimirum magistratus omnis, cui pareret exercitus, prætor dicebatur, quod quidem in usu fuit etiam apud Romanos.

30 *Magnaque pars Tatio*] Tatius rex fuit Sabinorum, cum quo non solum Romulus pacem fœdusque iniit, sed etiam consociavit imperium; ut refert Liv. lib. I.

31 *Hinc Tities,* [*Taties,*] *Ramnesque viri, Luceresque*] Taties seu Tatienses a Tatio, Ramnes seu Ramnenses a Romulo, Luceres a Lucumone dicti sunt. Ut mox dictum est vs. 29.

32 *Hinc albos Romulus egit equos*] H. e. a tam parvis profectus initiis Romulus deinceps rem suam ac imperium ita adauxit, ut etiam quadrigis albis invectus in urbem de Ceninensibus triumphaverit, ut etiam cum Propertio nostro narrat Dionys. Halic. lib. II. Triumphavit etiam Romulus de Fidenatibus, de Camerinis iterum, ac tertium de Veientibus, ut refert idem eodem in loco Dionys. Halic. et Plut. in Romulo, et Tit. Liv. lib. I.

33 *Suburbanæ Bovillæ*] Bovillæ civitas fuit in Latio, non procul ab urbe Roma, unde dicitur 'suburbanæ.'

Et stetit Alba potens, albæ suis omine nata,
  Hac, ubi Fidenas longe erat ire, via.
Nil patrium, nisi nomen, habet Romanus alumnus;
  Sanguinis altricem nunc pudet esse lupam.
Huc melius profugos misisti, Troja, penates.
  Heu! quali vecta est Dardana puppis ave!

maxima fuit *populi frequentia:* tunc *etiam floruit Alba potens, albæ suis ostento condita, eo* in *itinere, quo fuit ad Fidenas via longinqua. Populus Romanus nihil paternum retinet, præter nomen; jam lupam erubescit habere suæ gentis nutricem. Istuc,* o *Troja, Deos tuos penates felicius transmisisti. O quam fausto auspicio Dar-*

---

nulli Dous. P.—35 Dresd. *albe.* *Albæ e suis* Leid. 2.—36 ' *Hic* conj. Livin. *Ac ubi fid. l. erit iste vias* Bon. *Ipse via* Guarn. *Ipse vias* C. Com. *Isse vias* Palat. 1. *Ire vias* Dresd. *Longa via* vel *longæ viæ* vult Heins. [ut etiam Aur.]' *Barth.* ' *Atque ubi* Voss. 3. sed *Hac* superscr. pro varia lect. *Hac tibi* Heinsian. *Isse* Perr. v. c. Vat. 2. 5. Neap. Leid. 2. Voss. 3. 4. *Ipse* 1. Borr. *Vias* Leidd. tres Voss. Groning. Dorvv. mei. *Hanc ubi F. l. erat isse vias* Ask.' *Burm.* *Vias* pronuntiat rectissimum Lachm. Nostram lect. dant B. B. B.—37 *Nil patrii* conjecerat Heins. sed præstaret f. *Nil, patrium n. nomen, h.* censente Burm.—38 *Non* Dresd. Perr. v. c. et Fruterii, Neap. Vat. 1. Groning. Leidd. tres Voss. Dorvv. Burmm. *Non putet* C. Com. Guarn. Palat. 2. unus Reg. Colb. Voss. 1. 4. Burm. 2. et pr. edd. *Putat* Vat. 5. Dorv. 1. *Non putat esse Lupam* Dous. F. *Nunc putet esse lupam* Ayrm. *Non pudet ire lupam* Reg. 2. *Non pudet esse* etiam in Palat. et C. Com. unde Gebh. cum interrogationis nota, *Non pudet esse Lupam?* Sed præstat f. *Num,* judice Burm. *Non pudet* probat Lachm.—39 *Haud m.* Ayrm.—40 ' Melior lectio est unius cod. Reg. [Colb.] ac pr. edd. *q. ducta est.*' Broukh. ' *Heu q.* Palatt. C. Com. Guarn. Dresd. Brix. Venet. *Vecta est* Guarn. Dresd. Ed. pr. unde male hæc lectio ad Beroaldum auctorem refertur a Broukh. *Ducta est* Brix. Venet.' *Barth.* ' *En q. vecta est* Perr. v. c. Vat. 1. 2. *Heu q. vecta est* Neap. Borr. Ask. Leidd. tres Voss. Dorvv. et mei. *Advecta est* Heins. *Ducta* Volscus. *Vecta* Beroaldus, unde in Aldd. Junt. Colin. Gryph. et aliis. *En q.* editor Elect. Eton. Maj. [Cant. ex Heins. v. c. et Ferrarii libro:] qui vult etiam *pubis* pro *pubes,* quod merito improbat Schrader. Emend. cap. 9.' *Burm.* *Heu q. vecta* lectio exquisitior, ait Kuin. *O q. vecta* probat Lachm.

NOTÆ

34 *Gabi*] Gabii et Bovillæ, quæ loca nunc vix nomen retinent, primis nascentis Romæ temporibus habebantur in pretio, erantque instar civitatum, quibus longe minus erat oppidulum Roma. Gabii porro stadiis centum distabant ab urbe Roma, medio itinere inter Romam ac Præneste.

35 *Alba potens*] Albam civitatem sub Albano monte condidit Ascanius, Æneæ filius, quam ita vocatam fuisse dicit cum Virgilio Propertius, ab omine suis albæ quæ triginta porcellos pepererat.

36 *Fidenas*] Fidenæ civitas fuit distans ab urbe Roma 30. stadiis, cujus incolæ dicti sunt Fidenates, quos Romulus devicit.

38 *Sanguinis altricem*] Romani nunc, inquit, fateri nolunt lupam fuisse nutricem Romuli, suæ gentis auctoris.

40 *Dardana puppis*] O quam, inquit, fausto dextroque auspicio Trojana navis Æneam portans delata est in Italiam!

Jam bene spondebant tunc omina, quod nihil illam
  Læserat abiegni venter apertus equi;
Cum pater in nati trepidus cervice pependit,
  Et verita est humeros urere flamma pios.
Tunc animi venere Decî, Brutique secures;
  Vexit et ipsa sui Cæsaris arma Venus.

dana classis delata est in Italiam! *Auguria tum faustum* illi *pollicebantur eventum, quod equi lignei alvus aperta ipsi non nocuerit, quando parens in filii collo tremens suspensus est, ignisque pios lædere timuit humeros.* *Tum* deinde *Decii magnanimi ac Bruti secures prodiere, Venusque ipsa sui Cæsaris arma advexit.* O *Iule,*

O q. ducta dant B. B. B.—41 '*Omnia* Bon. Guarn. Dresd. edd. vett. solenni errore. *Omna* Vat. *Huic omina* vel *cuncta omina* placebat Heins. [qui etiam marg. ed. Ald. ascripserat *huic numina.*]' Barth. 'Schrader. Emend. cap. 9. *illos*. *Illam* vero hic mendi suspectam vocem recte censuit editor Elect. Eton. Maj. sed nihil muto.' *Burm.* *Illos* probat Lachm. Nostram lect. dant B. B. B.—42 *Ambigui* Dresd. Burm. 2. et in marg. pro varia lect. 'Al. *ambiegni.*' *Armati* Voss. 4.—43 '*Tum p.* Posth. Guarn. C. Com. *Tum p.* Bon. *Trepidus* Posth. Palatt. C. Com. Guarn. Ed. pr. Brix. Venet. *Tremidus* Franc. 2. *Tremulus* Dresd. Aldd. et cett. F. e vs. 49. huc concesserit.' *Barth.* '*Tum p.* cod. Frut. Ask. Vat. 5. et meus 1. *Cum p.* 2. *Trepidus* reponend. censui ex consensu omnium fere codd. et Vicent. Venet. 2. Rheg. Volsc. et Ber. *Tremidus* Colb. 2. a m. pr. Suum Barthio relinquens judicium recte vocem *tremidus* Latinæ civitatis expertem suspicatur Broukh. qui tamen male edidit *tremulus*: quod demum nescio unde in Aldinas earumque sequaces edd. invectum est, et mox sequitur vs. 49. Infeliciter Gebh. *in nati intremulus.* *Trepidus* prætuli.' *Burm.* *Tremulus* dat Barth. *Trepidus* Lachm.—44 *Vetita est* Dresd. *Verere fl.* Guarn. *Sed ver.* malit Burm.—45 '*Hinc magni* vel *gemini* aut *manes* suspicatur Heins. Sed *animi* non solicitandum, et si quid reponend. mallem profecto. *Tunc a. crevere Decî*: nam in omn. fere Mss. *Deci* pro *Decii.*' Burm. *Deci* legit Lachm. Nostram lect. habent B. B. B.—46 '*Rexit* ad oram ed. Ald. conjecerat Heins. sed postea *Duxit* prætulit. *Vexit* tamen hic sedem suam tueri potest propter vs. 40.' *Burm.*

NOTÆ

42 *Abiegni venter apertus equi*] Felix illud fuit augurium, quot Æneæ ipsiusque navibus, antequam Troja excederet, et mare conscenderet, nihil nocuerit equus ille ligneus ex quo Græci in urbem Trojam effusi sunt. Nota est historia equi illius Trojani, quam late prosequitur Virg. *Æn.* II.

43 *Cum pater in nati*] Anchises nimirum filii sui Æneæ cervice succollatus.

45 *Decî, Brutique*] Tunc temporis, inquit, in Italiam venerunt animosi Decii, fortesque Bruti. De Deciis dictum est ad III. 11. 64.

Secures] Quia scilicet Brutus ille, qui reges Roma ejecerat, cum comperisset liberos suos studere revocandis in urbem regibus, eos securibus percuti jussit: ut referunt Liv. lib. II. et Florus I. 9. et alii. Deinde etiam idem Brutus Tarquinii secures fregit, regesque Roma ejecit, ut dictum est ad III. 11. 'Quid nunc Tarquinii fractas juvat esse secures?'

46 *Vexit Cæsaris arma Venus*] Vel quia Venus tutela fuit illius navis quæ detulit in Italiam Æneam; vel quia duce Venere Æneas Iulusque,

Arma resurgentis portans victricia Trojæ,
  Felix terra tuos cepit, Iule, Deos.
Si modo Avernalis tremulæ cortina Sibyllæ
  Dixit Aventino rura pianda Remo;
Aut si Pergameæ sero rata carmina vatis
  Longævum ad Priami vera fuere caput:
Vertite equum, Danai: male vincitis. Ilia tellus
  Vivet; et huic cineri Jupiter arma dabit.

ferens arma Trojæ renascentis triumphantia, penates tuos fortunata tellus admisit: si scilicet annosæ Sibyllæ tripus Avernalis prædixit agros Remo Aventino fore *expiandos, vel si Pergameæ vatis tarde comprobata verba ad senis Priami perniciem certa extitere:* O *Danai, equum* vestrum *retro abducite; præpostere vincitis; urbs Ilium florebit, hosque cineres ipse Jupiter armabit.* O *lupa Martia, altricum*

—47 *Resurgenti* Palat. 1.—48 *Cœpit habere* Heinsian. Burm. 2.—49 '*Si modo vera* vel *certa olim*, vel *Si m. Averna olim* conj. Heins. sed vulg. servo.' *Burm.* —50 *Duxit* damnat Burm. quod in cod. Reg. *Vera p.* Ayrm.—51 '*Data c.* Groning. *Nata* Borr. Mentel. Voss. meus. *Crimina* Dorv. 1. Vat. 5.' *Burm.* —52 *Longævi* Reg. Bon. *Longum* Dorv. 1.—53 Conjecturam Editoris Elect. Eton. Maj. *Ilias urna Vivet*, diffidit Burm.—54 *Vincet* ed. Scal. Aliter omn. libb. *A. dedit* Heinsian. *Hæc c.* ad oram ed. Ald. conjecerat Heins.—57

NOTÆ

unde Julia gens, in Italiam delati sunt.

48 *Felix terra tuos, Iule, &c.*] Deos penates intelligit, quos Æneas in Italiam ex Phrygia detulit, quos etiam Lavinii collocatos ab Ænea Iulus, ejusdem Æneæ filius, Albam, quam ipse condiderat, transtulit.

49 *Avernalis cortina Sibyllæ*] Si vere Deiphobe, Sibylla Cumana, prædixit fore ut ob Remum cæsum agri illi, mons nimirum Aventinus ubi sepultus est, vel locus ille ubi occisus, expiarentur. Sibylla porro dicitur Avernalis, i. e. Cumana; nam lacus Avernus non procul est a Cumis, ut ad III. 18. dictum est. Cortina locus est unde dabantur oracula.

50 *Aventino rura pianda Remo*] Aventinus dicitur Remus, tum quia in Aventino monte captavit auguria, tum quia in eodem monte sepultus est, in loco qui dictus est Remuria, qui etiam dicitur expiandus.

51 *Pergameæ vatis*] Cassandram intelligit, quæ a Pergamo, quæ est Troja, dicta est 'vates Pergamea;' cujus quidem vaticinia fuerunt vera, sed sero, vel potius, ut ait Virg. 'nunquam credita Teucris.'

53 *Vertite equum, Danai*] Verba sunt Cassandræ ad Græcos. Reducite equum vestrum ligneum, ait, in castra vestra; perniciosa namque vobis hæc erit victoria, Trojanis vero saluberrima, qui nimirum majus imperium in Italia sunt deinceps excitaturi, cui vestra etiam Græcia olim subjicietur.

Ilia tellus] Dicitur regio Trojana ab Ilio, quæ et urbs Troja est.

54 *Huic cineri*] His Trojæ incensæ ac eversæ reliquiis.

Optima nutricum nostris lupa Martia rebus,
  Qualia creverunt mœnia lacte tuo!
Mœnia namque pio conor disponere versu.
  Hei mihi, quod nostro parvus in ore sonus!
Sed tamen exiguo quodcumque in pectore rivi
  Fluxerit, hoc patriæ serviat omne meæ.
Ennius hirsuta cingat sua dicta corona:
  Mi folia ex hedera porrige, Bacche, tua,
Ut nostris tumefacta superbiat Umbria libris,
  Umbria Romani patria Callimachi.

præstantissima rebus nostris, quam alti muri lacte tuo exstructi sunt! Hos *autem muros carminibus* meis *celebrandos aggredior. Heu me! quod exigua mihi sit vena! Verum nihilominus quicquid rivuli manabit ex tenui ingenio, id totum patriæ meæ sit addictum ac mancipatum. Ennius scripta sua redimiat corolla hispida; mihi* vero, o *Bacche, præbe frondes ex hedera tua, quo* mea *Umbria scriptis meis superba glorietur; Umbria,* inquam, *Romani Callimachi patria. Si quis e planis*

'*Coner* Palat. 2. Bon. Guarn. Dresd. *Disp*. Groning. Regg. Colb. Bon. Guarn. Dresd. *Describere* C. Com. et Francc. ap. Broukh. qui *præscribere* prætulit.' *Barth*. [Errat Barth. nam Bronkh. re vera *describ*. prætulit: et quidem id sic eum prætulisse monet Burmannus.] *Describ*. glossema est, judice Kuin. '*M. namque p. coner disponere* Perr. v. c. Colot. Vat. 1. 2. *Coner* Mentel. Neap. Borr. Vat. 2. 5. Exc. Scal. Leidd. C. Com. tres Voss. Dorvv. et mei. *Disp*. Leid. 2. tres Voss. Dorvv. et meus 2. cum edd. priscis.' *Burm*. *Disp*. verum esse ait Lachm. *Describ*. dant B. B. B.—58 *Quod nostro est* Leidd. tres Voss. Ask. Dorvv. Burmm. et edd. antiquæ. *Quam nostro est* conjeceerat Franc. *Est* rectius abesse dicit Lachm. Per errorem typoth. Kuin. reliquit *Heu*.—59 '*Si t*. Posth. C. Com. *Est pect*. Posth. *Ex p*. Dresd. *E pect*. Aldd. rel.' *Barth*. *At tamen* Heinsian. *Quicumque e pect*. Ask. *Est pect*. Voss. 4. Dorv. 2. *E pect*. dant Broukh. Burm. Lachm. *In pect*. Barth.—60 *Et pat*. correxerat Frut. *Id p*. Heins. '*Serviet* quidam libb. teste Broukh. non male; et sic Morell.' *Barth*. Sant. Obss. ad Loca Vett. Poët. Lat. præfert *Et tamen*.—61 An f. *scripta* reponend. quærit Burm.—63 'Conjeceram *stupefacta* ad lib. II. neque pœnitet conjecturæ,

NOTÆ

55 *Lupa Martia*] Ad lupam illam sermonem convertit, quæ Remum Romulumque dicitur lacte suo nutrivisse, cum eos ad Tiberis ripam expositos reperisset. Historia notissima est; quam pluribus verbis prosequuntur Tit. Liv. lib. I. Dionys. Halic. Florus I. 1. Justin. lib. XLIII. Vell. Paterc. lib. I. &c. Martia porro dicitur lupa, tum quia lupi Marti Deo dicuntur sacri, quia rapto vivunt, tum quia illa lupa Martis filios, Remum et Romulum, lacte suo nutrivit.

61 *Ennius hirsuta*] Ut Ennio, Epici Carminis poëtæ, qui primus res Romanas versu heroico scribere aggressus est, corona detur ex frondibus asperis ac hirsutis, quales lauri sunt ac myrti; petit Propertius, modo sibi Lyricorum ac Elegiacorum carminum scriptori tempora cingantur hedera Baccho sacra.

63 *Nostris Umbria libris*] Umbria, Italiæ regio fertilissima, quæ nunc

Scandentes si quis cernet de vallibus arces,
  Ingenio muros æstimet ille meo.
Roma, fave: tibi surgit opus: date candida, cives,
  Omina; et inceptis dextera cantet avis.
Sacra, diesque canam, et cognomina prisca locorum:
  Has meus ad metas sudet oportet equus.
Dicam, Troja cades, et Troia Roma resurges;
  Et maris et terræ longa sepulcra canam.

campis sese attollentia propugnacula viderit, is illa mœnia æstimet ex *meo ingenio.* O *Roma, votis meis annue; in tui gratiam novum carmen oritur.* O *Romani, felicia date auspicia,* meis*que cœptis prospera ales accinat. Sacros ritus et dies* festos *referam, ac antiqua locorum nomina. In hocce stadio, hocque ad limites, necesse est* ut *equus meus desudet. Canam, Corrues,* o *Troja,* tuque, o *Roma Troica, renasceris; dicamque diuturna longinquaque et maris et terræ funera.* O *incaute et in-*

postquam vidi Marklandum sic emendasse ad oram ed. Græv.' *Burm.* Lachm. legit *dictis* pro *libris:* non monito lectore neque in Notis neque in discrepantibus a Burmanniano textu.—65 *Scandentis* Guy. Lachm. *Quisquis* Vat. 5. Dorv. 1. Burm. 2. *Cernit* Vat. Palat. 2. C. Com. Bon. Guarn. cod. Frut. Reg. Leid. 2. tres Voss. Heinsian. Dorv. 2. *Cernis* Palat. 1. Dorv. 1. *Cernet* Dresd. cum reliquis, et edd. antiq.—66 *Ingenium muris ast. i. meum* conjecerat Markl. *Extimet* Borr. Ask. Burm. 2.—67 *Surget* ed. Mur.—68 '*Omnia* in variis codd. et edd. antiquis. *In tectis* pro *incept.* Mentel. mens 2. ed. Mureti Aldina, Canteri, Douss. et Grævii nomen venditante, ne in hac una sic legi eum editore Elect. Etonens. existimes: in cujus libelli sexta ed. vitio typi, *in textis* in ista Græviana ed. excusum esse male notatur. Ipse vero in textu dedit *inceptis.* Alterum vero defendi posset ex Tibullo I. 6. 16. *Inceptis* tamen Borr. Groning. cett. codd. et vett. edd. etiam Palatt. membr. ex quarum rasura in voce *dextera* Gebh. educebat *dextra recantet.*' Burm.—70 *Tendat* aliquando conjecerat Heins. *Surgat* Voss. 4. quod damnat Burm.—71. 72 'Distichon hoc præcedenti præponend. censet Marcilius ad Horat. p. 40. ubi et alios huj. El. versus transponit. In variis codd. et edd. vetustis legitur post vs. 88. sed ubi locum alienum occupasse monuerunt Livineius,

NOTÆ

ducatus dicitur Spoletanus, patria fuit nostri Propertii, quam suis Elegiarum libris cupit illustrari.

64 *Romani patria Callimachi*] Callimachi Latini nomen vehementer ambiebat Propertius, ut ex hoc tum loco videre est, tum ex III. 1. Equidem inprimis æmulatus est Callimachum Propertius, qui talis est apud Romanos, qualis est apud Græcos Callimachus, Elegiarum scriptor.

67 *Roma, fave*] Cœptis meis annue, o Roma; novum enim in tuam laudem oritur carmen; et favete, Quirites, felixque avis prospero cantu suo faustum det auspicium.

68 *Dextera cantet avis*] Opus aliquod arduum aggressuri captabant auguria veteres, avesque a dextra parte cantantes vel volantes felicitatem, a sinistra vero denuntiare putabant infortunium.

69 *Sacra, diesque canam*] Loquitur quasi fastos Romanos esset scripturus, quibus sacra, ritusque sacrorum, diesque festi ac profesti recenserentur.

72 [88] *Longa sepulcra canam*] Sepulcra posuit pro funeribus. Quæ-

Quo ruis imprudens vaga dicere facta, Properti?
  Non sunt, ah! dextra condita fila colo.
Aversis Charisin cantas: aversus Apollo
  Poscitur invita verba pigenda lyra.

constans Properti, quo temere raperis ad canendas historias? Stamina tua *non sunt a dextra colu contexta. Fletibus* tuis *cantus adjungis*; sed *tibi non favet Apollo*; *petis carmina pœnitenda a cithara renuente.* Ego *vera* tibi *dicam veris* ex *auctori-*

et Passeratius, qui Scaligeri trajectionem, ita ut nunc recepta est, probat. *Victa en, Troja* ad ed. Ald. marginem conjecerat Heins. *Troica R.* in omn. fere Mss. et priscis edd. sed *Troia* dudum VV. DD. ap. Virg. Ovidium, aliosque correxerunt. Deinde *pericla* edend. censui ex Heinsiano, non *sepulcra*, ut in ed. Bronkh. excusum est: et sic emendandum, et in sua ed. se exhibiturum esse, notat Markl. ad Stat. Sylv. p. 214.' *Burm.* Hoc distichon transposuerunt Barth. Lachm. qui se ita facere ait, non quod id ad ea, quæ huic in sua ed. vicina sunt, quicquam facere existimet, sed quia suum non est scire, quo l. illud Propertius, si Carmen ipse edidisset, repositurus fuisset. Addit deinde: 'Quid vero, si hic tumor astrologo melius quam Propertio convenit?' *Troia R.* esse veram scripturam censet Bronkh. et dant B.B.B. L. *Sepulcra* defendunt Kuin. et Huschk. in Analect. Crit. et probat Lachm. et legit Barth.—73 'Hunc vs. et tres istos qui sequuntur, egregie restituit Heins.' *Bronkh.* qui tum ex Heins. citat hos vv. ut legit Kuin. '*Vage discere* Brix. *Vage dicere* Venet. Ald. 2. *Vaga verba* Bon. [*Vage*] *fata* Guarn.' *Barth.* '*Impudens* unus Reg. in quo etiam *vage discere sacra, P.* ut in Perr. v. c. Colot. Vat. 1. 2. *Vaga discere fata* Colb. Dorv. 1. *Vage dicere fata* Neap. Borr. In Reg. 2. *vaga dicere verba*, ut Leid. 1. *Vaga dicere fata* 2. cod. Frut. Voss. 1. 3. Dorv. 2. meus uterque. *Facta* Voss. 4. a m. sec. *Vaga facta* vel *festa* Heinsius. Marcil. ad Horat. p. 43. ex Mss. legit *Q. ruis, imprudens, age dicere.* Livineio placebat *Q. ruis imprudens? fuge dicere facta, P.* Sed amplector Heinsii emend. ad Ov. III. A. A. 672. I. Advers. 2. et Ep. ad Græv. T. IV. Syll. Ep. p. 299. quam dedit Bronkh. *Q. ruis i. vaga dicere facta P.* eamque certam esse dicit Dorvill. ad Charit. p. 773.' *Burm.* Legit Lachm. *imprudens, vage, dicere fata, P.* Kuinoelis lect. dant B.B.B.—74 '*Colo* omn. libb. non *colu*, quanquam id parum refert.' *Bronkh.* Id. sentit Barth. qui addit: '*Non ita sunt d.* vel *Non sunt tam d.* Heins. *A dextro* Posth. Guarn. Dresd. Brix. Aldd. Colin. cett. *A dextra* edd. Venet. et Mur. *Candida* Heins. prob. Bronkh. qui nescit quid sit *condere fila*. Nempe *condere* est, facere, ut 'condere vellera.'' '*A dextra* Vat. 5. Leidd. tres Voss. Dorvv. et meus 1. *A dextro* 2. ut Regg. Colb. 2. Borr. Ask. et edd. vett. *Candida* cur textui inseruerit Bronkh. causam non video; in omn. enim codd. *condita* cum prisc. edd. Hoc itaque reposui. Markl. ascripserat male editum fuisse *candida*.' Burm. *Ah* probat Lachm. et defendit *dextro*. Kuinoelis lect. exhibent Barth. Burm. —75 '*Accersis* manifesta præfert vestigia τοῦ *Aversis. Charites*, quod e suo

NOTÆ

nam vero sint illa funera, quæ prædicit, non liquet; nisi forsan de terræ, maris, ac universi mundi interitu loqui intelligatur.

73 *Quo ruis imprudens*] Verba sunt vatis, seu astrologi cujusdam, quem inducit Poëta, a quo se fingit fuisse de rebus futuris edoctum, ac deterritum a scribendis rebus gravioribus ac bellicis.

74 *Non sunt, ah! dextra, &c.*] Opus, inquit, quod a te texitur, non est a colu felici ac fausta deductum; quia nimirum vires tuas superat, ad id non es idoneus, ac denique tibi infensus Apollo versus cothurnatos suggerere renuit.

75 *Aversis Charisin cantas* [*Accersis*

Certa feram certis auctoribus; aut ego vates
Nescius ærata signa movere pila.

bus. *Non ego sum astrologus, qui nesciam quænam signa in ænea sphæra moveantur*

Scaliger produxit, firmat C. Com. *Aversus A.* Colbertt. et nostri.' *Broukh.* '*Accersis lacrymis cantas* Palat. 2. Bon. Dresd. *Cantus* Guarn. Brix. Aldd. Cant. cett. *Accensis lacrymis cartas* Palat. 1. *Accersis l. charitas* [recte e Barth. citamus] Cuj. C. Com. *Adversis Musis cantas* Venet. quam Beroaldi conjecturam esse Scaliger affirmat. *Aversa* [cf. inf.] *Lachesi cantas*, vel *Aversis Charisin cantas* Heins. *Aversis c. Musis* Bodl. *Aversis* tamen non multum recedit ab *Accersis*. *Adversus A.* Palatt. Brix. Venet. Ald. 1. Colin.' *Barth.* '*Accersis lacrymis cantas* Neap. Leidd. tres Voss. Heinsian. Dorvv. nisi quod *lacrymas* in Neap. et Dorv. 1. *Cantus* Leid. 1. Neap. *Canis* Voss. 4. *Arcessis lacrymis cantus, adversus* Groning. *Arcessis lacrymas cantus adversus Ap.* Ask. Fluctuat valde et se torquet Passeratius, ut veterum edd. lectioni, *Accersis lacrymis cantus, adversus Apollo*, (quod et in Venet. 2. Vicent. Rheg. Volsci et aliis antiquis edd. est) commodum aliquem sensum affingat; et absurda satis est Theod. Marcilii conjectura, qui ad Horat. p. 43. legebat *An cretus lacrymis cantus.* Beroaldus emendabat, *Adversis Musis cantas*, quod improbat Scaliger, et ex suo cod. affert *Arcessis lacrymis Charites:* quod ultimum *Charites* etiam est in Leid. 2. neque tamen Beroaldus solo audacioris ingenii ductu sic divinasse videtur, sed f. membranas veteres inspexit, in quibus ita invenerit. Certe in Perr. v. c. Colot. Vat. 1. 2. clare legitur *Aversis Musis cantas, aversus Apollo est:* et sic 5. sed in quo *Adversis*, et pro *cantas* in eodem *charites.* *Cantus* in 2. *Adversus Apollo* in Dorvv. et meo 2. Heinsius olim divinaverat in margin. ed. Ald. *Aversæ Lachesi cantas:* sed postea *Aversis Charisin cantas: aversus Apollo Posciłur &c.* prætulisse videtur. Eum vid. N. Prop. p. 740. in Epist. ad Græv. T. IV. Syll. p. 299. et I. Advers. 2. ubi multa in hac Elegia emendat: et præclaram [optimam alibi eam vocat Burm.] hanc Heinsii restitutionem impense laudarunt Marklandus ad Stat. Sylv. p. 74. et Dorvillius ad Charit. p. 773. *Charisin* præterea inhæret codicibus, et genio Propertii convenit. *Aversus A.* etiam melius, quam *adversus* repetitionis causa.' *Burm.* Kuinoelis lect. dant B. B. B. '*Adversis Musis* Ber. sed in Heins. v. c. et Ferrarii lib. *Aversis c. Musis.*' Barth.—76 '*Posciłur* elegantius est altero isto pervulgato.' *Broukh.* '*Poscis et* cod. Voss. *Poscis ab* Bon. Guarn. Dresd. Brix. Venet. Aldd. Colin. Cant. cett. *Pingenda* Palat. membr.' *Barth.* '*Posciłur* recte Heins restituit pro eo quod in omn. antea scriptis excusisque *Poscis ab inv.* ut præter alios in Leid. tribus Voss. Dorv. 1. et meis. Sic affert Nestor in Vocab. p. 106. b. *Poscit et* Palatinus, Ask. Dorv. 2. *Pingenda* vitiose in Palat. et pr. edd. Palmerianum *pagenda* [*pang.* e Burm. exscribit Kuin.] merito rejecit Gebh.' *Burm.* 'Gebhardus (nam Burm. falsa memorat) in cod. Palatino reperit *Poscis et.*' Lachm. qui vult *Arcessis Latium: cantas: aversus Apollo; Poscis ab invita verba pigenda lyra.* Nostram lect. præferunt B. B. B.—77 '*Haud ego* Dresd. Venet. *Aut* invenit Broukh. in sua Venet. sensu arguto. Sic quoque Ecl. pr.' *Barth.* '*Aut* Regg. Borr. Groning. Venet. 2. Vicent. Rheg. Volsci in ipso contextu (sed in Notis *haud*) Aldd. Junt. Gryph. *Haud ego* Colot. Vat. 1. 2. 5. Leid. 2. Voss. 3. Dorv. 2. Ber. Colin.

NOTÆ

lacrymis cantus] Tu qui fles amores tuos ad lacrymas vis adjungere cantus ac res lætas, sacra scilicet diesque festos.

76 *Posciłur* [*Poscis ab invita*] Lyram tuam, quasi esset Musa, oras, ut tibi versus suppeditet, quæ non alia futura sunt quam quorum te lectoresque pœniteat: erunt enim versus male nati.

78 *Signa movere pila*] Pilam æratam vocat sphæram æneam, quæ ro-

Me creat Archytæ soboles Babylonius Horos,
Horos, et a proavo ducta Conone domus.
Di mihi sunt testes, non degenerasse propinquos,
Inque meis libris nil prius esse fide.
Nunc pretium fecere Deos, et fallitur auro
Jupiter: obliquæ signa iterata rotæ.

tur. Horos Babylonius, Archytæ filius, me procreavit, meaque *gens a Conone atavo or!a* est. *Deos ego testor a parentibus* me *non descivisse, et in meis scriptis nihil esse potius ac antiquius veritate. Jam in lucrum quæstumque Deorum religionem verterunt, auroque decipitur Jupiter.* [*Ego canam*] *signa sæpius decursa rotæ ob-*

Rouill. Mureti Aldina, Cant. Scal. Douss. Prius tamen a Passeratio asseritur. *Haud* vero tueri potest Homeri locus, II. Od. 170. seqq.' *Burm.* *Aut* dant B. B. B.—79. 80 '*Orops* Palatt. Guarn. Brix. Venet. *Horops* Aldd. Mox *Horon* Guarn. Dresd. Aldd. *Oron* Brix. Venet. *D. Zenone* Dresd.' *Barth.* '*Horops, herops*, vel *Orops* in meis Mss. Leidd. Voss. 1. 3. 4. Dorv. 2. *Orobs* Borr. *Oros* Colot. Vat. 1. *Heros* Neap. a m. sec. *Orops* Regg. Groning. Mentel. Heinsian. pr. edd. *Herops* Harl. *Arch. proles B. orops* Ask. *Horus* vel *Horos* Astrologi nomen. Mox *Oron et* Regius, vel *Horon et*. In Leid. 1. Voss. 1. 4. Dorv. 2. *Herops*, et Leid. 2. Voss. 3. a m. sec. Sed *Heron et* a m. pr. *Horon* v. c. Frut. *Oron* Groning. Borr. *Oros et* Colot. Vat. 1. 5. *Horon, at* Heins. Ep. ad Græv. T. IV. Syll. p. 297. probante Grævio Ep. seq. vel *Heroum a proavo* in marg. ed. Ald. Marklandus ascripserat; 'Diu est quod vidi legend. esse *Horon*, ex sensu. Horos Babylonius creavit me Horon. Sum Horos ab Horo. Confirmat cod. Dorv. et Ed. pr.' Pro *Conone* male in Leid. 1. Voss. Heinsian. et meo utroque *canone*.' Burm. '*Horos, Horos*: inepta repetitio. Groning. [cf. sup.] Neap. et permulti in pentametro habent *Horon*. In versu longiore *Horos* de nescio cujus conjectura legi videtur. Scripti habent *Orops* et similia. Recte *Horops, Horon*.' Lachm. Nostram lect. dant B. B. B.—81 '*Sint* Guarn. *Propinquos* Francc. Guarn. Ed. pr. *Propinquis* cett. cum vulgg.' *Barth.* '*Sint* Borr. C. Com. Voss. 1. Recte *propinquos* in Regio, Neap. Vat. 5. Voss. Groning. aliisque. Male *propinquis* in primis et reliquis vetustis edd.' *Burm.* Kuinoelis lect. dant B. B. B. L.—83. 84 *In præcium* Venet. ap. Barth. *In pretium* Borr. Dorv. 1. meus 2. et Ber. F.

NOTÆ

tunda est instar pilæ, quam invenisse dicitur Archimedes.

79 *Me creat Archytæ soboles*] Archytas philosophus eximius fuit Pythagoricus, patria Tarentinus, qui columbam ligneam ita affabre effinxit, ut vivæ volatum imitaretur.

Babylonius Horos] Horos vel Horus Babylonius dicitur non a patria, sed a professione, quia nimirum Babylonii seu Chaldæi peritissimi semper habiti sunt astrologi seu vates et genethliaci; de quibus vide Strabon. lib. XVI. et Cic. lib. I. et II. de Divinat.

80 *A proavo ducta Conone domus*] Conon insignis fuit mathematicus, ex Samo insula oriundus, qui septem de rebus astrologicis Libros edidit.

83 *Nunc pretium fecere Deos*] Astrologos ac mathematicos insectatur, qui pecuniam et aurum Deorum habent loco, et qui pretio corrupti fortunatam genituram fataque salutaria ementiuntur. Inde vero falli dicitur auro Jupiter, quia propter aurum lucrandum astrologi stellam Jovis beneficam ac faustam alicui assignant in genitura, qui stellam fortasse Saturni perniciosam habet.

Felicesque Jovis stellas, Martisque rapacis,
Et grave Saturni sidus in omne caput.
Quid moveant Pisces, animosaque signa Leonis,
Lætus et Hesperia quid Capricornus aqua.
Dixi ego, cum geminos produceret Arria natos,
(Illa dabat natis arma vetante Deo,)
Non posse ad patrios sua pila referre penates.
Nempe meam firmant nunc duo busta fidem.

liquæ, faustum beneficumque Jovis sidus, violenta*sque avidi Martis* stellas, *ac perniciosum in omnes mortales astrum Saturni, quid Pisces moliantur, quid furibundi Leonis sidus, quidque Capricornus Hesperio mari perfusus. Ego prædixi, cum duos filios Arria produceret, (ipsa* namque *iis arma dabat Deo invito ac prohibente,) non posse* eos *ad paternos Penates tela sua reportare. Equidem nunc duo* illorum *sepulcra vaticiniorum meorum veritatem confirmant. Nam dum Lupercus os equi*

legendum *Jupiter: obliquæ s. iteranda r.* ut major distinctio ponatur post 'Jupiter.' In multis Mss. et edd. hic sequuntur versus 105—108 [nobis 85—88.] quos excipiunt vss. 71. 72. sed de ordine horum vss. vid. Th. Marcilium ad Horat. II. Od. 17. p. 49. qui ita disponendos censet, ut exhibuit Broukh. [et Burm.] ita ut post hunc vs. sequatur 'Dixi ego, &c.' et post vs. 104. [nobis 108.] etiam collocat Marcilius vs. 105 [nobis 85.] cum tribus seqq. ut edidit Scaliger.' *Burm.* Non interpungit Broukh. post 'Jupiter.'—85 '*Stellæ* Scaliger, Broukh. *Stellas* cett. omnes.' *Barth.* *Stellas* Regg. Groning. Ask. Leid. 1. tres Voss. Dorvv. et Burmm. Probat Lachm. et legit cum Barth. *Stellæ* dat Burm. *Rapaces* emendabant Livin. Markl.—87 '*Moneant* legend. putabat Livin. idque a Voss. 3. 4. meo 2. et libb. Passerat. confirmatur, et a Ber. idque Guyeto placebat.' *Burm.* *Mov.* legunt B. B. B. L.—88 *Lotus* libb. scrip. pler. cum Brix. Aldd. cett. prob. Vulp. sensu sat commodo: *Lætus* tamen est in Franc. 2. [Voss. 4.] et Dresd. quod amplectitur Broukh. cum Gött. In Venet. 1500. *L tus et hesp.*' Barth. 'Revocand. putavi lect. *Lætus*, utpote difficiliorem, cum *Lotus* Grammaticis suam originem debere videatur.' *Kuin.* *Lotus* habent Burm. et Lachm. *Lætus* dant B. B.—89 *Perduceret* Livin. Gebh. *Actia* Mentel. *Accia* Burm. 2. *Ortia* Dresd.—90 *Dari* et vs. seq. *Nec* pro *Non* sublatis signis parenth. vult Heins. *Dabit natis* Dorv. 1. Burm. 2.—91 *Pila* Mentel.

NOTÆ

84 *Obliquæ rotæ*] Orbita Solis seu Zodiacus, in quo duodecim signa sunt, intelligitur. Per obliquum enim Zodiacum Sol inflectitur, signaque sæpius obliquo tramite percurrit.

85 *Felicesque Jovis stellas*] Profitetur astrologus ille se siderum naturam, rerumque cœlestium causas habere perspectissimas, cur nimirum Jovis stella sit benigna, Martis vero malefica, Saturni perniciosa. [Hæc refert editor Delph. ad *Dicam* in disticho 71, 2. quod post vs. 88. ponit.]

87 *Quid moveant pisces*] Quid Pisces, quid Leo, quid Capricornus in genitura dominantes portendant.

89 *Dixi ego*] Orationem persequitur genethliacus, probatque ab exemplo se peritissimum esse vatem, quandoquidem Arriæ cuidam fœminæ, cum duos filios ad bellum mitteret, prædixerat illos domum salvos et incolumes non esse redituros.

90 *Dabat natis arma*] Filios ad bellum mittebat, invitis Diis.

Quippe Lupercus eques, dum saucia protegit ora,
  Heu! sibi prolapso non bene cavit equo.
Gallus at in castris dum credita signa tuetur,
  Concidit ante aquilæ rostra cruenta suæ.
Fatales pueri! duo funera matris avaræ!
  Vera, sed invito, contigit ista fides.
Idem ego, cum Cinaræ traheret Lucina dolores,
  Et facerent uteri pondera lenta moram,
Junoni votum facite impetrabile, dixi.
  Illa parit: libris est data palma meis.
Hoc neque arenosum Libyæ Jovis explicat antrum,
  Aut sibi commissos fibra locuta Deos;

graviter vulneratum tutatur, eheu! equo concidente, sibi parum consuluit. Gallus vero, dum commissa sibi *vexilla protegit, corruit ante rostra sanguine resperso aquilæ suæ.* O *filii fatales, duo matris avaræ funera! hæc certa* vaticinii mei *veritas evenit mihi, sed renuenti. Ipse ego, cum Lucina Cinaræ* parientis *dolores protraheret, ventrisque onus tardius moraretur, dixi, Votum exorabile Junoni nuncupate. Cynara* statim *parit:* exinde *scriptis ac vaticiniis meis palma donata est. Id non docet specus sabulosa Jovis Libyci, nec exta quæ Deorum voluntatem sibi creditam enuntiant, nec quicunque intellexerit agitatas*

Voss. Dorv. 2. Guarn.—93 *Lupercus, equi dum* dant B. B. B. L. *Eques* est emendatio Heins. et Markl. optime, judice Burm.—94 *Tibi p.* Borr. Groning. Voss. 1. Burmannianus, Guarn.—95 *Et* Dorvv. Burm. 2.—96 *Signa c.* Borr. Groning. Leid. 2. Voss. 1. 4. (et 3. pro varia lect. superscr.) Burm. 1. Guarn. et legit Lachm.—97 *Ferales* Heins.—98 *In uno* Dorv. 1. Burm. 2. 'Legend. cum Heinsio *invitæ*. *Constitit* mallem pro *conc.* male *concidit* Palat. 1.' *Burm.*—99 *Cynare* Dresd. *Cinyræ* Groning. *Cinara* Neap. *Cynaræ* Burm. 1. *Concinaræ* Venet. 2. Rheg.—100 *Humeri* Borr. Groning. Heinsian.—101 *Junonis* Posth. Palatinus, C. Com. Neap. Regg. Ask. edd. vett. *Junonis facie votum* Mentel. Voss. 1. 4. Dorvv. Burmm. Guarn. Dresd. Burmannus mallet hic emendari *facito*, neque probat conjecturam Passeratii *v. facite, impetrabite, d.* F. legend. est *Junonis facito v.* ait Lachm. sed nihil affirmat.—102 *Verbis* conjicit Heins. quod improbat Burm. *Labris* Regg. *Et data* Borr. Heinsian.—103 '*H. quoque* Borr. Heinsian. meus 1. *Libyci* Reg. Leid. 2. Voss. 3. Ald. 2. Rouill. Gryph. Canter. Douss. [Lond. Græv.] et alii. *Jovis Libiæ* Venet. 2. Rheg. [Guarn.] *Libyæ J.* Mentel. Heinsian. Leidd. Vossiani, Groning. Borr. Ald. 1. Junt. et Colin. *Libie*

NOTÆ

93 *Lupercus*] Lupercus et Gallus duo sunt Arriæ filii, qui, ut prædixerat astrologus, in bello perierunt; alter equi lapsu extinctus, alter dum aquilam suam tuetur interemtus.

99 *Cum Cinaræ traheret Lucina dolores*] Significat etiam astrologus se Cinaram puellam partus dolores patientem citra mortis periculum parituram prædixisse, si Junoni votum faceret. Quod cum evenisset, omnes eum veridicum agnoverunt, librosque ejus astrologicos in summo habuerunt pretio. Lucina, a parturientibus invocari solita, dicebatur Latinis Juno Lucina, Græcis Ilithyia.

103 *Libyæ Jovis antrum*] Hammonis Jovis oraculum in extrema Libya

Aut siquis motas cornicis senserit alas;
Umbra neque hæc magicis mortua prodit aquis:
Aspicienda via est cœli, versusque per astra
Trames, et ab zonis quinque petenda fides.

cornicula pennas: nec etiam umbra mortui hominis aquis magicis id indicat. Speculandum est iter cœli, et callis flexus per sidera, prædictionumque *veritas a quin-*

Neap. *Libyæ genus* Voss. 4. *Libyos J. explicet a.* ad oram ed. Ald. conjecerat Heins. In Notis autem Prop. emendabat, *arenoso Libye J. explicet antro.*' Burm. Nostram lect. dant B. B. B. L.—104 *A. ubi* Guarn.—105 *Senserat* id. Groning. Voss. 1.—106 '*Umbrane quæ* Neap. *U. neque m.* Guarn. [Bon.] *Umbrave quæ* Livin. Turneb. Guy. *U. neque in m.* Vat. Posth. Palat. 1. C. Com. *Umbraque nec m.* Dresd. edd. vett. Brix. Venet. Aldd. Colin. cett. *U. neque e m.* Lond. *Umbraque cui m.* emend. Heins. Ferrarii liber, *U. nec e m.*' Barth. '*Umbraque ne m.* Colb. Mentel. meus 2. *U. neque et* Perr. v. c. *Umbraque nec m.* Reg. 1. Dorv. 1. ed. Mur. *U. neque a m.* Dorv. 2. *U. neque e m.* Vat. 1. 2. *U. nec hæc* 5. *U. nec in* Borr. *Prodita venit* Ask.' *Burm.* *Umbrave quæ* legit et Lachm. Nostram lect. habent B. B. B.—107 '*Verusque* [Guarn.] Mentel. Borr. Colb. Heinsian. Ask. tres Voss. Dorvv. et mei. *Ursusque* Leid. 2. corrupte, sed quod favet Heinsio *Sursusque* conjicienti ad oram ed. Ald.' *Burm.* *Verusque* dat Lachm.—108 *A z.* Dresd. *A stellis* emendat

NOTÆ

situm, ac toto orbe celeberrimum, significat: de quo vide Curt. lib. IV. Plin. VI. 29. Arrian. lib. III. Diod. Sicul. lib. XVII.

104 *Fibra locuta Deos*] Fibræ sunt jecinoris extremitates, seu, ut alii malunt, venæ quædam et nervi, qui decurrunt per jecur. Fibræ tamen etiam dicuntur de ceteris visceribus, perinde ac de jecinore. Fibra porro dicitur 'loqui Deos' sibi creditos, cum per haruspicinam ex fibris ab haruspice exploratis futura cognoscuntur, et voluntas Deorum aperitur. Haruspices enim diligentissime considerabant quid periculi, quid commodi exta portenderent, quid jecur, quid reliqua viscera denuntiarent. Ovid. Met. XV. 'Protinus ereptas viventi corpore fibras Inspiciunt, mentemque Deum scrutantur in illis.' Fibram enim veteres putabant voluntatem Deorum habere commissam ac veluti inclusam; unde fibra dicitur Tibullo nostro 'Deorum conscia,' II. 1. 'Eventura precor. Viden' ut felicibus extis Significet placidos conscia [nuntia] fibra Deos?'

105 *Cornicis senserit alas*] Ostendit cornicem non cantu tantum, sed etiam volatu facere auspicium, ideoque non modo oscinem, sed et alitem esse.

106 *Magicis aquis*] Quas scilicet spargunt in suis nefariis sacris magi.

107 *Versusque per astra Trames*] Zodiacum circulum intelligit.

108 *A zonis quinque*] In quinque zonas, quas alii dicunt fascias, cœlum seu mundus dividitur, ut testatur Virg. 'Quinque tenent cœlum zonæ,' &c. Harum duæ extremæ frigidæ sunt, media adusta ac penitus torrida, duæ vero intermediæ temperatæ. De his jam supra dictum est pluribus.

Exemplum grave erit Calchas: namque Aulide solvit
  Ille bene hærentes ad pia saxa rates.
Idem Agamemnoniæ ferrum cervice puellæ
  Tinxit; et Atrides vela cruenta dedit.
Nec rediere tamen Danai. Tu diruta fletum
  Supprime, et Euboicos respice, Troja, sinus.
Nauplius ultores sub noctem porrigit ignes,
  Et natat exuviis Græcia pressa tuis.

que zonis est arcessenda. Magnum exemplum Calchas fuerit. Hic enim Græcorum *naves ad pios scopulos bene morantes ex Aulide dimisit. Ubi idem* suum *gladium cruentavit collo virginis Agamemnoniæ, Atrides statim lintea funesta ventis commisit. Nihilominus Danai non sunt reversi. Tu vero,* o *Troja, eversa lacrymas cohibe, et oculos reflecte ad freta Euboica. Nauplius accendit noctu faces vindices, spoliisque tuis oppressa Græcia mergitur.* O *Oilide, jam voti compos, abripe, ac de-*

Scaliger. *Petunda* Burm. 2.—109 *Chalcas* Brix. In meo utroque, ait Burm. sic male interpungitur, *erit: Calchas n.* In 2. *nam quæ.*—110 *Trabes* Vat. 5. Voss. 3.—112 *Atridis* mavult Wakkerus Amœn. Lit. p. 103. *Vela tenenda* Palat. 1.—114 *Supprime, Troja* male repetitur, ait Burm. in Borr. et Heinsian. —115 *Ulterem ignem* in uno Reg.—116 *En n.* Heins. *Suis* Neap. Regg. Colb.

NOTÆ

109 *Exemplum grave Calchas*] Calchas fuit Græcorum augur, qui cum ipsis ad expeditionem Trojanam profectus est. Ostendit autem ipsius Calchantis exemplo haruspicinam esse mendacem, hariolosque et haruspices esse fallaces et vanos præstigiatores. Calchas enim, hariolandi scientia præstantissimus, postquam ex Aulide portu solvissent Græci, prædixit eos in patriam eversa Troja victores sospitesque rediturOS: quod tamen secus accidit quam prædixerat. Nam omnes fere ad Caphareum promontorium Euboicum, ad quod Nauplii dolo eorum classis deleta est, naufragio perierunt, ut supra jam diximus. Melius ergo classis Græcorum hæsisset in Aulide, cui Calchas vates auctor fuit ut sôlveret, mactata Iphigenia Agamemnonis filia, ad Dianam ventosque placandos.

110 *Bene hærentes*] Quia feliciter inde moveri non poterant, adversis ventis, quoniam illa mora proderat Græcis ipsis ad Trojam perituris.

Ad pia saxa] Quia bella cædesque prohibebant. Scribit autem Strabo lib. IX. regionem illam, in qua Aulis est portus, saxosam ac petrosam esse.

111 *Agamemnoniæ puellæ*] Calchas Iphigeniam, Agamemnonis filiam, ad placandos ventos ac Dianam, dum ad portum Aulidem classis consisteret Græcorum, jussit immolari.

112 *Atrides vela cruenta dedit*] Atrides est Agamemnon, qui ipse sanguine filiæ Iphigeniæ mactatæ cruentatus ad Trojam navigavit.

114 *Euboicos sinus*] Sinus est major maris recessus intra terræ veluti duo brachia longius procurrens. Hic autem Poëta per 'Euboicos sinus' Caphareum promontorium, seu Caphareas cautes et saxa significat, ubi classis Græcorum post deletam eversamque Trojam Nauplii dolo naufragium fecit.

115 *Nauplius*] Palamedis pater, rex Eubœæ insulæ, ut ulcisceretur necem filii, qui fuerat Ulyssis artibus in expeditione Trojana interemptus,

Victor Oilide, rape nunc, et dilige vatem,
  Quam vetat avelli veste Minerva sua.
Hactenus historiæ: nunc ad tua devehor astra:
  Incipe tu lacrymis æquus adesse novis.
Umbria te notis antiqua penatibus edit.
  Mentior? an patriæ tangitur ora tuæ?
Qua nebulosa cavo rorat Mevania campo,
  Et lacus æstivis intepet Umber aquis,

peri vatem, quam Minerva prohibet a suo amiculo abstrahi. Huc usque historia: jam ad tuum natale *sidus venio: incipe tu præsens carminibus novis favere. Umbria nobilis te claris penatibus genuit.* An *mendax sum? an patriæ tuæ fines* non *attinguntur? Qua nimbosa Mevania agro humili ac concavo rore semper manat, et la-*

Groning. Leidd. tres Voss. Dorvv. Dresd. Burmm. et pr. edd. Probat Lachm.—117 *V. hiliace* Guarn. *V. Oiliade* Dresd. Lond. '*O Iliade* Regg. Colb. Exc. Scal. Ask. Leidd. tres Voss. Dorvv. mei, Venet. 2. Rheg. Vofsci edd. quibus consentit Neap. in quo *Oiliade*, ut corrigebat Passerat. *Oilide* Ber. Aldd. Junt. Colin. Rouill. Gryph. aliæque. *Oliade* Groning. quod etiam affert Livineius, sed lectionem ineptissimam vocat. *D. nevem* Leid. 1. *Ratem* Voss. 1. *D. raptam* Vat. 5. Ber. Recte *V. Oilide, raptam nunc dilige vatem* Heins. I. Advers. 2. *Dirige* vitiose Ask.' *Burm.* *Iliade v.* reponit Lachm. Nostram lect. habent B. B. B.—118 '*Quem* male Regg. Colb. et pr. edd. *Sede* Perr. v. c. Colot. Vat. 1. 2. libb. Passerat. qui ex aliis etiam profert *a. ex æde*, sed quod glossema opinor lectionis *sede:* idque Heins. in suis codd. invenisse testatur I. Adv. 2. cui hoc præferend. videtur pro *veste*, quod defendit Broukh.' *Burm.* *Veste* defendit Kuin.—119 *Devehar* Posth. Guarn. Dresd. Regg. Colb. Leidd. tres Voss. Dorvv. Burmm. Brix. Venet. ap. Barth. Hoc præfert Lachm. *Devear* Bon. Neap. *Non ad* Voss. 3.—120 *Tum lacry.* Voss. 3. *A. tuis* correxerat Markl.—121 *Votis* Dresd. Mentel. *Noctis* Heinsian. *Natis* Dorv. 2.—122 Markl. legebat *tenditur.*—123 '*Quin neb.* Guarn. *Quam n.* Voss. Franc. 1. Reg. et Ed. pr. quod huc facere negat Broukh. licet defendat Heins. ad Claud. I. in Rufin. 385.' *Barth.* '*Quam mei.* Recte Broukh. *Qua* præfert. In cod. Reg. *Quam nemorosa c. rotat* corrupte,

NOTÆ

Græcis capta jam Troja in patriam redeuntibus, et tempestate laborantibus, ex Caphareo monte noctu facibus accensis ignes ostendit; quos, cum existimarent Græci indicare portum tutissimum, illuc deducta classe inter asperrimos scopulos naufragium fecerunt; unde versu sequenti dicitur natare Græcia oppressa spoliis Trojanis. Vide quæ dicta sunt ad III. 7. 39.

117 *Victor Oilide*] Ajaci Oilei filio insultat, qui furiis amoris agitatus Cassandram vatem in templo Minervæ violavit; quæ causa fuisse potissima dicitur Græcorum naufragii, quamvis etiam ipse fulmine perculsus ob hoc crimen periisset. Vide Virg. Æn. I.

123 *Nebulosa Mevania*] Mevania civitas Umbriæ ad viam Flaminiam sita, de qua Lucan. ait lib. I. 'thuriferis ubi se Mevania campis Explicat.' Mevania porro dicitur 'nebulosa,' quia, licet in planitie sita sit, valles tamen circumjacentes, agrique pingues, ac rore multo madentes, nebulas exhalant, quibus continuo fere respergitur. Mevaniam urbem plures, loci hujus auctoritate ducti, Pro-

Scandentisque arcis consurgit vertice murus,
Murus ab ingenio notior ille tuo.

cus Umber tepefit æstivis aquis, et eminentis collis jugo sese attollunt mœnia carmi-

ut in meo l. *canis rotat.*' Burm.—124 *Ut* Franc. 1. '*Et sacer æ. i. imber a.* Vat. 1. Perr. v. c. ut in suis Mss. invenisse Metellum scribit Schopp. Paradox. Liter. Ep. XIII. ægre licet credente Broukh. *Imber* etiam Voss. 3. *Et labor* Leid. 2. *Æstivus* Voss. 1. *Uber* Ask. Leid. 2. Dorv. 2.' *Burm.*—125 '*Axis* Dresd. Venet. Aldd. Colin. cett. *Asis* Bon. Posth. Brix. *Arcis* recte Passerat. restituit e vet. lib. prob. Guy. Canter. Livin. Broukh. *Consurget* Guarn. *Cum surgit* Dresd.' *Barth.* *Axis* plerique codd. et ed. Volsci et Ber. Junt. Rouill. Gryph. aliæque. *Asis* Neap. Leid. 1. Dorv. 2. pr. edd. Vicent. Venet. 2. Rheg. quod etiam ex cod. Puccii ascripserat Perr. Gyraldus Dial. IV. Hist. Poët. affert hoc modo, *Scandentisque Asis.* *Scandentique altus* [Heinsii et Ferrarii libb.] Perr. v. c. Vat. 1. ut ex Mss. J. Metelli Schopp. et sic codex Isaaco Voss. inspectus. *Arcis* contra Scaligerum præfert etiam Huetius Manil. III. 351. Heins. ad oram ed. Ald. conjecerat *Candentisque arcis*, vel *Scandentis saxi.*' Burm.—126 *Purus* Heinsian. *Meo* Exc.

NOTÆ

pertii patriam esse contendunt. Scaliger vero Mevaniam regionem esse, non urbem, existimans, Ameriam civitatem, in colle sitam, agro Mevaniensi vicinam, Propertio natale solum decretorio quasi judicio assignavit. Lilius Giraldus Ferrariensis, Franciscus Alumnus etiam Ferrariensis, Justus Lipsius, Laurentius Schraderus Halberstadiensis, Christophorus Saxus Perusinus, Assisium Propertio ortum dedisse scripserunt. Nonnulli etiam Fulginiam, alii Trebiam, Montefalchium alii, alii Vectonium, alii Perusiam, eidem Propertio patriam astruunt. Omnium vero novissimus Thaddæus Domnola Jurisconsultus anno Domini 1629. Fulginiæ librum edidit, reconditioris eruditionis plenum, qui penes me est, ut Propertio nostro sedem natalem Hispellum Umbriæ civitatem assereret.

124 *Lacus intepet Umber*] Nonnulli, ut Scaliger, significari volunt lacum Vadimonis, nunc *Lago di Bassanello*, a castro Bassano, cui adjacet, sic dictum. Et quia Plinius Junior Epist. VIII. 22. Vadimonis lacum in Amerino agro situm describit; inde, et ex hoc loco Propertii, Scaliger more suo Thrasonico putavit omnes homines, atque adeo ipsos Umbros, se docere posse non aliam quam Ameriam urbem fuisse Propertii patriam. Alii vero, per lacum Umbrum, lacum Velinum designari putant, qui non procul ab Interamna civitate, vulgo *Piedeluco*, nunc *il Lago di Piedeluco*, nomen accepit. Thaddæus vero Domnola libro suo doctissimo de patria Propertii per lacum Umbrum Clitumni fluvii fontes Hispello vicinos designari contendit, ut inde probet suam urbem Hispellum, non Mevaniam, aut Ameriam, ortum dedisse Propertio. Cum enim idem Plinius Epist. VIII. 8. fontes Clitumni describens, dixerit illos locumque vicinum Hispellatibus Augustum dedisse, qui ibidem balineum publice præberent et hospitium, inde conatur evincere locum hunc Propertii nonnisi de Clitumni fontibus recte posse explicari.

125 *Scandentisque arcis*] Quæcumque tandem fuerit Propertii patria, sive Mevania, sive Hispellum, sive Ameria, sive quæcumque civitas alia, eam ille vocavit 'scandentem arcem,' quæ nimirum de plano et humili campo assurgens, et in colle seu editiori

Ossaque legisti, non illa ætate legenda,
  Patris; et in tenues cogeris ipse lares.
Nam tua cum multi versarent rura juvenci,
  Abstulit excultas pertica tristis opes.
Mox, ubi bulla rudi dimissa est aurea collo,
  Matris et ante Deos libera sumta toga,
Tum tibi pauca suo de carmine dictat Apollo,
  Et vetat insano verba tonare foro.

nibus tuis clariora. Tu *quoque cineres collegisti, ea ætate non colligendos, patris.* nimirum, *ipseque ad domum parvam et exilem compelleris. Cum enim plurimi boves agros tuos exercerent, infelix decempeda nitida rura cultissimasque facultates eripuit. Deinde cum bulla aurea* tibi *adolescenti e collo pependit, et coram maternis laribus virilis toga data* est; *tum* etiam *Apollo aliquid tibi inspiravit de sua vi versus fingendi, prohibuitque* te *verba facere* in *foro clamoso. Sed tu,* inquit, *Elegias*

Scal. Dorv. 2.—128 '*Congeris* vitiose Borr. Voss. 3. *Colligis* Reg. *Esse* Voss. 4. Ask. *Isse* Perr. v. c. Vat. 1. 2. Dorv. 2. quod et Lipsio placuit, et Palmerio ex Ms. in Spicileg. p. 812, *Ire* legisse Meursium notat Gebh. sed cum aliqua viri eruditissimi contumelia. *Ipse* [Dresd.] in primis aliisque antiquioribus edd. quod recte a Broukh. probatur. *Matris* Heinsian.' *Burm.*—129 *Non multi* Burm. 2. 'An voluit librarius? *Cum tua non multi:* sed huic lect. obstant 'excultæ opes.'' *Burm. Servarent* Colb. *Terga* Ask.—130 '*Occultas* male Voss. 4. et corrupte *Parthica.* meus 2. *Partica* Ask. Salmasius Solin. T. I. p. 673. profert *Abstulerat patrias pertica t. o.* Ad Catonis Diras vs. 45. memoriæ vitio Scaliger in hoc Prop. vs. affert *Abstulerat miseras.*' Burm.—131 *Demissa* plures codd. et edd. vett. *Dimissa* Markl. præferebat, et sic edidit Broukh. *Collo Matris* absurde ab aliis jungi notavit Passerat.—133 *T. mihi* Dresd. *De crimine cantat* Reg. F. legend. *culmine d.* ait Burm.

NOTÆ

clivo sita, sese attolleret; ut perspicue huic omnino respondens Elegiæ hujus declarat versus 65. 'Scandentes si quis cernet de vallibus arces.' Alii vero legunt *scandentis axis;* nos vero lectionem antiquam retinemus.

127 *Ossaque legisti*] Propinqui ac necessarii, cremato cadavere defunctorum, extincto rogo, completoque funere, ossa reliquiasque colligere solebant, quas urnis inclusas tumulo inferebant.

128 *In tenues cogeris ipse lares*] Amisso patre adhuc junior Propertius in angustam et exilem domum sub matris custodia, ubi et arcte habitus est, compulsus fuisse videtur.

130 *Pertica tristis*] Romani solebant agros perticis seu decempedis mensos attribuere veteranis. Quod quidem accidisse sibi testatur Poëta. Significat enim fuisse se possessionibus paternis pulsum, et ad paupertatem redactum, agrosque suos 'pertica tristi' descriptos aliis fuisse assignatos.

131 *Bulla aurea*] Ornamentum fuit pueris ingenuis attributum. Macrobius Saturn. I. 6. ait bullam illam auream in cordis figuram ante pectus annexam fuisse, quam inspicientes ita demum se homines cogitarent, si corde præstarent.

132 *Matris et ante Deos*] Sub matris tutela, ac in ejus exili domo, post mortem patris, paternis etiam pulsus possessionibus, educatus est Propertius, unde et coram ejusdem matris laribus, ut mos erat, togam virilem sumsit.

At tu finge elegos, fallax opus: hæc tua castra:
Scribat ut exemplo cetera turba tuo.
Militiam Veneris blandis patiere sub armis,
Et Veneris pueris utilis hostis eris.
Nam tibi victrices, quascumque labore parasti,
Eludet palmas una puella tuas.
Et bene cum fixum mento decusseris uncum,
Nil erit hoc; rostro te premet ansa suo.

scribe, carmen ad fallendum aptum; ista sunt *tua castra; ut reliqua multitudo* poëtarum *te imitata idem faciat. Veneris bellum feres jucundis in armis, Venerisque pueris utilis adversarius eris. Unica enim femina, quotquot industria* tua *quæsivisti, laudes triumphales tuas inanes reddet; cumque uncum collo penitus impactum excutere conatus fueris, id frustra fiet; ansa te suo hamo constringet. Ad hujus*

Cantat etiam pro varia lect. in Exc. Scal. Leid. 2. et in marg. Voss. 3. ac Dorv. 2.—134 *Foco* Voss. 3. *Toro* Dorv. 2.—135 *Et* Dresd. Reg. 2. Colb. Borr. *Ac* Dorv. 1. Burm. 2. *Aut* Groning. *At* Palatt. C. Com. Colot. Vat. 1. 2. recte, judice Burm. *Felix o.* olim conjecerat Broukh. sed postea rejecisse videtur Burmanno. *Pellax o.* Heinsius emendabat Not. Virg. G. IV. 443. *At* dant B. B. B. L.—136 *Et* Leid. 2. Voss. 3. C. *verba* Dorv. 1.—137 '*Patiare* Reg. Groning. [Bon. Guarn.] Leid. 1. in quo etiam *eras* in fine seq. vs. *Annis* [Dresd. C. Com.] primum in Aldd. Junt. Colin. Gryph. aliisque edd. excusum comparuit: nam in Perr. v. c. Vat. 2. [Bon. Guarn.] Mentel. Heinsian. Vicent. Venet. 2. Rheg. Volsci et Ber. *armis* legitur, quod recte prætulit Gebh. et edidit Broukh.' *Burm.*—138 *Hospes* tres Voss. —139 *Jam* Perr. v. c. Vat. 1. *Victrici labore* Heins.—140 '*Eludit* Neap. Borr. Exc. Scal. Ask. Leidd. tres Voss. Dorvv. et mei. *Eludit* et *Eludat* Regg. quod ultimum etiam est in primis aliisque vetustis edd. *Elidet* Vat. 5. [*Eludet* Dresd.] *Duas* emendand. arbitror.' *Burm.* *Eludet* Lachm. certissimam lect. esse ait, et *duas* improbat.—141 '*Ut* Brix. Venet. *Confixum* Brix. *Confixum merito* Guarn. Dresd. *Decusserit* Regg. Franc. 2. *Discusserit* Bon. Guarn. Dresd.' *Barth.* '*Ut* Colot. Vat. 1. 5. *Confixum* Colot. Vat. 1. 2. 5. Perr. v. c. Groning. Heinsian. Regg. Colb. Borr. Ask. Leidd. tres Voss. *Merito* Exc. Scal. Borr. Voss. 1. 3. Heinsian. *Confixum merito discusserit* meus 2. *Confixo merito discusserit* Dorv. 2. et superscr. *confixum mento. Disc.* etiam Leidd. tres Voss. Ask. et pr. edd. in quibus etiam *confixum merito. Descusseris* vel *descusserit* in aliis tamen non admittend. Crucquius Horat. I. Od. 35. 20. affert *Ut b. cum f. m. discusseris u.* *Discusseris* etiam Abramus Cic. I. Phil. 2. *F. discusseris* probasse videtur Heinsius ad Ov. I. Am. 6. 25. *Decusseris* optimum videtur.' *Burm.*—142 *Nihil* Guarn. *Nil erit: hæc r.* Veneta secunda ap. Barth. *Nil premit* Mentel. Dorv. Burm. 2. *Hæc* Frut. v. c. Vat. 1.

NOTÆ

138 *Veneris pueris*] Cupidinibus, quorum gloriam cum ipsis bellando auxit Propertius.

141 *Mento decusseris uncum*] Quo magis amoris te jugo conaberis subducere, hoc arctius alligaberis. Est metaphora sumta ab unco illo qui reorum ac sontium gutturi, gulæ, collo, aut mento impingebatur, ut a carnifice traherentur in carcerem, vel in scalas Gemonias. Ovid. in Ib. 'Carnificisque manu populo plaudente traheris, Infixusque tuis ossibus uncus erit.'

Illius arbitrio noctem lucemque videbis;
  Gutta quoque ex oculis non nisi jussa cadet.
Nec mille excubiæ, nec te signata juvabunt
  Limina: persuasæ fallere rima sat est.
Nunc tua vel mediis puppis luctetur in undis,
  Vel licet armatis hostis inermis eas,
Vel tremefacta cavo tellus diducat hiatu:
  Octipedis Cancri terga sinistra cave.

placitum noctes diesque duces, nullaque ex oculis tuis *lacryma manabit nisi* ejus *jussu* expressa. *Neque mille vigiliæ, neque obseratæ fores proderunt: decipere aut effugere volenti* unica *sufficit rimula. Jam quamvis tua navis vastis jactetur fluctibus; aut quamvis sine armis occurras armatis hostibus; aut concussa terra profundas rimas agat; octipedis* tantum *Cancri læva posteriora fuge.*

Pocchus *Nil erit hoc: voto. Nostro* Guarn. Dresd. *Premat* Guarn. *Premit* Dresd. *Nostro te premat* Ask. Groning. Leidd. tres Voss. Dorvv. Burmm. *Nostro te premat a. tuo* Neap. *Mento te premat* Dorv. 2. *Premit* Regg. et pro varia lect. *premat*, ut in Borr. 'Omn. libri *confixum* habent pro *cum fixum*. Hæc Dom. Calderinus ex parte correxit, cujus verba subjeci: 'Totum Carmen mendosum est, neque ullo sensu, nisi ita emendes: *Ut bene confixum mento discusseris uncum, Nil erit: hæc rostro te premet ansa suo.*' Multi libri Italici, etiam Vicent. habent *Ut bene confixum*: vides unde venerit. *Cum fixum* Beroaldus dedit.' *Lachm.*—143 *Subibis* Heins.—144 *G. quidem* Vat. 5. Burm. 2. *Nunc n.* Neap. *Justa* Dorv. 1.—145 *Non ullæ exc. nocte s.* Dresd. *Nec nulla* Brix. Leid. 1. Voss. 4. Burm. 2. et pr. edd. *Ter s.* Exc. Scal.—146 *Lumina* Neap. Reg. Dorv. 1. Burm. 2. pr. edd. *Persuade* Borr. Heinsian. *Prima* Guarn. Dresd. Modian. Neap. Borr. Leidd. tres Voss. Dorvv. Burmm. et pr. edd.—149 *Cavum* Perr. v. c. Colot. Vat. 1. 2. et sic Pocc. et Ferrarius. *Diducat* Neap. Borr. *Deducat hiatum* Leidd. tres Voss. Dorvv. Burm. 2. et pr. edd. *Te ducat* Heins. qui etiam tentabat *c. discedat hiatu*. 'Vera lectio *diducat hiatu*, ut edidit Broukh. et sic præter Groning. in Voss. 4. [Dresd.] et meo 1.' *Burm.*—150 *Ottip.* Aldd. *Octip.* Colin. *Occipitis contra* Burm. 2. sed in marg. 'Al. *Octipedis*.' *Cantus* Barthius, at *cautus* Burmannus dicunt esse in C. Com. *Contra* pr. edd. *Cave* pro *time* Dorv. 1. Burm. 2. *Time* legunt Broukh. Burm. Lachm. *Care* Barth.

NOTÆ

150 *Octipedis Cancri*] Ab octo pedibus, quos habet Cancer, 'octipes' dicitur, ut 'bipes,' 'multipes,' &c. Cur autem Poëtæ sit metuendus Cancer, incertum est; nisi forsan ipsius, aut avaræ Cynthiæ, natale fuerit astrum.

ELEGIA II.

VERTUMNUS.

QUID mirare meas tot in uno corpore formas?
Accipe Vertumni signa paterna Dei.
Tuscus ego, et Tuscis orior: nec pœnitet inter
Prælia Volsinios deseruisse focos.

Cur admiraris tot meas unico in corpore figuras? Audi Vertumni Dei patrias notas. Ego sum Tuscus, ac e Tuscis originem duco, neque me pœnitet inter pugnas

'*Fabula Dei Vertuni* Dresd. *Fab. Vertumni* al. cum Ed. pr. *Signum Vertumni* mallet Jo. Goropius. *Vertumnus* simpliciter inscr. jussit Broukh. optime.' *Barth.* *Fabula Vertumni* inscribitur in plerisque codd. et edd. antiquis. *De Deo Vertumno* Burm. 1.—1 *Qui* Heins. Markl. et Oud. ut in aliis libris esse testatur Passerat. *Quur* Dorv. 1.—2 '*Vertunni* Posth. et quidem perpetuo, observ. Livin. Broukhusii libb. omnes *Vertumni;* utrumque probum: hoc tamen magis antiquum. *S. petenda* Dresd.' *Barth.* '*Vertumni* scriptura antiqua: cui favet Lips. I. Saturn. 2.' *Broukh.* *P. mei* Borr. Heinsian. *Petenda* Reg. Dorv. 1. Burm. 2.—3 '*Et* abest a plerisque libb. nec multum juvat, etiamsi adsit. Alii legunt *e Thuscis.* Mihi neutrum probatur.' *Broukh.* *T. ego et T.* Palat. 2. Posth. Dresd. '*A Tuscis o.* Vat. 1. *Et Tuscis* Ask. Groning. Dorv. 2. *T. ego, Tuscis o.* Dorv. 1. In Regg. Colb. meoque 2. *Thuscus ego, Thuscis. Et* vel *e Tuscis* Heins. Male Broukh. edidit *Tuscus ego, Tuscis o.* Edidi *Tuscus ego et Tuscis o.* ut ad marg. ed. Græv. etiam correxerat Markl.' *Burm.* *Tuscus ego, Tuscis* dant B. B. Nostram lect. habent Burm. Lachm.—4 '*Prædia* vult Heins. *Volscinos* vulgg. Venet.

NOTÆ

1 *Quid mirare meas*] Inducitur hac Elegia Vertumnus vires suas multiplices ac varias formas referens, causasque cur Vertumnus nuncupetur, locumque ubi colatur indicans.

2 *Vertumni signa Dei*] Vertumnus, vel, ut alii volunt, Vortumnus, Deus ita dictus est, vel ab anno verso, vel quod præesse crederetur rebus vertendis, h. e. permutandis, vendendis, vel emendis. Acron vero dixit Vertumnum esse Deum humanarum cogitationum præsidem, ideoque multiformem fingi et inconstantem, quemadmodum et hominum cogitationes variæ sunt ac mutabiles. Unde, qui suas cogitationes regere non possent, dicebantur 'iniquo Vertumno nati,' ut ait Horat. Sat. II. 7. Asconius in Verr. III. scribit Vertumnum Deum esse mercaturæ. Dicitur autem Vertumnus fuisse rex antiquissimus Tuscorum, qui vinearum et arborum pomiferarum serendarum rationem tradiderit, cui Tusci illi, qui cum Lucumone in auxilium Romulo contra Tatium Sabinorum regem venerunt, Romæ templum ædificarint in vico Tusco, ubi et simulacrum ejus constitutum est, ut testatur Varro Lib. IV. de L. L. Festa vero Vertumni, quæ Vertumnalia dicebantur, Octobri mense quotannis celebrabantur. Vertumni porro fabulam, qui Pomonam dicitur amavisse, prosequitur Ovidius Metam. XIV.

3 *Tuscus ego*] Tuscus fuit Vertumnus, quia is Deus fuit Etruriæ; unde et Varro dicit ejus statuam stare Romæ in vico Tusco, ubi a Tuscis templum ei constructum est.

Et Tuscis orior] Ex Etruria duxit

Hæc me turba juvat; nec templo lætor eburno: 5
Romanum satis est posse videre forum.
Hac quondam Tiberinus iter faciebat, et aiunt
Remorum auditos per vada pulsa sonos.

lares Volsinienses reliquisse. Multitudine ista delector, nec æde eburnea gaudeo; mihi sufficit spectare posse forum Romanum. Hac olim fluebat Tiberinus; ac fama est remorum sonitus in vadis ibi impulsis auditos fuisse. *Verum ubi tantum-*

Aldd. cett. etiam Ed. pr. *Volsinos* Borr. cum melius legatur *Volsinios. Volsanos* optime habent C. Com. Groning. Franc. Venet. quod Lipsio quoque placebat ad Tac. A. IV. 65. *Volsanios* Palat. *Volscanos* Bon. *Volsconios* Palat. 1. *Clusinos* legebat Volsc.' *Barth.* ' *Volsinos* Vat. 5. Perr. v. c. *Volsanios* Regg. Neap. meus 2. et pr. edd. *Volscinios* Leid. 2. Voss. 3. Dorv. 2. *Volscanios* Ask. sed *Volsanos* Mentel. Heinsian. *Clusinos* Vat. 1. *Volsinos* prætulit editor Elect. Etonens. Minor.' *Burm.* *Volsinios* præplacet Kuinoeli.—5 ' *Nec me* libri. Bene autem e Vaticano emendavit Lips. *Hæc me t. j.* quod sanis rationibus in Vertumno suo firmavit J. Goropius.' *Broukh.* ' *Nec me* Guarn. Dresd. cum vulgg. prob. Heins. *Nec me thura juvant* Passerat. qui tamen et Lipsii lect. probat cum in al. quoque reperiatur. *Templa juvant* Ed. pr. *Nam me* Guy.' *Barth.* ' *Hæc mea t.* Neap. *Nec me* Leid. 1. tres Voss. meus uterque; sic et Ayrm. *Ne me* Leid. 2. *Hæc me templa juvant* Dorv. 1. *Hæc me* Colb. Reg. Colot. Vat. 1. 2. Groning. et pr. edd. *Lector* Leidd. *Oblector* legisse Annium Viterbiensem notat editor Elect. Eton. Minor.' *Burm.*—6 *Et* Leid. et Voss. 1.—8 ' *Sulsa* Mentel. unde quis *sulsa*

NOTÆ

originem Vertumnus, cujus rex vetustissimus fuisse perhibetur.

4 *Volsinios focos*] Non male secum actum fuisse putat Vertumnus, quod Volsinios deseruerit, ut Romam migraret, dum Romani Volsinios debellarent. Volsinii porro, seu Volsinium, civitas Etruriæ fuit opulentissima, quam totam olim fuisse fulmine concrematam refert Plin. II. 52. De bello Volsiniensi cum Romanis scripsit Liv. Lib. v. et IX. ubi Volsinienses pacem petiisse, et inducias in annos 40. dicuntur impetrasse.

5 *Hæc me turba juvat*] Frequentia nimirum ac ingens populi Romani multitudo.

6 *Romanum forum*] Ad differentiam fori Piscarii, Boarii, Olitorii, &c. Nam P. Victor Romæ fora 17. fuisse refert, quorum primum ac maximum fuit forum Romanum, ubi jus dicebatur, ut infra Eleg. IV. videbimus: ' Atque ubi nunc terris dicuntur jura subactis, Stabant Romano pila Sabina foro.'

7 *Hac quondam Tiberinus iter faciebat*] Tiberis fluvii numen dicitur Tiberinus; utrumque Poëta confundit. Significat autem olim per forum, qua parte fuit Velabrum, Tiberim fluxisse. Tibul. II. 5. ' At, qua Velabri regio patet, ire solebat Exiguus pulsa per vada linter aqua.' Ovid. etiam Fast. VI. 401. idem non modo testatur, sed addit etiam, Propertio nostro concinens, ab averso amne dictum fuisse Vertumnum; sic enim scribit: ' Hoc, ubi nunc fora sunt, udæ tenuere paludes: Amne redundatis fossa madebat aquis. Curtius ille lacus, siccas qui sustinet aras, Nunc solida est tellus, sed lacus ante fuit. Qua Velabra solent in Circum ducere pompas, Nil præter salices cassaque canna fuit. Sæpe suburbanas rediens conviva per undas Cantat, et ad nautas ebria verba jacit.

At postquam ille suis tantum concessit alumnis,
Vertumnus verso dicor ab amne Deus.
Seu quia vertentis fructum præcepimus anni,
Vertumni rursus creditur esse sacrum.
Prima mihi variat liventibus uva racemis,
Et coma lactenti spicea fruge tumet.
Hic dulces cerasos, hic autumnalia pruna
Cernis, et æstivo mora rubere die.
Insitor hic solvit pomosa vota corona,
Cum pirus invito stipite mala tulit.

dem populo tribuit, ut de via decederet, *vocor ego Vertumnus Deus e mutato fluminis cursu. Vel quando vertentis anni fructus collegimus*, vulgus *etiam tum Vertumni sacrum esse existimavit. Primi racemi mihi nigrescentibus uvis maturescunt, spicarumque cacumen grano lactenti turgescit. Hic vides mitia cerasa, istic pruna autumnalia, moraque æstiva tempestate rubentia. Hic insitor vota sua reddit corona e pomis confecta, cum pirus trunco reluctante poma protulit. O fama fallax*, mihi

••••••••••••

posset elicere: sed *pulsa* optime se habet.' *Burm.*—9 '*Tandem con.* ap. Annium legi notat editor Elect. Eton. Minor. *Rursum c.* Ayrmanno placebat. *Campum* vel *spatium* legebat Heins.' *Id.* Lachmannus intervalla versibus interponit 10. 18. 22. 28. 30. 34. 38. 40. 46. 56. et forsan aliis.—11 '*Fructus* Bon. *Percepimus* idem, Dresd. cum edd. priscis: sed Ed. pr. *precepimus*, quod convenit cum *præcep.* quod in Franc. 2. Voss. *Præcerpsimus* igitur Heinsii non facile desiderabis.' *Barth.* '*Præcep.* cod. Frut. *Percep.* Leid. 2. Voss. 1. 4. Dorv. 2. meus 1. aliique: sed *præcep.* recte admisit et probavit Broukh.' *Burm.*—12 '*V. Thuscus* vel *V. rus se* Heins. Guy. *Vulgus credidit* Cant. *Creditur* Passerat. e libb. bene reduxit, prob. Gorop. ac Broukh. *Credidit* vulgg.' *Barth.* '*Credidit* in plerisque codd. et edd. prr. *Creditur* Perr. v. c. *Vulgus credidit* in aliis codd. legi notat Passerat. *Vertumnum rursum* ap. Annium haberi notat editor Elect. Eton. Min. et ipse tentat *V. rus hunc credidit*, sed quis usquam *rus credidit* pro rusticis dixerit, probari nequit. Addit autem, amicum se admonuisse legend. esse *V. fructum credidit*, ingrata vocis *fructum* iteratione. Ayrmanno corrigend. videbatur *Vertumno fructus creditur e. sacr.*' Burm. 'Si *creditur* legimus, versu superiore scribend. erit *præcerpimus* cum Carolo Fea in nupero ad Horat. Comment. Nec tamen bene cohærent hæc omnia. *Præcepimus* et *credidit* optimorum libb. auctoritate retineamus.' *Lachm.*—14 *Latenti* Voss. 4. *Lectenti* 3. Leid. 2. *S. fronde* pro varia lect. in Exc. Scal. *Timet* nonnulli secundum Livin. et Gebh.—15 '*Poma* [Guarn.] Borr. Voss. 4. Heinsian. et sic affert Bernard. Cyllenius ad Tibul. I. 1. 8. *Pruna*, quod in Mentel. et

NOTÆ

Nondum conveniens diversis iste figuris Nomen ab averso cœperat amne Deus.' Tiberis alveum a Velabro fuisse aversum ab Agrippa Menenio scribit Porphyrio.

13 *Prima mihi*] Postquam dixit Vertumnus se nomen habere ab amne verso, et a vertentis anni fructibus perceptis, sibi primitias etiam fructuum voveri solvique significat. Fuit enim etiam Deus hortorum; unde a multis idem esse cum Priapo creditus est.

15 *Hic dulces cerasos*] Arborem pro fructu posuit.

Mendax fama, noces: alius mihi nominis index:
  De se narranti tu modo crede Deo.
Opportuna mea est cunctis natura figuris.
  In quamcumque voles, verte; decorus ero.
Indue me Cois; fiam non dura puella:
  Meque virum sumta quis neget esse toga?
Da falcem, et torto frontem mihi comprime fœno;
  Jurabis nostra gramina secta manu.
Arma tuli quondam, et, memini, laudabar in illis:
  Corbis in imposito pondere messor eram.

molesta es, dum aliud mihi nomen esse indicas; tu tandem adde fidem Deo de ipso loquenti. Formis omnibus natura mea apta est; in quamlibet me transmuta, jucundus ero: indue me Cois vestibus, *ero fœmina non inelegans; et induta toga* virili, *quis* me *hominem* esse *non fateatur? Præbe* mihi *falcem, fœnoque implexo mihi frontem tege; jurejurando affirmabis herbas meis manibus* esse *resectas. Olim fui miles, ac, recordor, armatus laudabar; sed* dein *imposito mihi corbis onere, mes-*

reliquis codd. recte tuetur Broukh.' *Burm.*—18 '*Prius* corrupte Borr. Heinsian. Ask. et pr. edd. sed recte Beroaldus emendavit *pirus.* Volscus etiam, licet in illius ed. textu *prius* legatur, in Notis tamen suis *pirus* agnoscit. *In muto* Vat. 5. Dorv. 1. *Injuncto* Colot.' *Id.* *Prius* legit Barth. f. errore typoth. *Pirus* dant Broukh. Burm. Lachm.—19 *Vaces* Vat. 5. Dorv. 1. Burm. 2. *Voces* Voss. 1. Lachmannus suspicatur primitus scriptum *M. Fama, noces; falsa es m.*—20 'Gebhardum *veranti* pro *narranti*, ex vestigiis cod. Palat. in quo *varianti*, reponentem merito explosit Broukh.' *Burm.*—22 'Sic Posth. Dresd. vulgg. edd. recte. *Quæcumque* Vat. Guarn. Voss. *Quamc.* Heinsian. *Quoc.* Palat.' *Barth.* 'Male in Leid. 2. tribus Voss. *Quac.* ut ex codice Livineii Guy. et ex C. Com. præfert Gebh. In Palat. Dorv. 1. Ask. et meo 2. *Quac.* [Cf. sup.] Proba est recepta lect. *Quamc.*' Burm.—23 *Cæis* Brix. *Chois* Neap. Leid. 1. Voss. 1. 4. Burmn. Venet. ap. Barth. *Cæis* pr. edd. *F. modo* Voss. 4. male, judice Burm.—24 'Prætuli *Meque*, licet *Atque* ex edd. antiquis ediderit Broukh. [dicit tamen parum referre:] cui scripturæ proxime accedit Borr. in quo *Æque.* *Jamque* Perr. v. c. Vat. 1. 2. sed *Meque* agnoscit longe major scriptorum codd. et edd. priscarum numerus, cum Canter. Douss. Wechel. Idque probabat Markl. ad Stat. Sylv. p. 289. ut se ita editurum promittit. Recte igitur me sic exhibuisse opinor.' *Burm.* *Meque* dat Lachm. *Atque* Barth.—25 *Da facilem* Ask.—26 '*Germina* male Voss. 3. *Gramina facta* in Dorv. 1. meo 2. et pr. edd. *Semina jacta* Posth. et Dorv. 2. in cujus tamen marg. *gramina secta*, quæ veriss. lect.' *Burm.*—27 Non displicet Burmanno conjectura Francii, *quondam, memini, et l.* Markl. ascripserat: 'Argutius esset *in armis*, sed f. simplicitati Propertianæ illud melius convenit.'—

NOTÆ

23 *Indue me Cois*] Vestibus Cois uti consuevisse mulieres Romanas jam dictum est sæpius. Dicuntur autem Coæ vestes a Coo insula maris Ægæi, Cariæ opposita, ubi ex tenuissimo bombyce singulari cultu texebantur.

25 *Da falcem*] Falcem intelligit quam vocant 'fœnariam.' Solebant enim fœnisecæ sibi frontem herbis cingere ad arcendum solis ardorem.

Sobrius ad lites; at cum est imposta corona,
Clamabis capiti vina subisse meo.
Cinge caput mitra, speciem furabor Iacchi:
Furabor Phœbi, si modo plectra dabis.
Cassibus impositis venor; sed, arundine sumta,
Faunus plumoso sum Deus aucupio.
Est etiam aurigæ species Vertumnus, et ejus,
Trajicit alterno qui leve pondus equo.

sor extiti. Sum ego *sobrius ad lites; ubi vero* fronti *corona addita est, affirmabis in meum caput merum irrepsisse. Impone mitram capiti* meo, *Iacchi formam induam; si vero* mihi *plectrum præbueris, Phœbi* quoque speciem *referam. Datis* mihi *retibus, sum venator; acceptis vero calamis viminibusque viscatis, fio Deus Faunus aucupio plumeo. Vertumnus est quoque rhedarii figura, illiusque qui ab uno equo in alium velox corpus transfert. Si* vero *sit opus, arundine cum hamo*

28 '*At imp.* al. *Item imp.* Heins. *Et* Dresd. Aldd. cett. *In imp.* Bon. cum Brix. et Venet. *Ab imp.* Ed. pr.' *Barth.* '*Et imp.* Sagaciter conjiciebat Francius *C. in imp.* nam ita postea exaratum offendimus in nostris libris et in Groning. quibus deinde accessit unius Reg. uniusque Colb. auctoritas: neque aliter edd. pr. *Et* video ab Aldina primulum profluxisse.' *Broukh.* 'In illis *messor eram* mendum latere olim suspicatus fuit Broukh. nam codici suo ascripserat, 'Atqui messorem egit disticho præcedente: latet hic mendum:' sed in editis Notis nihil ea de re monuit. *Messis* Voss. 3. An hinc legi posset *messis erat?* *C. ab imposito* Colot. Vat. 5. Dorv. meus 2. *Ut* correxerat Heins. vel *at imp.* *Opposito* Reg. 1. *C. imp.* Borr. Ask. In Perr. v. c. Rheg. Volsci, et Ber. *C. in imp.* *C. et im.* Aldd. Junt. Colin. Gryph. aliæque: sed recte Broukh. *in imp.* tuetur. *In* præferebat Markl. Idque non improbat Elect. Eton. editor, sed vel hic *imposito,* vel seq. vs. *imposta* suspectum habet. An f. hic substitui posset *C. in insolito?*' Burm.—29 Heins. conjecerat *c. mihi sumta c. est.*—30 *Jurabis* Heinsian. *Subesse* nonnulli libri. *Tuo* legit Heins. ad Ov. A. A. I. 168. vitio f. operarum, ut censent Barth. Broukh.—31 'Borr. *myrto:* sed sinceritatem receptæ lect. tuetur Ov. XIV. M. 654. Vitiose in Regg. *Achivi* et *Achei:* quorum unum etiam est in pr. edd. alterum in omn. fere codd. Hoc autem distichon f. aptius sequeretur post vs. 24. F. tamen melius esset *faciem f.*' Burm. *Achæi* Dresd.—32 *Si mihi* Franc.—33 '*C. assumtis venor, at* Ask. quod f. non spernend. *Ast* Reg. Corrupte *rerior* in Borr. et *verior* in meo 1.' *Burm.*—34 Optima, dicit Burm. Heinsii conjectura quam Ald. ed. ascripserat *vicoso:* quæ egregie etiam astrui potest loco Petronii cap. 109. 'Petronii locum jam attulit Passerat. neque repugnat ille vulgari lect. quam probam opinor.' *Kuin.*—35 '*Fert* . . . *speciem* vel *Est* . . . *specie* vult Heins. Advers. p. 9. *Auriga* . . . *et hælus* C. Com. *Et elus* Guarn. quod pro *ollus* accipit Passerat. Nihil opus. *Elus* est pro *ejus* vitio scrib. Hinc porro factum *hælus.* *Ælus* Brix. Venet. sed *ælius* Rheg.' *Barth.* '*Sed etiam* Reg. *Auriga* Heinsian. Pro *et ejus* in variis Mss. et edd. priscis *et hælus,* vel *ælus*

NOTÆ

31 *Speciem furabor Iacchi*] Inter alia cognomina Bacchus dicitur etiam Iacchus, qui mitram capite gestare consueverat, quemadmodum et Phœbus plectro citharam pulsans effingi solebat.

34 *Faunus aucupio*] Fauni sylvarum agrorumque Dii sunt habiti a veteribus. Virg. Ge. I. 'Et vos agrestum præsentia numina Fauni.'

Suppetat; hoc pisces calamo prædabor; et ibo
Mundus demissis institor in tunicis.
Pastor me ad baculum possum curvare, vel idem
Sirpiculis medio pulvere ferre rosam.
Nam quid ego adjiciam, de quo mihi maxima cura est,
Hortorum in manibus dona probata meis?

pisces capiam, fluentibusque ac laxis vestibus ero cultus institor. Si detur pedum, pastorem agere possum, ac etiam media æstate portare rosas in canistris. Quid autem insuper addam, unde mihi summa nominis celebritas, hortorum munera in meis

aut *eius*. Recte Bentl. *ejus* sine sententiæ dispendio non posse abesse animadvertit.' *Burm.* 'Cf. quæ leguntur in Obss. Miscell. T. I. Vol. II. p. 33. ubi *ejus* admittendum esse demonstratur.' *Kuin.*—36 *Adverso* Reg. *T. alternos q. l. p. equos* Heins. in ora ed. Ald. Schrader. Emend. cap. 9. p. 166. *l. corpus* malebat, ut in marg. libri sui etiam correxerat Markl. et sic olim Broukh. sed postea rejecit.—37 '*Hic* vult Heins. qui et *Supper huic* leg. suadet; cum in nonnullis sit *Supper hoc*. *Huc* vult Guy.' *Barth.* 'Corrupta scriptura est in nonnullis codd. in quibus *Suppet.* ut in Mentel. et meo 1. in quo suppletum *Suppetat* a manu secunda. *Superat* Borr. *Supperat* Neap. *Suppetat, hoc* Passerat. Sed rectius Heins. et Markl. *Suppetat hic.* Ita edidisse Annium Viterb. nec aliter legere debuisse, qui interpunxerunt *Suppetat hoc, p.* notavit editor Elect. Eton. Min. qui ipse interpungit, *Suppetat: hoc.* *Suppetat huc calamus, pisces prædabor* Guyeto placebat.' *Burm.* *Suppetat hic, p.* probat Lachm. *Suppetat hoc, p.* dant B. B. B. L.—38 *Et tunicis* Dorv. 1.—39 '*Pastorem ad b. p. curvare* Vat. 1. 5. et ex cod. vetusto protulit ac probavit Passerat. quod secutus est editor Elect. Eton. Min. et ita conjecisse Francium notavit, atque assensus est Broukh. licet *curare* ediderit, ut placuit olim Palmerio in Spicileg. p. 181. et Turnebo III. Advers. 23. et XXIII. 6. quod in multis Mss. et primis aliisque vetustis edd. etiam extat: et sic Casaub. ad Suet. Tib. XI. Heins. *Pastori ad b. possim certare* emendabat I. Advers. 2. et in N. Prop. p. 742. Franc. tentaverat *formare*. *Curvare* vera lect. est, quæ Marklando etiam se commendabat.' *Burm.* '*Pastor me* legebant Ayrm. et Lennep. Animadv. ad Coluth. I. 15. p. 71. atque hanc emend. verissimam in textu exhibui. Waard. legend. suspicabatur *Pastorem ad b. possum simulare.*' Kuin. Mihi vix dubium est, inquit Lachm. quin dederit Prop. *Pastor ego et b. p. rurale*. *Pastorem* et *curare* dant B. B.—40 *Serp.* in plerisque codd. et vetustis edd. nisi quod *Sep.* Neap. *Scirp.* Colot. *Serpiculis* Reg. Ask. Leid. 2. Voss. 1. 4. Dorv. 2.—41 *Est* nesciunt Guarn. Borr. Groning. Franc. 1. Broukh. 2. sed adest in 1. *Fama est* Burm. 2. vulgg. *Cura est* probabat Markl. *Fama* Leid. 1. Dorv. 1. *Vis est* Frut. v. c. *Quorum mihi* Franc. Hoc autem distichon et duo seqq. transponenda post vs. 18. censet Schrader. Emend. cap. 9. p. 167. *Cura* probant B. B. B. L.—42 *Tortorum* Groning.—

NOTÆ

38 *Institor*] Dicitur ille qui tractandæ negotiationi ab alio præponitur, ut negotio diligenter insistat, diciturque institor mercis, cauponæ, segetis, &c. Gallice dicitur, *un facteur, un courtier*.

42 *Hortorum dona*] Significat ab olitoribus, hortulanis, et ab agricolis cultum fuisse Vertumnum, ipsique fuisse libata hortorum agrorumque munera; unde et scribit in horto suo Columella: 'Mercibus et vernis dives Vertumnus abundat.'

Cœruleus cucumis, tumidoque cucurbita ventre,
  Me notat, et junco brassica vincta levi.
Nec flos ullus hiat pratis, quin ille decenter
  Impositus fronti langueat ante meæ.
At mihi, quod formas unus vertebar in omnes,
  Nomen ab eventu patria lingua dedit.
Et tu, Roma, meis tribuisti præmia Tuscis,
  Unde hodie vicus nomina Tuscus habet.
Tempore quo sociis venit Lucumonius armis,
  Atque Sabina feri contudit arma Tatî.

manibus laudata? Cœruleus cucumer, inflatoque ventre cucurbita, brassicaque tenui scirpo alligata, me designat. Neque ullus flos in *pratis aperitur, qui non prius apte capiti meo impositus marcescat. Mihi vero, quia in cunctas figuras mutabar, sermo patrius ab effectu nomen imposuit. Sed tu, o Roma, Tuscis meis præmia largita es, unde etiam nunc vicus Tuscus nomen retinet. Qua tempestate Lycomedius fœderatis armis* in auxilium *venit* Romulo, *ac vires Sabinas Tatii ferocis fregit; ego*

44 *Me necat* Burm. 2. An f. *Me vocat?* quærit Burm. *Mi nitet* conj. Lachm. *Juncta l.* Burm. 2. Dresd. et pr. edd. Heins. ad oram ed. Ald. conj. *et tunica b.*—45 *Recenter* Heins.—46 *Imposuit* Mentel.—47 Distichon hoc Guyeto suspectum fuisse notat Heins. *Aut m.* Venet. 1. ap. Barth. *Et m.* Vat. 1. 2. *Sic m.* ed. Annii Viterb. *Ac* Ayrm. *Vertebant* Leid. 2.—48 *P. longa* Ask. Certissimam putat Burm. Schraderi emendationem p. 169. *Nomen* vel *Nomina Vertumni p. Ab ev.* defendit Lachm.—49 *At* Ask. Leidd. Voss. 1. 3. Dorvv. Burmm. et pr. edd.—50 *Tuscus n. v.* Borr. Leid. 2. Voss. 1. 3. 4. Heinsian.—51 '*Veniet* in aliis edd. *Lycomedius* Reg. Vat. Posth. Dresd. edd. prisc. *Licomed.* Guarn. Venet. *Lycomed.* Franc. 2. quod nonnihil firmat Goropii emendat. *Lucumonius.*' Barth. *Lucumonius* edend. censet Burm. ut legend. monuit Schopp. Collect. cap. 18. et Turneb. Advers. XXVI. 35. idque Annii Viterb. auctoritate recepit editor Elect. Eton. Maj. *Lucumo pius*

NOTÆ

49 *Præmia Tuscis*] Sermonem convertit ad urbem Romam, cui gratulatur, quod olim Tuscos in sinum suum receperit, vicumque, in quo habitarent, largita sit.

50 *Unde vicus Tuscus*] Cum olim Lucumon, qui etiam Propertio dicitur Lycomedius, Tuscorum dux, seu rex, venisset in auxilium Romuli contra Tatium, Sabinorum regem, redactis in ordinem Sabinis, Romulus regionem locumque in urbe sua Tuscis attribuit, in quo habitarent, qui 'vicus Tuscus' dictus est, Tuscique tunc tertiam populi partem constituerunt, ut dictum est Eleg. superiori vs. 29. Sic sentiunt de vici Tusci nomine hoc in loco Propertius, et Varro Lib. IV. de L. L. Sed T. Livius Lib. II. et Dionys. Halicarn. Lib. V. rem aliter narrant. Scribunt enim post ictum cum Persena fœdus Etruscos in bello Aricino fusos ac fugatos Romam venisse, quibus liberaliter datus est locus ad habitandum inter Palatinum et Capitolinum colles, qui exinde dictus est 'vicus Tuscus.'

51 *Lucumonius*] De Lycomedio, qui et Lucumon, dictum est tum versu præcedenti, tum Elegia superiori vs. 29.

Vidi ego labentes acies, et tela caduca,
  Atque hostes turpi terga dedisse fugæ.
Sed facias, Divum sator, ut Romana per ævum
  Transeat ante meos turba togata pedes.
Sex superant versus; te, qui ad vadimonia curris,
  Non moror: hæc spatiis ultima meta meis.
Stipes acernus eram, properanti falce dolatus,
  Ante Numam grata pauper in urbe Deus.

conspexi acies inclinatas ac fugientes, armaque abjecta, hostesque infami fuga dilapsos. At vero tu *fac,* o *Deorum pater, ut frequens populus Romanus togatus semper ante pedes meos prætereat. Sex restant carmina; te, qui properas ad vadimonium, non detineo. Ista datur meta curriculis meis. Eram truncus acernus celeri falce obiter fabricatus, Divus inops ante Numam in jucunda civitate. Sed tibi,* o *Ma-*

Ayrm.—52 *Contudit* Palat. Dresd. Borr. Leidd. Voss. 1. Heinsian. Burm. 2. male, judice Burm. *Contulit a. Thraci* Reg. *Taci* Borr. Venet. ap. Barth. Aldd. *Tucii* Brix. *Tati* Colin.—53 *L. galeas* ad marg. ed. Ald. conjecerat Heins. Quod non probat Burm.—54 '*Totque* Franr. sed si quid corrigend. altera conjectura *Vidi h.* præferenda esset. *Atque h.* non dubito hic repetitum ex præced. pentam. *Fuga* Passerat.' *Burm.*—55 Broukh. cod. suo ascripserat *Sic facias. Ut tua Roma* Dorv. 2.—56 *Rogata* Dorvv.—58 In Burm. 1. *hei sp. Creta* Lips. v. Ant. Lect. 10. et Scaliger ex suo lib. Id habent Vat. Bon. Neap. Mentel. tres Voss. Burm. 2. Heinsii libb. nonnulli Brix. Vicent. Venet. 2. Rheg. Volsc. Cant. neque multum abludit Guarn. *Certe* Borr. Leid. 2. Heinsian. exhibens Broukh. tamen libentius sequitur Groning. in quo *meta:* quod et in Dresd. Venet. ap. Barth. Aldd. Pocchus suppeditat *cura;* Perreius ascripserat *cera.*—59 *Stipis acervus* mult. Mss. et edd. vetust.—60 *A. tamen g.* Mentel.—61 *Mamurri* Dresd. *Marmurii* Rheg.

NOTÆ

52 *Contudit arma Tati*] De Tatio, Sabinorum rege, qui cum Romulo bellum gessit, ac deinde fœdus iniit, dictum est fuse Elegia superiori, quam videsis.

56 *Turba togata*] Frequens populus Romanus, quem dixit Virg. 'Romanos rerum dominos, gentemque togatam.'

57 *Ad vadimonia curris*] Vadimonium est sponsio seu obligatio ad certum diem sistendi in judicio. Consuetudo namque erat, cum reus parum esset idoneus rebus inceptis, ut alterum pro se vadem daret; inde dictum est vadimonium, quod quidem turpe erat deserere, unde dicitur ille 'ad vadimonia currere,' ne scilicet causa cadat.

58 *Ultima meta*] Limes ac finis cujusque rei, diciturque per metaphoram a Circo sumtam, ubi currebatur ad metas.

59 *Stipes acernus eram*] Apud Romanos veteres erant Deorum simulacra vel lignea vel fictilia, ex quorum numero sine dubio fuit Vertumnus, qui ita de se loquitur, ut Priapus ille Horatianus: 'Olim truncus eram ficulnus.'

60 *Ante Numam*] Numa fuit primus Romanorum rex post Romulum: significat autem Vertumnus se Numæ temporibus ex ligneo factum fuisse æneum.

At tibi, Mamuri, formæ cœlator aënæ,
Tellus artifices ne terat Osca manus,
Qui me tam dociles potuisti fundere in usus.
Unum opus est; operi non datur unus honos.

muri, statuæ meæ æneæ fabricator, Osca terra ne premat manus doctas, qui me scivisti ad tam varios usus facilem fingere: unicum est opus, sed *ipsi multiplex honor tribuitur.*

Brix. *Mamurii* Venet. 2. *Mamuri* Vicent. Ber. Aldd. Junt. cett.—62 *Me t.* Burm. 2. *Me t. ossa* Reg. *Nec t. ossa* Dorv. 2. *Ossa* etiam Ask. *Ne premat* conj. Livin.—63 *Quod* Vat. 5. Dorv. 1. Burm. 2. *Docilis* pleriqne codd. et edd. priscæ. *Facilis* Voss. 3. *Findere* Dorv. 2. *Infundere* Mentel.—64 Markl. conj. *U. opus: ast o.* quod se amplecti ait Burm. *Datus* ed. Græv.

NOTÆ

61 *Mamuri*] Mamurius faber fuit ærarius celeberrimus, qui Vertumni simulacrum opere singulari ex ære finxit.

62 *Tellus Osca*] Significat Mamurium statuarium Oscos habuisse patriam, vel saltem apud Oscos fuisse sepultum. Osci porro fuerunt Campaniæ populi, apud quos erant figlinæ. Hi etiam Opsci dicti sunt ab oris fœditate, unde et 'Oscena' et 'Obscœna' verba, i. e. impudica, quia familiaris valde fuit Oscis libidinum spurcarum usus.

ELEGIA III.

EPISTOLA ARETHUSÆ AD LYCOTAM.

Hæc Arethusa suo mittit mandata Lycotæ,
Cum toties absis, si potes esse meus.

Epistolam hanc Arethusa tibi *Lycotæ suo mittit, si* tamen *meus esse vales,* quan-

Pro *Lycotam, Lycotem* Regg. Burm. 2. et alii, et priscæ edd. *Virum suum* addit Dresd. *Arethusa Lycothe S. Pl.* Heinsian. *Arethusæ ad Lycotem* Borr.—1 *Hæc* deest in Voss. 1. 4. Dresd. Venet. 2. Rheg. Brix. Volsc. *Hac* Ald. 2. *Meo mitto* Guy. qui et *Lycortæ* vel *Lycopæ* suspicatur.—2 *Ne t.* in Heinsian. et marg. Voss. 3. *Qui t.* Guy. An *f.* legend. quærit Burm. *Qui p.*—3 *Si q.*

NOTÆ

1 *Hæc Arethusa suo*] Epistolam hanc ad Lycotam conjugem scribit uxor Arethusa de ipsius absentia conquerens, hortaturque ut tandem confecto bello Parthico domum propere redire velit.

Lycotæ] Quisnam sub Lycotæ persona lateat, quænam vero puella Arethusæ nomine intelligatur, penitus incertum nobis est.

Siqua tamen tibi lecturo pars oblita deerit,
  Hæc erit e lacrymis facta litura meis.
Aut siqua incerto fallet te litera tractu,
  Signa meæ dextræ jam morientis erunt.
Te modo viderunt iteratos Bactra per ortus,
  Te modo munito Sericus hostis equo;
Hybernique Getæ, pictoque Britannia curru,
  Ustus et Eoo decolor Indus equo.

doquidem abes tamdiu. Si vero tibi legere volenti aliqua verba deleta deficient, ista litura erit a fletibus meis facta. Vel si aliqua litera errante ductu effugiet te, indicia tibi *nunc deficientis meæ manus erunt. Te jam conspexerunt Bactra per Orientem iterum peragratum, te jam* quoque *Sericus hostis equo bene tecto* spectavit, te*que* etiam *Getæ gelidi* viderunt, *ac Britannia pictis essedis, ac Indus fuscus ab*

notæ Guy. *Oblitura* Leid. et Voss. 1. Heins. conj. *fors o. deerunt.*—4 *H. est* Ask. *A. l.* placebat Passerat.—5 *Ac* Burm. 2. *At* in aliis edd. monet Burmannus, sed *aut* dant B. B. B. L. *Et* Dresd. Heins. malebat *ductu:* quod probat Burm.—6 *Erant* Posth. Palat.—7 *Blactra* Brix.—8 '*Tu m. munitus* Guarn. *Munitus* Dresd. Palat. 1. C. Com. *Beticus* Scaligeri nusquam comparet: neque *Persicus* aut *Parthicus* Dousæ F. *Hericus* Palat. C. Com. Reg. Brix. inde ortum *euricus* Posth. ex quo nonnemo *Duricus* emendavit, et *herricus* Dresd. *Hernicus* Palat. 2. et Ed. pr. *Henricus* Venet. *Sericus* probat Guy. assentiente Broukh.' *Barth.* '*Naricus* est in Perr. v. c. Vat. 1. 2. *Noricus* in aliis. *Herricus* Mentel. Reg. *Tu m. munitus hericus* Borr. Neap. Ask. Harl. Leid. 2. tres Voss. Dorv. 2. et meus 1. cum priscis edd. In meo 2. *munitus hernicus. Sericus* ex Beroaldi emendatione receptum est. Neque placet *Ibericus*, ut in marg. ed. Scal. conj. manus erudita. *Rhæticus* legend. censebat Tristanus T. I. Comment. p. 474. Hanc conj. adjuvat Ask. in quo *Ræricus:* et illi in quibus *Hericus,*' Burm.—9 *Pictaque B. carne* conjecerat Cann. *Picto B. vultu* malebat Schrader. Emend. IX. p. 170.—10 '*Discolor* vulgg. cum Dresd. *Decolor* ex emendat. Passerat. dicitur de colore deperdito. *Eoa . . . aqua* Brix. Venet. Aldd. cett. improbante Broukh.' *Barth.* 'Grut. Suspic. inedit. XVI. 10. scribit se *Eoo equo* aliquando substituisse: sed postea id repudiasse. Broukh. cum Passerat. *Eois equis* vel *Eoo equo* præfert: et sic Heins. Not. Prop. p. 743. Lect. *decolor*, quam Broukh.

NOTÆ

7 *Bactra*] Civitas fuit Bactrianæ regionis primaria, de qua dictum est affatim III. 1. 16.

Iteratos per ortus] Per Orientis populos iterum perlustratos ac peragratos.

8 *Sericus hostis*] Seres Indiæ populi designantur, quorum regio Serica nunc *Cathay* dici perhibetur.

9 *Hybernique Getæ*] Scythiæ populi sunt Getæ, qui ad Pontum Euxinum, Orientem versus, et ad Tanaim fluvium provincias vergentes incolunt. 'Hyberni' dicuntur, quod eorum regio perpetuo fere gelu rigescat, utpote quæ ad Boream maxime vergit.

Pictoque Britannia curru] De pictis essedis seu curribus Britannorum populorum diximus II. 1. 76. 'Esseda cœlatis siste Britanna jugis.'

10 *Eoo* [*Eoa*] *decolor Indus equo* [*aqua*] Indi populi sunt Asiæ ad extremum Orientem et Oceanum Eoum positi, qui dicuntur aqua decolorari

Hæcne marita fides? hæ pactæ sunt mihi noctes,
Cum rudis urgenti brachia victa dedi?
Quæ mihi deductæ fax omen prætulit, illa
Traxit ab everso lumina nigra rogo.
Et Stygio sum sparsa lacu; nec recta capillis
Vitta data est: nupsi non comitante Deo.

equis Eois tostus. Itane est fides conjugalis, ac noctes mihi promissæ, quando nuptiarum expers et imperita victas tibi instanti manus dedi? Illa tæda, quæ mihi nubenti ominis gratia præluxit, atros ignes e dejecto busto concepit; egoque *sum perfusa Stygia palude, neque recta vitta crinibus* meis *innexa est; nupsi sine Deo*

recte tuetur, firmat Ov. A. A. III. 130.' *Burm.*—11 ' *Et p.* Brix. *Et pacatæ m. n.* Bon. Palat. C. Com. *Et pacte ne m. n.* Guarn. *Paccate m.* Dresd. *H. p. num m.* volebat Heins. Advers. p. 10. cum in uno vet. cod. exhiberetur *hæ num p. m. n.* vel *ubi p. jam mihi noctes?* vel *ubi p. heu jam m. n.* multo etiam deterius.' *Barth.* ' *Hæ num p. m. n.* Perr. v. c. Colot. Vat. 2. *Et pacatæ m. n.* Mentel. Reg. Colb. Borr. Heinsian. Corrupte in Neap. *et parce avia m. n.* In Leid. 1. Voss. 4. Dorv. 2. *et paccatæ. Et paratæ* superscr. in Leid. *Et peccatæ* Ask. *Et hæc sunt pactæ m. n.* Dorv. 1. *Et pactæ s. m. n.* Reg. 2. *Et pactæ jam* Voss. 1. ut correxerat Markl. *Hæ sunt p.* Leid. 2. Voss. 3. et meus 2. *Et pactæ sunt* in primis et aliis vetustioribus edd. *Pactæ heu ubi nunc m. n.* conj. Heins. ad Ov. Ep. IV. 150.' *Burm.* ' *Hæ p. s. m. n.* Ita hæc a Beroaldo, et ante eum Vicent. et Volsc. qui tamen a. 1488. dedit *et pactæ sunt. Hæ* verum videtur, pro quo *et* in script. omn. *Sunt* nullus bonus liber habet, nec placet. In Neap. *et parce avia noctes: non avia mihi n.* ne Heinsio ad Ov. Ep. IV. 150. aut Burmanno ad h. l. fidem habeas. Aut cum Heins. lege *Hæ pactæ num m. n.* quod scripturæ Guarnerianæ proximum est: aut mecum *Hæ pactæ a te m. n.*' Lachm.—12 *Ingenti* Voss. 1. 4. C. Com. Guarn. *B. nuda* Ask. Leid. 2. et in marg. Voss. 3.—13 *Deducti f. o. pertulit* Dorv. 2. *Protulit* Voss. 1. Livin. legebat *fax lumen.*—14 *Averso* Exc. Scal. *Adverso* Groning. *Arsuro* Heins.—15 *E stygio* Guy.—17 *Mea maxima* Franc. 2. *Mea p. anxia*

NOTÆ

et infuscari, quia, ut scribit Strabo Lib. XII. nonnulli putaverunt, quod crispi nigrique coloris sint Æthiopes, Indi, aliique populi, illud vi ac virtute aquarum illarum regionum fieri. Alii porro legunt, *Eois equis*, Solisque vel Auroræ volunt significari currum, cujus calore perusti Indi decolorantur: ut ait etiam Tibull. II. 3. ' Illi sint comites fusci, quos India torret, Solis et admotis inficit ignis equis.' Ipse etiam Propert. III. 13. ' Felix Eois lex funeris una maritis, Quos Aurora suis rubra colorat equis.'

13 *Deductæ fax omen prætulit*] Omnis causa facem puellæ nubenti præferre solebant veteres, ut dictum est ad illud Catulli ex epithalamio Manlii Carm. LXI. ' Pineam quate tædam.' Illudque erat nuptialis ritus solenne, ut nova nupta domum mariti duceretur a duobus pueris, qui matrimi et patrimi dicebantur, tertio facem nuptialem præferente.

15 *Stygio sparsa lacu*] In sacris conjugalibus ignis et aqua adhibebantur, hisque nuptiarum fœdera sanciebantur, ut mulier aquam atque ignem cum viro communicaret, quia nimirum hæ duæ res humanam vitam maxime continent; unde aqua et igni interdici solet damnatis, qui his uti non merentur, ut scribit Festus. Tria porro nuptiarum infelicium omina ponit.

Omnibus, heu! portis pendent mea noxia vota:
  Texitur hæc castris quarta lacerna tuis.
Occidat, immerita qui carpsit ab arbore vallum,
  Et struxit querulas rauca per ossa tubas:
Dignior obliquo, funem qui torqueat, Ocno,
  Æternusque tuam pascat, aselle, famem.

comite. Eheu! omnibus in *portis mea votiva dona obnoxia suspenduntur; fit* a *me ista quarta lacerna in usum militiæ tuæ. Ille pereat, qui ex arbore innocenti vallum decerpsit, ossibusque* ad invicem junctis *mœstas tubas construxit.* Ille fuit *Ocno retrogradiente dignior qui funem texeret*, quique *assidue semper tuam famem*

Guy. namque Passeratius testatur *anxia* esse in quibusdam libb. *Obnoxia* placet Heins. *Pendebant* Exc. Scal.—18 *Texerit* Voss. 1. male, judice Burm.—19 '*Occidet* male Voss. 4. Pro *im.* corrupte in Dorv. 1. *minerva:* in qua tamen scriptura aliquid f. latet, *inventa* vel sim. *Immerita* tamen non solicito. *Carpserit arb.* Palat. Dorv. 2. Ask. *Quæ carpsit* Neap. *In arbore* alii. Heins. conjecit *sepsit*, vel *rasit.*' Burm.—20 *Ora* Vat. 5. Dorv. 2. *Æra* Perr. v. c. Colot. Vat. 1. 2. ut in aliis codd. legi etiam testatur Passerat. Id vult etiam Heins. *Ossa* defendit Vulp.—21 '*Segnior* Heinsian. *Oblito* Frut. [et Schopp. Verisimil. I. 14.] *Torquet æno* Mentel. Groning. Palat. Heinsian. Voss. 3. Ask. *Œno* C. Com. Borr. Leid. 2. Voss. 1. 4. cum meo 2. quod confirmat *Ocno* legend. ut recte quidem notat Gebh. sed nescio quam Colinæi editionem memorat, in qua legatur, *D. obliquum f. q. t. æno:* nam in illa, qua utor, Paris. ap. Colin. excusa an. 1529. cui variantes lect. de Heinsiano exemplari

NOTÆ

Primum, cum ait: 'Stygio sum sparsa lacu,' h. e. in aqua tristi ac infausta Stygis, Inferorum paludis. Secundum, cum dicit: 'Nec recta capillis Vitta data est.' Novæ enim nuptæ rectas vittas gestare, sicut et matronæ, solebant; virginum enim vittæ non rectæ, sed quodammodo jacentes residentesque erant. Tertium denique, cum ait: 'Nupsi non comitante Deo,' h. e. Hymenæo non deducente; nuptiarum enim præses Deus habebatur Hymenæus; adeo ut nuptiis, quæ infelices et infaustæ essent, putaretur non affuisse.

17 *Portis pendent mea vota*] In portis nempe templorum vel urbium; his enim utrisque donaria sua ac votivas tabellas solebant veteres appendere. De portis templorum testis Tibull. I. 1. 'Flava Ceres, tibi sit nostro de rure corona Spicea, quæ templi pendeat ante fores.' De portis autem urbium, in quibus erant Deorum simulacra, quæ prætereuntes salutabant, quibus etiam vota offerebant, testis etiam Propertius hac ipsa Eleg. vs. 71. 'Armaque cum tulero portæ votiva Capenæ.'

18 *Quarta lacerna*] Dicit se jam tres lacernas militares conjugi suo misisse, et quartam se texere, quæ etiam ipsa transmittatur ad usum militiæ et castrorum. Illud quidem in consuetudine et usu fuisse positum apud matronas Romanas, ut ad viros suos militantes lacernas mitterent, testatur Ovid. Fast. II. 'Mittenda est domino (nunc, nunc properate, puellæ) Quamprimum nostra facta lacerna manu.'

20 *Rauca per ossa tubas*] Significat Propertius olim osseas fuisse tubas, quæ postea ex ære constructæ sunt.

21 *Obliquo, funem qui torqueat, Ocno*] Ocnus vir quidam apud Inferos, mul-

Dic mihi, num teneros urit lorica lacertos?
  Num gravis imbelles atterit hasta manus?
Hæc noceant potius, quam dentibus ulla puella
  Det mihi plorandas per tua colla notas.
Diceris et macie vultum tenuasse: sed opto
  E desiderio sit color ille meo.
At mihi cum noctes induxit Vesper amaras,
  Siqua relicta jacent, osculor arma tua.

satiet, o asine. Verum *fatere mihi, nonne thorax molles humeros* tibi *cruciat? Nonne dura hasta manus* tuas *militiæ ac labori non assuetas lædit?* Utinam *ista potius* te *lædant, quam ulla fœmina morsibus* suis *collo tuo notas inurat mihi lugendas. Diceris quoque faciem macie deformasse; sed opto,* ut *pallor ille e mei desiderio* tibi *proveniat. Ubi vero Vesper tristes mihi noctes reduxit, deosculor quæcumque arma tua* mihi *relicta supersunt. Tunc* etiam *conqueror in omni cubili*

ascripsit Broukh. et in ed. 1534. editum inveni *obliquo* .. *ocno.* *Orno* [Bon.] Regg. Colb. et pr. edd.' *Burm.* *Ocno* Dresd. Aldd. cett. Quod autem Santenius in Præf. in solo Vict. haberi censet, *Ocno*, id ego in Neap. dum ille in hac urbe fuit, omnibus literis clare perscriptum legi.' *Lachm.*—22 *Poscat* Brix. —23 *Dum t.* Guarn. Dresd. Regg. Colb. Mentel. Borr. Heinsian. Voss. 1. 4. Burm. 2. et pr. edd. *Cum* Ask.—25 *Potius noceant* Reg. *Nec n.* et *puellæ* Voss. 1.—27 ' *Macre* Exc. Scal. *Collum t.* [Guarn.] Mentel. tres Voss. Heinsian. in quo vitiose etiam *collum tenuisse*, ut et in Borr. *Dicitur et macies* Heins.' *Burm.*—28 ' *Iste* Dresd. cum vulgg. Brix. Venet. Aldd. cett. *Ille* reposuit Broukh. e Vat. Mihi *iste* convenientius videtur. Idem mallet *mei* pro *meo*.' Barth. *Ut d.* Mentel. Voss. 4. *Et d.* Leid. 2. Voss. 1. Dorv. 2. Burm. 1. et edd. priscæ. *Iste* Leid. 1. Dorv. *Ipse* Dorv. 2. Ask.—29 *Et mihi nunc n.* Leid. 1. *Reduxit* Palat. quod non ineptum, judice Barth. Vulg.

NOTÆ

tis insignium artificum picturis celebratus, quem effinxerunt funem perpetuo torquentem, astante asella, quæ quantum ille torsisset, statim perroderet. Inde ductum est proverbium, 'Ocnus funiculum torquet:' quod in eos maxime dicitur, qui cum nihil laboris neque industriæ ad augendam rem familiarem prætermittant, nihilo tamen redduntur ditiores, quod nimirum domi habeant asellam, uxorem scilicet prodigam, quæ quicquid misellus multis sudoribus corrasit, strenue profundit. Fabulam illam refert Pausanias in Phocicis. Dicitur etiam fuisse quondam pictus a Socrate Ocnus piger spartum torquens, quod asellus arroderet. Dicitur 'obliquus' a positu corporis, qui enim funes torquent seu restiones, obliquo gradu seu retro gradiuntur.

26 *Plorandas per tua colla notas*] Malo, inquit, ut lorica hastaque tua te lædant, quam pellex ulla collo tuo dentium notas infigat, ut illic nequitiæ et libidinis signum appareat: ut infra Eleg. v. 'Semper habe morsus circa tua colla recentes.'

29 *Vesper*] Dicitur stella Veneris quæ et Hesperus, Vesperus, et Vespergo nuncupatur; quæ ubi noctem præcedit, Noctifer ac Vesper vocatur, ubi vero diem ducit, Lucifer dicitur.

Tum queror, in toto non sidere pallia lecto,
  Lucis et auctores non dare carmen aves.
Noctibus hybernis castrensia pensa laboro,
  Et Tyria in radios vellera lecta suos.
Et disco, qua parte fluat vincendus Araxes,
  Quot sine aqua Parthus millia currat eques.
Cogor et e tabula pictos ediscere mundos,
  Qualis et hæc docti sit positura Dei;

stragula non consistere, volucresque diei nuntios non cantare. Per noctes hyemales cum cura stamina deduco, opusque texo ad castrorum usum, lanamque laboro *Tyriam per radios suos distinctam. Edisco etiam qua mundi regione domandus Araxes delabatur, quot* passuum *millia Parthus equus sine aqua percurrat. Edisco quoque e tabulis depictis mundi partes, et cujusmodi sit illa Dei sapientis positio: quæ-*

tuetur Broukh. *Inclusit* Dresd. *Indixit* Ask.—31 *Tunc* Dresd. *Scindere* Burm. 2.—32 Grut. in libris Suspicionum ineditis xv. 14. conj. *Auroræ* vel *auctori*. Neutram emend. se probare inquit Burm.—34 '*Gladios* v. *secta* est lect. libb. etiam Dresd. Brix. Venet. Aldd. et Cant. *Clavos* .. *tuos* legit Passerat. et priorem vocem sane habent libri nonnulli. *Radios* emendavit Lips. (qui *gradios* invenit in Farnes.) accedente Broukh. qui *secta* in *ducta* mutavit. Heins. legi jubet *texta*: vult deinde more suo *neta*: vel *pexa*: vel *calathos* v. *lecta*.' Barth. *Radios* Perr. v. c. Colot. Vat. 1. 2. et probat Burm. *Secta* Leid. 2. tres Voss. Dorvv. Burmm. *Texta* in aliis Mss. ut ex codd. Vossii, in quibus etiam *radios*, legend. ascripserat Oud. *Lecta* præferend. censet Burm. *Secta* retinet Lachm. *Ducta* dant B. B. B.—35 'Distichon hoc sequenti postponit Vulp. cum Broukh. (licet prior nihil mutarit in sua edit.) citra necessitatem.' *Barth*. Id etiam facit Burm.—36 *Partus* .. *equus* Venet. ap. Barth. *Equus* in omn. fere codd. et edd. priscis, et sic legebat Livin. et in marg. libri sui Markl. Parum differre putat Burm. an *equus*, vel cum Scaligero *eques* hic legatur. *Equus*, meo judicio hic quidem, revocetur, inquit Lachm. qui addit: Burmannus quod Livineium *equus* legere narrat, error est: is enim ipse jam ante Scaligerum *eques* scribend. divinavit.—37 *Conor* conj. Broukh. *Cognoscere* pro *ediscere* in aliis legi testatur L. Lat. p. 63.—38 *Ponitura* Voss. 1. An f. scripserit Poëta, quærit Burm. *Q. et hæc doctis sit p. viris:* vel Q. *et hinc longis sit p. viis.* Dein addit, Si quis *posituræ* vocem in Poëta Elegiaco minus ferat, quam in Lucretio, liberiore conjectura divinare ei liceret *Quave sit hinc longis puppis*

NOTÆ

32 *Lucis auctores aves*] Dicuntur galli gallinacei, quod diem prænuntient. Ovid. Fast. II. 'Jam dederat cantum lucis prænuntius ales.'

34 *Tyria in radios vellera lecta*] Vellera Tyria, seu Tyrii coloris, habebantur pretiosissima; apud Tyrum enim, Phœniciæ urbem, optima purpura tingebatur. Radii porro textorii sunt, quibus stamina subtegminibus inseruntur ac contexuntur. Unde et Virg. Æn. IX. 'Excussi manibus radii, revolutaque pensa.'

35 *Araxes*] Armeniæ fluvius, qui in mare Caspium illabitur. De hoc jam dictum est sæpius. Hic porro pro populis Armeniis sumitur. Sæpius enim populi per fluvios designantur; ut III. 4. 'Tigris et Euphrates sub tua jura fluent.'

Quæ tellus sit lenta gelu, quæ putris ab æstu;
  Ventus in Italiam qui bene vela ferat.
Assidet una soror; curis et pallida nutrix
  Dejerat hyberni temporis esse moras.
Felix Hippolyte nuda tulit arma papilla,
  Et texit galea barbara molle caput.
Romanis utinam patuissent castra puellis;
  Essem militiæ sarcina fida tuæ;
Nec me tardarent Scythiæ juga, cum pater altas
  Africus in glaciem frigore nectit aquas.

nam regio gelu sit iners, quænam vero sit nimio *calore putrida, quisnamque ventus in Italiam commode naves impellat et adducat. Adest sola soror dolori* meo, *et anxia nutrix perjurat hyemalem tempestatem impedire* reditum tuum. O *beata Hippolyte barbarica*, quæ *nudato sinu militavit, tenerumque verticem galea protexit. Utinam Romanis fœminis castra patescerent, ac libera essent*; ego *forem sarcina* comesque *fidelis militiæ tuæ; neque me Scythiæ montes detinerent aut morarentur, qua tempestate pater Africus profundas aquas in glaciem gelu constringit. Omnis amor vehemens*

itura viis.—41 *Adsit* Voss. 1. *Assidat* Mentel. *Pallida* communis codd. et vetust. edd. lectio est: quod prætulit Burm. *Callida* est ex emendat. Heins. Broukhusio, Vulp. et Gött. editori, probata et recepta. Recte, inquit Kuin. repudiavit Heinsii et Broukh. scripturam Struchtmeyer. Animadvers. Crit. II. 12. p. 164. *Callida* dat Barth.—42 *Pejerat* in omn. fere codd. et edd. priscis. Heins. ad marg. ed. Ald. ascripserat *Dejerat*; et sic Livin. quod amplexus est Broukh. *Pejerat* Lachm. Nostram lect. habent B. B. B.—43 *Mamilla* Guarn. Borr. Heinsian.—44 *Barbare mole* Leid. Gebhardus etiam, cum *mole* in Palatt. reperisset, amplexus est: et legend. censet *galeæ mole*.—46 *Issem* suspicatur Heins.—47. 48 '*C. parat* Groning. *Patere* Voss. 1. Heins. conj. *patrio*: vult etiam *c. parat* . . *nectere*. *Atlas* Perr. v. c. Vat. 5. et pr. edd. *Niger Atlas* Vat. 2. Janus Helvetius olim mecum communicaverat emendand. sibi videri *p. altas Thrascias*. Non incommode substitui posse videtur *parat altas Arcticus in g. nectere ventus a.* Eld. conj. *Pater alta Adstrictas, glacie.*' Burm. *Aphricus* Brix. Venet. ap. Barth. i. e. 1500. *Arctoo*

NOTÆ

43 *Felix Hippolyte*] Felices dicit Amazonas, quarum regina fuit Hippolyte, quod ipsis arma tractare liceret. Dicitur autem Hippolyten in bello captam Theseus uxorem duxisse, ex eaque Hippolytum filium suscepisse.

44 *Barbara*] Dicitur Hippolyte, tum quia Scytharum gentes, inter quas Amazones numerabantur, barbaræ maxime erant; tum quia Romanis omnes exteri peregrinique populi dicebantur 'barbari.'

48 *Africus*] Africus dicitur pater, quia Deus; Dii enim venti credebantur, Diique patres veteribus dicebantur, ut 'Mars pater' III. 4. Africus autem ventus est inter Austrum et Zephyrum positus; ita dictus quod ab Africa flare videatur; sed ille non est frigidus, glaciem gelu constringit; unde videtur pro Aquilone positus.

Omnis amor magnus; deserta in conjuge major.
  Hanc Venus, ut vivat, ventilat ipsa facem.
Nam mihi quo, Pœnis si purpura fulgeat ostris,
  Crystallusque meas ornet aquosa manus?
Omnia surda tacent: lanis assueta colendis
  Vix aperit clausos una puella lares.
Glaucidos et catulæ vox est mihi grata querentis:
  Illa tui partem vindicat una tori.

est, *at in legitimo conjuge* est *adhuc vehementior. Istam facem semper vento Venus agitat, ut ardeat. Mihi namque cuncta surda silent, ut tibi ostro puniceo splendeat purpura, ac crystallus pellucens tibi manus exornet; et vix Kalendis, quæ raro adveniunt, ancilla ad id usu edocta domum occlusam reserat. Mihi quoque catellæ Graucidos conquerentis vox est jucunda: illa sola sibi assumit partem lecti tui. Flo-*

pro *Africus* scribit Lachm.—49 *Sed in apto* quidam libb. ap. Passerat. Hinc *sed in apta c.* deduxit Schrader. Emend. IX. p. 171. 'Burmannus, facile, ut ait, transpositis literis ex *sed aperto*, deletis tantum, quasi hæc nulla licentia esset, *a* et *p*, veram sibi versus restitutionem elicere visus est, scribendo *deserta*. Nobis, si ita grassari licet, nihil usquam in ullo scriptore difficile erit. Ceterum Passerat. e suis libb. enotat *sed in apto*, non *apto in*, ut Burmannus narrat, idemque olim Venetiis et Brixiæ expressum editor Cant. testatur. Non magna, ni fallor, illorum codd. auctoritas est, et vix tanta, ut suspicionem moveat olim fuisse *sed rapto*.' Lachm. *Aperto* dant B. B. B. L. —51 *Quo pejus* Dresd. Post *quo* signum distinctionis minus posuit Heins. recte, judice Barth. qui censet Heinsium restituisse *si* verissime. Tentabat etiam Heins. *Pœni si p. f. ostri*, Advers. p. 11. *Te p.* Neap. quod margini cod. sui etiam ascripserat Markl.—52 *C. tuas* in omn. antea codd. et ineditis. *Suas* recte, judice Barth. recepit cum Vulp. et Gött. Broukhusius. *Meas* ex Neap. præfert Burm. *Chrysolithusque* vel *Beryllusque suas* Heins. I. Advers. 2. '*Meas* revocavi, quoniam cod. auctoritate nititur, quanquam non nego *suas manus* elegantius esse.' *Kuin.* *Meas* probat Lachm. *Suas* dant B. B. B.—53 'Omnes libb. *rarisque*, quod non erat valde necessarium. *Kalendis* Groning. et noster 2. proba et prisca scriptura.' *Broukh.* Lect. vulg. tuentur Broukh. Vulp. Gött. '*Omina* Voss. 4. *Limina s. tacent* vel *Janua s. tacet* conj. Heins. *Rarisque* in singulis fere codd. vett. ap. me Excerptis et edd. vetustis. *Rarisque assuta* Ask. Markl. conj. *Martis kalendis.* Heins. optime emendavit *radiis assueta colisque*. Advers. I. 2. Not. Prop. p. 744. qui antea *arvis colendis* tentaverat. Grævius, male in T. IV. Syll. Ep. p. 227. *agris colendis.* Struchtmeyer. Animad. p. 166. Wakker. Amœnit. Lit. p. 103. et Schrader. Emend. p. 172. emendabant *lanisque a. colendis.* Tamen *colisque* præferend. videtur ob Virg. Æn. VII. 805. quem l. si ante oculos habuerit Prop. *calathis a. colisque* non male etiam hic legi posse videtur.' *Burm.* *Lanisque colendis* anteponit Kuin. *Raris a. kalendis* dant B. B. B. *Rarisque* Lachm.—55 'Optime sic emendavit Scaliger pro lect. codd. et edd.

NOTÆ

51 *Pœnis fulgeat ostris*] Africana purpura designatur, vel color puniceus, qui forsan non diversus a purpura Pœna; sicut enim Tyrus, ita etiam Africa, purpureis vestibus olim commendabatur. Horat. Od. II. 16. 'Te bis Afro Murice tinctæ Vestiunt lanæ.'

52 *Crystallusque*] Ut vas crystallinum, cum bibes, manum tuam exornet.

55 *Glaucidos et catulæ*] Glaucis

Flore sacella tego, verbenis compita velo,
Et crepat ad veteres herba Sabina focos.
Sive in finitimo gemuit stans noctua tigno,
Seu voluit tangi parca lucerna mero;
Illa dies hornis cædem denuntiat agnis;
Succinctique calent ad nova lucra popæ.

ribus ac corollis orno delubra, et compita verbenis sterno, gramenque Sabinum ad priscos lares crepitat. Seu in vicino tigno noctua sedens querulas edidit voces, sive cupivit exigua lucerna vino perfundi; ista dies agnis hujus anni mortem indicit, accinctique Popæ ad nova sacrificia fervent. Oro, ne tam magno pretio stet expugna-

veterum *Graucides. Grancidos* Mentel. Dresd. meus 2. Frustra tentavit Heins. *Raucidula*, licet in Reg. 2. *Raucides. Querenti* Dorv. 2.' *Burm.*—56 *Mihi* Palat. 2. *Sibi* Passerat. *Vendicat* Brix. Aldd. Colin. cett. *Toro* Dresd. Guarn. Mentel. Exc. Scal. Neap. Groning. Voss. Dorv. 2. Burmm. Palat. et pr. edd. Gebh. conj. *tuum p. s. u. toro:* quod se non probare notat Burm.—57 *Vello* Dresd.—59 '*Furtivo* Regg. meus 2. et pr. edd. *Finitimo* Vat. 2. et ceteri codd. atque ed. Ber. Gryph. Rouill. et Canteri. Vitiose *gemuit* Voss. 1. Borr. Dorvv. Pro *tigno* conjeceram *tecto*.' Burm. 'Vere, ut opinor, Burm. corrigit, *tecto*, probante Huschkio in Ep. Crit. ad Sant. p. 83.' *Lachm.*—60 Pro *voluit* Scaliger ad Cirin 344. affert *metuit*, quod in aliis legi, vel *doluit*, notat Passerat. sed utrumque rejicit, et *voluit* tuetur. *Doluit* Guy. 'Heins. *metuit* in ed. Scaligeri esse ait, in meis nihil tale.' *Barth.* *Tingi* Perr. v. c. Colot. tres Vat. Voss. 3. quod se præferre ait Burm. licet alterum probasse videatur Scriverius ad Martial. p. 149. et Heins. ad Ov. F. IV. 740. Dous. P. editioni Canteri ascripserat *tingi*, quod malebant Beroald. et Passerat. Nostram lect. habent B. B. B. L.—61 *H. eadem* Groning. Dorv. 2. *Ornis* Leidd. Voss. Pro *agnis* vitiose etiam *ignis*, judice Burm. Voss. 4.—62 *Succinctæque* Guarn. '*Succinctæque* plerique Mss. et edd. vetustæ. *Cadent* Leidd. Voss. 3. *Cadunt* Dorv. 2. Optime *ad n. sacra* Perr. v. c. Colot. Vat. 1. 2. et sic affert Turneb. XVIII. Advers. 5. et Hermol. Barbarus Castig. ad Plin. VII. 12. p. 434. *Succinctæque c. ad tua* Ask. Unde legi posset *S. c. ad tua sacra p.* Hoc distichon melius præcedenti anteponeretur. Sed miror nemini Interpretum suboluisse, duos hos vss. sede sua motos, et infra collocandos esse post vs. 70.' *Burm.* 'Sic primus, quod sciam, Muretus. Priores cum libb. script. *Succinctæque*. Frustra vero Burm. hos vss. alio transponere gestit.' *Lachm.*

NOTÆ

nomen est catellæ, cujus ejulantis ac querentis gannitus erat Arethusæ jucundus. Fuerunt enim et olim, quemadmodum etiamnum sunt, catulæ fœminis in deliciis. Martial. XIV. 198. 'Delicias parvæ si vis audire catellæ, Narranti brevis est pagina tota mihi.'

58 *Herba Sabina*] Sabinis olim herbis veteres ad suffimen utebantur loco thuris. Ovid. Fast. I. 'Ara dabat fumos, herbis contenta Sabinis, Et non exiguo laurus adusta foco.'

59 *Noctua*] Avis infausta et nocturna, de qua dictum est II. 20.

60 *Parca lucerna*] Lucerna erat olim in usu his qui parsimoniæ studebant, ac sobrii et frugi erant. A lucerna quoque sæpe omina captabant veteres, ideoque mero tingebatur, quo flamma languens excitaretur: infra Eleg. 9. 'Sed neque suppletis constabat flamma lucernis.'

62 *Popæ*] Erant sacrificiorum ministri, qui victimas ad aras alligabant, ac jugulabant.

Ne, precor, ascensis tanti sit gloria Bactris,
  Raptave odorato carbasa lina duci,
Plumbea cum tortæ sparguntur pondera fundæ,
  Subdolus et versis increpat arcus equis.
Sed (tua sic, domitis Parthæ telluris alumnis,
  Pura triumphantes hasta sequatur equos,)
Incorrupta mei conserva fœdera lecti.
  Hac ego te sola lege redisse velim.
Armaque cum tulero portæ votiva Capenæ,
  Subscribam: Salvo grata puella viro.

tis Bactris gloria, vel linea vela odorato duci erepta, dum plumbeæ glandes rotatæ fundæ vibrantur, arcusque astutus insonat conversis in fugam *equis. Ita vero, Parthicæ terræ devictis incolis, tua pura hasta triumphantes equos sequatur. Fidem conjugii mei integram serva. Ista sola conditione optem te reducem. Et cum arma votiva ad portam Capenam obtulero, subter inscribam, Ob salvum et incolumem maritum uxor beneficii memor.*

Lucra præferend. censet Knin. et dant B. B. B. L.—63 '*Nec* Dorvv. *Te* Borr. *Ascensis* recte a VV. DD. restitutum est pro lect. quæ in aliis obtinebat codd. et in Palatt. inventa fuit a Gebhardo, quanquam non ineptam vocat, *accensis:* sic Dorv. 2. sed alterum optime tuetur Broukh. *Gloria Parthis* perperam Ask.' *Burm.*—64 Laudo, inquit Burm. conjecturam Heinsii ingeniosissimam *R. Oronteo:* et mox addit: *Orondatæ* etiam oræ ed. Ald. alleverat, sed prius præfero.—65. 66 *Sparguntur* et *increpet* Voss. 4. *Verbera* Reg.—67 '*Sed tua sit* Brix. Aldd. cett. Alii libb. *sic.* Hoc distichon laborat a prava distinctione in editt. plerisque, quæ ita constituenda est, ut in nostra, Gött. Vulp. et Broukhusiana factum est. Pro *sic dom.* malebat Heins. *subdom.* sine signis parentheseos. Dresd. *parthæ.* *Parte* Ald. 2.' *Barth.* '*Sed tua fit* Colin. vitio typi. *Sit dom.* meus 2. *Sed tua sic* correxit Beroaldus, nulla tamen interpunctione addita. *Sic tua, sic dom.* Heins. ad oram ed. Ald. *Sed tua subdom.* Guy. *Et tua sic dominis per te* pro *Parthæ* in meo 1. et Borr.' *Burm.*—68 *Triumphantis* Mentel. Exc. Scal. Borr. Ask. Voss. Burmm. et pr. edd.—71 *Tuleris* conj. Heins.—72 Mallet Burm. *salve salva p.*

NOTÆ

63 *Bactris*] De Bactris dictum est mox vs. 7.

71 *Portæ Capenæ*] Voverat Arethusa se Diis appensuram arma viri sui e bello reducis. Dicit autem sese votum persoluturam portæ Capenæ, tum quia, ut dictum est, in portis urbium erant Deorum simulacra, quibus vota sua tabulasque solebant appendere, tum quia Martis Dei bellorum præsidis ædes ad portam Capenam fuisse legitur.

ELEGIA IV.

FABULA TARPEIÆ.

Tarpeium nemus, et Tarpeiæ turpe sepulcrum
Fabor, et antiqui limina capta Jovis.
Lucus erat felix hederoso consitus antro,
Multaque nativis obstrepit arbor aquis;

Ego *dicam Tarpeiam sylvam, infamemque Tarpeiæ tumulum, portamque prisci Jovis proditam. Nemus erat amœnum hederosæ speluncæ imminens, ubi densæ ar-*

Fabula Tarpeiæ inscribitur in Regg. Borr. Burm. 2. et antiquis edd. *De morte Tarpeiæ* Burm. 1.—1 *Tarpeium t.* Voss. 4. *Tarpeia rupe* conj. D. Heins. ad Sil. I. 541. *In rupe* patrem suum emendasse dicit N. Heins. filius ad Ov. II. ex P. I. 57. qui ipse in marg. ed. Ald. conjecerat *Tarpeia vepre s.*—2 *Lumina* Heinsian.—3 *Edrose conditus* in plerisque Mss. et edd. antiquis: sed *consitus* Colot. Vat. 1. 4. ut Frut. Canter. Bentl. ad Horat. Od. III. 10. 6. et Heins. in Not. Prop. p. 745. Advers. II. 12. p. 297. qui præterea *herboso*

NOTÆ

1 *Tarpeium nemus*] Postquam auctore Romulo Sabinas mulieres Romani rapuissent, ipsis duce Tatio bellum Sabini intulerunt. Cum urbem obsiderent Sabini, ipsis per Vestalem virginem nomine Tarpeiam, Spurii Tarpeii filiam, arcis Tarpeiæ porta prodita est. Dicitur auro Tatius virginem corrupisse, ut armatos milites in arcem reciperet; qui statim, ac recepti sunt, eam armis necaverunt. Memoriæ porro proditum est, cum Sabini aureas armillas in brachio lævo gemmatosque annulos gestarent, pepigisse Tarpeiam quod in sinistris manibus haberent. Dubium autem fuit clypeos petierit, an armillas: illi vero, ut fidem solverent, vel ut potius fraudem ulciscerentur, clypeis Tarpeiam obruerunt, ipsamque sua mercede peremerunt. Rem aliter hic narrat, poëtarum more, Propertius. Fingit enim Tarpeiam Vestalem Tatii Sabinorum regis amore correptam spe conjugii pro dote patriam ipsi prodidisse, arcemque Tarpeiam, cujus custodia Tarpeio patri commissa fuerat, aperuisse. A Tarpeia Vestali, vel, ut vult Propertius, a Tarpeio duce, Tarpeiæ ipsius patre, dictus est mons Tarpeius, qui dicebatur antea mons Saturnius; ac deinde sub Tarquinio Prisco vocari cœpit Capitolium seu mons Capitolinus, a capite cujusdam Toli ibidem in fodiendis ac eruendis fundamentis invento. In monte Tarpeio nemus fuit antequam Roma conderetur, ut etiam cum Propertio significat Virg. Æn. VIII. 'Hinc ad Tarpeiam sedem et Capitolia ducit, Aurea nunc, olim sylvestribus horrida dumis.'

Tarpeiæ turpe sepulcrum] In Tarpeio monte sepultam fuisse Tarpeiam Vestalem, a Sabinis obrutam, omnes consentiunt scriptores. Tarpeiæ vero 'turpe' dicitur sepulcrum, h. e. infame, propter proditionis scelus.

2 *Antiqui Jovis*] Capitolini. Tarpeium enim saxum dicitur fuisse semper Jovi sacrum; unde et dictus est 'Tarpeius pater,' antequam Capitolinus diceretur, ut Eleg. 1. hujus Libri vs. 7. habetur: 'Tarpeiusque pater nuda de rupe tonabat.'

4 *Obstrepit arbor aquis*] Foliorum

Sylvani ramosa domus, quo dulcis ab æstu
  Fistula poturas ire jubebat oves.
Hunc Tatius fontem vallo præcingit acerno;
  Fidaque suggesta castra coronat humo.
Quid tum Roma fuit, tubicen vicina Curetis
  Cum quateret lento murmure saxa Jovis?
Atque ubi nunc terris dicuntur jura subactis,
  Stabant Romano pila Sabina foro.
Murus erant montes: ubi nunc est curia septa,
  Bellicus ex illo fonte bibebat equus.

bores sponte manantibus aquis obstrepunt, Sylvani sedes ramis opaca, quo per calorem suavis fistula deducebat oves bibituras. Fontem istum sepivit undique acerno vallo Tatius, et in orbem terra subinde aggesta munit sua castra. Quid tunc temporis Roma fuit, quando Curetum tubicen gravi strepitu Jovis rupem propinquam pulsabat? Tunc *equidem* in *foro Romano, ubi nunc orbi devicto leges dantur, arma Sabina stabant. Montes erant pro mœnibus: ubi jam est curia constructa, ex illo fonte mili-*

legebat ex vestigiis unius cod. Vossiani in quo *edorso*: vel etiam *umbroso* conj. ad marg. ed. Ald. *Conditus* tuetur Vulp. Guy. *umbrosa ancra*, male, judice Burm.—4 *Multa ubi* Colot. Douss. Morell. *Multaque* Guarn. Dresd. *Motaque* Heins. qui etiam conj. *ales equis.*—5 *Sillani* Neap.—6 *Videbat* Guarn. Borr. Ask. Heinsian. Voss. 1. Dorv. 2. Lachm. intervallum interponit post vss. 6. 8. 14. 16.—7 *Nunc* Mentel. Voss. 1. *H. fontem Tacius* Voss. 3. *Tacius* etiam Aldd. Colin. *Hic* Guy. *Præcinxit* Groning. Dorv. 2. *Acervo* Borr. *Acuto* Heinsian. *Montem*, pro *fontem*, legere malebat Heins.—8 *Fictaque* ed. Mur. *Fixaque* ex conjectura Canterus et Passeratius. *Et sua sug.* affert Salmas. ad Tertul. de Pall. p. 364. *Congesta* Ask.—9 *Cum* Voss. 1. Burm. 2. Ayrm. legebat et interpungebat *humo*, *Qua t.* deleta interrogationis nota in fine distichi.—10 *Quereret* Borr. Heinsian. *Facta* pro *saxa* Dorv. 1. Burm. 2. —12 *Starent* conj. Guy. *Foco* Guarn. Neap. Reg. Mentel. Dorv. 1. Burm. 2. —13 'Varie conati sunt hunc vs. VV. DD. sanare, qui vix egebat medicina. Schopp. vult *Mirus erat fons hic*, inepte et prave, judice Passeratio. Neque

NOTÆ

strepitus aquarum murmur audiri non sinit. Sic etiam Ovid. Fast. VI. 'Et nemus arboribus densum, secretus ab omni Voce locus, si non obstreperetur aquis.'

5 *Sylvani ramosa domus*] Sylvanus hic ponitur pro quolibet Deo sylvarum agrorumque: de Sylvanis et Faunis dictum est sæpius.

Dulcis Fistula] Cujus sonus est jucundus.

7 *Tatius*] Rex Sabinorum, de quo jam supra sæpius.

9 *Curetis*] Tubicen Curetis, pro, tubicen Curetum, i. e. Sabinorum. Curetes enim Sabini dicti sunt ab ipsorum urbe Curibus; unde dicti quoque sunt Quirites.

10 *Saxa Jovis*] Rupem Tarpeiam, quæ postea dicta est Capitolina, ad quam castra posuerat Tatius, unde ipsi dicitur 'vicina.'

12 *Romano foro*] Sabinorum tunc copiæ armatæ forum Romanum occupabant. De foro Romano dictum est Eleg. II. vs. 6.

13 *Murus erant montes*] Plures sic versum hunc emendare volunt, *purus*

Hinc Tarpeia Deæ fontem libavit: at illi
Urgebat medium fictilis urna caput.
Et satis una malæ potuit mors esse puellæ,
Quæ voluit flammas fallere, Vesta, tuas?
Vidit arenosis Tatium proludere campis,
Pictaque per flavas arma levare jubas.

taris equus bibebat. Ex eodem ipso fonte Tarpeia aquam hausit ad sacra Deæ Vestæ *facienda, ipsique* inde redeunti *medium verticem fictilis urna premebat. An vero mors una sufficiebat impiæ virgini, quæ tuos ignes, o Vesta, violare conata est? Tatium conspexit* in *agris sabulosis proludentem, ac per* rutilas equorum *jubas*

melior est altera: *Murus erat fons hic.* Passerat. vult *Purus erat fons hic.* D. Heins. distinguebat *Murus, erant montes, ubi nunc est Curia, septem.* J. Castalio: *Curia, septa.* Pro *septa* Heins. ponit quoque *Vestæ*, tandemque *sæpe;* et hanc conjecturam et suis et aliorum reliquis conjecturis anteponit, totumque vs. legit: *Purus erat fons hic, ubi nunc est Curia: sæpe:* Not. in Prop. et Advers. p. 12.' *Barth.* 'Locus procul dubio corruptus. *Erat* Mentel. Pro *montes* in Borr. Heinsian. *fontes;* sed in Colot. Vat. 1. *Murus erat fons hic*, quod favere posset Passeratio *Purus erat fons hic* legenti: sed hanc emend. rejecit Broukh.' *Burm.*—15 *Hic* Groning. Dorv. 2. *Hunc* Ayrm. Guyetus male, judice Burm. *Hic Tarpeia Dei f.* Heins. conj. *rorem* pro *fontem.*—17 *An . . . mali* vult Heins. *Haud s.* Perr. v. c. Colot. Vat. 1. 2. *Male* Brix. Venet. ap. Barth. 'Hoc distichon Burmannus, Broukhusio præeunte, totius carminis pænultimum fecit, quod Vulpius [et Barth.] multum improbat. Sed quocumque loco reponatur, prava sententia est. Fortasse fuerit *Ei scelus! urna malæ p. sors e. p.*' Lachm.—19 *Perludere* Dresd. et edd. antiquæ. *Præludere* Perr. v. c. et pro varia lect. in Exc. Scal. *Proludere* Palat. 1. C. Com. cod. Pucc. Colot. Neap. Vat. 5. Mentel. Voss. Heinsian. Borr. Groning. idque præfert Heins. ad Ov. A. A. III. 515. *Producere* Dorv. 2. Ask.—20 *Victaque* Burm. 1. Heins. conj. *Picta . . æra l.* vel *Ictaque per f. ora. Vius* vitiose,

NOTÆ

erat fons hic: existimant nimirum pentametrum sequentem illud explicare. Sed nihil mutandum credimus; cum pentameter versus sequens recte intelligatur de illo fonte, quem Tatius vallavisse dicitur vs. 7.

15 *Tarpeia Deæ fontem libavit*] Vestalis Tarpeia, Deæ Vestæ sacerdos, ad sacra facienda ex illo fonte hauriebat aquam.

18 *Vesta*] Vestam Deam alii Saturni filiam, alii matrem fuisse volunt. Qui Vestam dicunt virginem, eam filiam esse Saturni sentiunt, ignemque repræsentare volunt. Qui vero ipsam Saturni matrem dicunt, eam terram esse asserunt. Hanc unam ex Diis Penatibus esse volunt, quos Æneas secum in Italiam advexit. Virg. Æn. II. 'Sic ait, et manibus vittas, Vestamque potentem, Æternumque adytis effert penetralibus ignem.' Vestalium autem virginum potissima cura erat, ut ignem perpetuum in adytis Vestæ conservarent inextinctum. Hæc autem sacra dicitur Tarpeia violasse.

19 *Proludere*] Est ante pugnam pugnæ simulacra repræsentare, ut ad certamen assuefiant ac paratiores sint milites.

Obstupuit regis facie et regalibus armis;
Interque oblitas excidit urna manus.
Sæpe illa immeritæ causata est omina Lunæ,
Et sibi tingendas finxit in amne comas.
Sæpe tulit blandis argentea lilia Nymphis,
Romula ne faciem læderet hasta Tatî.
Dumque subit primo Capitolia nubila fumo,
Retulit hirsutis brachia secta rubis;
Et sua Tarpeia residens ita flevit ab arce
Vulnera, vicino non patienda Jovi:

arma lucida ventilantem. Hæsit stupefacta egregia *regis forma regiisque armis, ac e manibus* ipsius *attonitæ elapsa est amphora. Ipsa frequenter culpam in omina Lunæ innocentis contulit, sibique caput in aquam mergendum esse locuta est. Frequenter* etiam *Nymphis facilibus candida lilia obtulit, ne hasta Romulea formosum Tatium violaret: et cum ingrederetur Capitolium primo fumo obscurum, brachia reportavit hamatis sentibus lacerata; sedensque Tarpeia ex arce sic conquesta est*

judice Burm. in Reg. et pr. edd.—22 *Inter et o.* Perr. v. c. Colot. Vat. 1. 2. Ask.—23 *Cantata est* Dorv. 2. *Lumina L.* ex Pontani cod. notaverat Perreius, ut in Exc. Scal. Vat. 1. 2. Palat. Groning. Ask. Leid. 2. Voss. 3. Dorv. 2. *Crimina* Mentel. *Omnia* Heinsian. Burm. 2. et pr. edd. *Omina* in ceteris vetustioribus, et sic in Voss. 3. vel *cornua* in marg. *Lumina* reprobant B. B.—24 '*Finxit* ex cod. Pontani cod. ascripserat Perr. ut legitur etiam in Vat. 1. 2. quod præferend. vulgatæ, *dixit*: et placebat Heinsio Advers. I. 2. p. 18. et ex cod. Pucc. (legend. Pontani) in Not. Prop. p. 746.' *Burm.*—26 *Tati* Dresd. et ed. Colin. *Taci* Brix. Venet. ap. Barth. Aldd. Expressum habet Broukh. *Titi.*—27 Ita in codd. et edd. vetustis: sed in aliis libb. legi, *primis flammis*, testatur Passerat. Heins. conj. *n. Eoo*; vel *lubrica dumo*: Advers. I. 2. p. 18. et Not. Prop. p. 746. ubi etiam tentabat C. *in invia dumo*. Markl. conj. *somno.*—28 'Ridicule ex Palatinis Gebhardus *septa r.* reponit. Vulgata lect. recta est ac proba.' *Broukh.* '*Septa* etiam in Voss. 1. Dorv. 2. a manu pr. sed alterum optime vindicatur ab Heins. ad Ov. I. M. 509.' *Burm.*—29 *Rediens* vult Guy.—30 *Compat.* Exc.

NOTÆ

23 *Causata est omina Lunæ*] Accusavit, vel culpam rejecit in omina Lunæ, h. e. somnia quæ veteres credebant immitti a Luna; quia nimirum noctem maxime Luna regit, et nox somniorum dicitur mater.

25 *Lilia Nymphis*] Nymphis scilicet fontis istius præsidibus lilia offerebat Tarpeia, ne Tatium in pugna vulnerari paterentur.

27 *Capitolia nubila*] Pluralis numerus pro singulari metri causa. Mons porro Tarpeius tunc nondum dicebatur Capitolium, sed solum regnante Tarquinio Prisco, ut jam dictum est, cum repertum esset caput cujusdam Toli in jaciendis fundamentis templi Jovis, ab illo capite Toli vocari cœpit Capitolium, cum primo mons Saturnius, deinde Tarpeius a Tarpeia vocatus fuisset. Dicitur porro Capitolium 'nubilum,' h. e. obscurum, et fumo quasi nubibus obtectum.

30 *Vulnera*] Non flevit vulnera quæ sibi rubi, sed quæ amoris sagittæ fecerant.

Vicino Jovi] Quia nimirum Jovis

Ignes castrorum, et Tatiæ prætoria turmæ,
  Et formosa oculis arma Sabina meis,
O utinam ad vestros sedeam captiva penates,
  Dum captiva mei conspicer ora Tatî.
Romani montes, et montibus addita Roma,
  Et valeat probro Vesta pudenda meo.
Ille equus, ille meos in castra reponet amores,
  Cui Tatius dextras collocat ipse jubas.

plagas suas proximo Jovi non ferendas: O ignes castrorum, cohortisque Tatiensis prætoria, armaque Sabina luminibus meis pulchra; O utinam focis vestris captiva assiderem, dummodo mei Tatii captiva viderer. O vos, *colles Romani, tuque,* o *Roma, collibus imposita,* valete, *ac* etiam *valeat Vesta, quæ meo crimine erubescet. Equus in castra referet amatorem meum, cui sua manu Tatius jubas in armum dextrum*

Scal. Leid. 2. Voss. 3. a m. sec. Dorv. 1. Burm. 2. *Jovis* Ask.—31 ‘Vitiose *tacitæ*, quod in Groning. Voss. 1. f. pro *Taciæ*, h. e. *Tatiæ*.’ Burm.—32 *Famosa* Neap. Colb. Groning. Palat. 1. Ask.—33 ‘*Ad nostros* male Colb. et minus bene *adversos* Gebh. quod merito rejecit Gronov. IV. Obs. 6. p. 86.’ *Burm.*—34 ‘In Vat. uno Gebhardi, Borr. Groning. unoque nostro *conspicer arma Taci;* quæ lect. validissime firmat elegantem Gronovii emend. *ora Tati*, IV. Obs. 6.’ *Broukh.* ‘*Conspicor* Bon. *Conspicer arma taci* Guarn. C. Com. *Conspicer esse* edd. Vulp. Gött. cum Dresd. et Brix. Venet. Aldd. cett. *Titi* mavult Heins. ne Tatii nomen toties repetatur: sed hæc repetitio amantes mirum in modum decet, observante Vulp.’ *Barth.* ‘Heins. ad Ov. I. F. 260. tam h. in l. quam supra vs. 26. *Titi* rescribend. judicabat; illic autem Broukh. *Titi* edidit, hic vero *Tati:* sed quia in omn. fere codd. et edd. antiquiss. *Taci*, vel *Tacii*, h. e. *Tatî*, vel *Tatii*, utroque loco constanter legitur, ideo etiam *Tatî* edidi. Vide et Dorleans ad Tacitum p. 134. *Conspicor esse* Mentel. *Suspicor esse* Palat. [1.] *Esse* etiam pro *ora* in Leid. 2. Dorvv. meo 2. et primis aliisque vetustis edd. *Arma* in Exc. Scalig. pro varia lectione, et in Voss. 1. 3. meoque 1. *Ora* recte emendavit Gronov. laudante Heins.’ *Burm.* ‘*Conspicor* Propertium non decet. *Arma Tati* sane pulchrum.’ *Lachm.* Nostram lect. dant B. B. B. L. nisi quod Barth. habet *esse.* —35 *Septeni montes* Heins. *Abdita* Posth. Dresd. Dorvv. Ber. Venet. ap. Barth. sed alterum adhærere Virgilio III. Æn. 336. censet Burm. *edita* Heins. Probare videtur Burm.—37 ‘Dousa P. malebat *reportet;* quod e membranis etiam Passeratius affert. Id si non recipimus, oportebit certe *reponat* legamus: sed melius est *reportet*.’ Broukh. ‘*Reportet* Guy. et sic Brix. *Reponet* est in al. Dresd. et edd. vulgg.’ *Barth.* ‘*Reponet* edend. censui. Livin. improbata Dousæ emendatione, nihil mutand. notavit. Certe in omn. fere Mss. et primis ceterisque edd. vetustis *reponet:* quibus consentiunt singulorum codd. meorum Excerpta, nisi quod in Ask. *reducet honores.* *Reponet* etiam hic tuetur Patruus meus ad Suet. Tib. cap. 18. et ad Virg. IX. Æn. 502. et sic affert Valens Guellius ad III. G. 86.’ *Burm.* *Reponat* Pucc. correxerat. *Reponet* dant Burm. Lachm. *Reportet* B. B.—38 ‘*Quoi Tacius d. c. i. comas* Exc. Scal. sed *comas* glossator ascripsisse videtur, ut *jubas* equi expli-

NOTÆ

ædes non procul aberat ab ædibus Tarpeiæ.

35 *Romani montes*] Septem urbis Romæ colles alloquitur, quibus valedicit, sicut et Vestæ, cujus sacra se relicturam Tarpeia significat.

Quid mirum in patrios Scyllam sævisse capillos,
  Candidaque in sævos inguina versa canes?
Prodita quid mirum fraterni cornua monstri,
  Cum patuit lecto stamine torta via?
Quantum ego sum Ausoniis crimen factura puellis,
  Improba virgineo lecta ministra foco!

recumbentes *componit.* *Quid mirabile* videtur *Scyllam paternos crines attondisse, ejusque crura nivea in rabidos canes* fuisse *mutata?* *Quid* est etiam *mirum, si cornua portenti fraterni tradita sint, quando flexuosum iter* labyrinthi *apertum est filo revoluto?* *Quantum ego virginibus Ausoniis sum allatura dedecus,* ego, inquam, *scelerata, quæ selecta fueram ministra aris virgineis!* *Si* vero *aliquis admirabitur*

caret. *Colligat* vel *conserit* Heinsius: sed *collocat* Passeratius recte explicat pro, apte disponit. *Dextra* legitur in aliis: et sic affert Guellius ad Virg. III. G. 86. Quid si pro *dextras* reponamus *pexas jubas?* *Dextras* tamen *jubas* hic probavit Turneb. VIII. Advers. 1. idque firmat Virgilii loco, ante indicato; ubi etiam Cerda hic *dextras* legend. monuit: et in hac explicatione Turnebo consentit Passeratius: sed *dextra* probasse videtur Guellius, quia sic affert: et hoc præferebat Markl.' *Burm.*—39 Damnat Burm. *patris*, quod in Gryph. 5.—40 '*Fœdos* Heins. Advers. p. 13. quia 'sævisse' præcesserit. Intolerabile fastidium. Satis est omn. libb. conspirare in vulg. lect.' *Barth.* '*Sævisse* et *sævos* eod. disticho cumulari invenustum esse nemo non sentit. *Scævos* in meo 1. *Fœdos* legebat Heins. Possis etiam *tetros:* aut cum Ovidio *rabidos* I. A. A. 331.' *Burm.*—41 'Mendose in pr. edd. *frater in c.* ut in Venet. 2. Rheg. et Volsci: sed in Vicent. Ber. et reliquis *fraterni c.*' Id.—42 '*Stamina certa via* Guarn. Brix.' *Barth.* '*Recto stamine* Vat. 1. 2. *Recto stamine certa via* Perr. v. c. *Lento stamine* Dorv. 2. *Certa via* etiam in Regio. *Tecto* vel *recto stamine* Frut. Epist. ad Canterum inter Epistolas a

NOTÆ

39 *Scyllam sævisse capillos*] Nihil, inquit, mirum est impietatem et crudelitatem exercuisse Scyllam in attondenda patris sui Nisi coma. De Scylla Nisi regis Megarensium, quæ patrem prodidit attonsis ipsius capillis, quibus regni regisque fata continebantur, diximus III. 19. ad illa verba: 'Tuque o Minoa venumdata Scylla figura.'

40 *In sævos inguina versa canes*] Fabulas duas confundit, Scyllæ nimirum Nisi, et Scyllæ Phorci; ut etiam Virg. Ecl. VI. 'Quid loquar, ut Scyllam Nisi, quam fama secuta est Candida succinctam latrantibus inguina monstris.' Ita quoque Ovid. Lib. III. Amor. Eleg. 12. 'Per nos Scylla, patri canos furata capillos, Pube premit rabidos inguinibusque canes.'

41 *Fraterni cornua monstri*] Minotaurum designat, qui dictus est monstrum cornutum. Significat autem Minotaurum fuisse proditum a sorore Ariadne, quæ filum Theseo tradidit, quo sese e sinuosis flexuosi Labyrinthi anfractibus extricavit. Vide notas nostras ad Catull. carm. LXIV. ubi de Minotauro fabula pluribus est exposita.

43 *Ausoniis puellis*] Romanis virginibus; sicut dixit 'Ausoniis Dryasin' I. 20.

44 *Lecta ministra foco*] Sacerdos electa ad ignem sacrum servandum: Vestales enim erant sacrorum Vestæ non modo ministræ, sed et sacerdotes, quæ virgines esse debebant, quia et Vesta virgo esse credebatur; unde et ejus focus dicitur Virgineus.

Pallados extinctos siquis mirabitur ignes,
  Ignoscat: lacrymis spargitur ara meis.
Cras, ut rumor ait, tota pugnabitur urbe:
  Tu cave spinosi rorida terga jugi.
Lubrica tota via est, et perfida: quippe tacentes
  Fallaci celat limite semper aquas.
O utinam magicæ nossem cantamina Musæ!
  Hæc quoque formoso lingua tulisset opem.

restinctos ignes Palladis, mihi *det veniam, focus meis fletibus perfunditur. Crastino die (ut fama est) per omnem urbem decertabitur; occupa tu dorsum rore madens collis vepribus asperi. Iter est maxime lubricum, fallax et infidum; silentes enim semper occultat aquas obliquo cursu. O utinam scirem incantamenta Musæ magicæ; ista etiam lingua* mea *auxilium dedisset pulchro* Tatio. *Tibi toga versicolor*

Gabbema collectas p. 637. *Lecto stamine* minime solicitand.' *Burm.*—45 'Libri meliores *Pallados*, usitata poëtis flexione. Lipsius adolescens tentaverat *Pallidus*, II. Var. Lect. 8. quem fœtum quamvis deinde ipse abjecerit atque exposuerit, non potuit tamen evitare latratus imbellium caniculaneum: atqui vir factus mutavit mentem, et hunc ipsum locum recte atque erudite exposuit, cap. 9. Syntagmatis de Vesta et Vestalibus. Hoc vero mussant dicere, et factum nollent. *Palladis* nomine hic Vestam appellari ait Passeratius: cui favet Spanhemius in Callim. p. 588. atque huc etiam Lipsius ibat: et omnium primus Beroaldus.' *Broukh.* '*Pallidos et tinctos* corrupte Voss. 1. Lipsio, dum juvenis esset, emendanti *Pallidus*, hic insultant plerique, idque ut temerarium et ineptum traducit Livineius. Sed f. ansam huic conjecturæ ipsi dederunt codd. in quibus talem vel non multum inde abeuntem scripturam invenerit: ut hic *Pallidos* in Voss. Hunc Lipsii errorem, a Passeratio etiam castigatum, recoquit Matth. Ægyptius in Epistolis p. 169. Candidius et magis ingenue egit Broukh. dum notat Lipsium provectiori ætate errorem correxisse, et recte exposuisse: ut egregie etiam fecit Dousa P. Paralipom. ad Prop. p. 139. et 140.' *Burm.* Nostram lect. dant B. B. B. L.—47 *Et* Voss. 1. *Lustrabitur* Ask.—48 'Bono judicio Passerat. et Heins. restituunt *cave*.' Broukh. '*Cave* restituit Guy. e Passeratii codd. quod evincunt sequentia. *Cape* vulgg. cum Guarn. Dresd. *Cave* etiam Bon. *Rorida* Guarn. et Ed. pr. *Rosida* Venet. Sunt qui *rosea* velint.' *Barth.* '*Cave* recte emendatum est a viris eruditis, pro *cape*, quod in omn. fere Mss. et edd. vetustis. *Rorida*, ut edidit Broukh. etiam est in Mentel. Colb. Neap. Borr. Groning. Voss. 1. Heinsian. Harl. Dorv. 1. aliisque: et sic Frut. *Rosida* Regg. et pr. edd. *Roscida* Aldd. Junt. Mur. Colin. Rouill. Canteri, Douss. et Gryph. 1561. 1573. nam in Gryph. 1551. excusum *rosida*.' Burm. *Cave* malit et Lachm. et dant B. B. B. L.—51 '*Certamina* male Dorv. 2. et Palat. *Cantamina Lunæ* Voss. 3. Rogat Passeratius: 'Quæ est Musa

NOTÆ

45 *Pallados extinctos ignes*] Palladis ignes appellat Vestæ focos, unde eandem esse Palladem et Vestam contendunt nonnulli. Sed possunt tamen recte dici Palladis ignes Vestæ foci, non quod una eademque sit Pallas quæ Vesta, sed quia in ejusdem Vestæ æde Palladis etiam simulacrum, seu Palladium, a Vestalibus servabatur, sicut et ignis, ut testis est Ovid. Trist. III. 1. 'Hic locus est Vestæ, qui Pallada servat et ignem.'

Te toga picta decet; non quem, sine matris honore,
Nutrit inhumanæ dura papilla lupæ.
Sic, hospes, pariamne tua regina sub aula,
Dos tibi non humilis prodita Roma venit:
Sin minus; at, raptæ ne sint impune Sabinæ,
Me rape, et alterna lege repende vices.

maxime convenit, non vero illi, *quem cum parentis opprobrio mamma agrestis sævæ lupæ educavit. Sic* tu, o *hospes, ferre velis, ut sim regina in aula tua; dos tibi non parva datur, Roma* scilicet *tradita. Si vero non vis hoc, saltem ne Sabinæ raptæ maneant inultæ; me* quoque *abripe, et jure talionis par pari refer. Ego valeo di-*

magica? an Urania?' *Magne* Neap. f. pro *magæ*, aberrante librarii calamo. Quid si scripserit Prop. *O utinam sagæ nossem cantamina Marsæ!*' Id. Retineamus, ait Lachm. *magicæ cantamina Musæ.*—52 *Hac* Markl.—53 *Docet* damnat Burm. quod in Voss. 1.—54 '*Nutriit hum.* quidam teste Passerat. Guy. refingebat, *Nutriit immanis*, citra necess.' *Barth.* '*Nutriit humanæ* in aliis libris ap. Gebhardum, sed improbat; mihi vero hæc lectio minime displicet. Heins. *cruda; dira* est in illius cod. et meo 1. sed *dura* non mutand. Guyeti conjectura carere possumus.' *Burm.*—55 '*S. h. patriam nec te r. s. a.* Guarn. *S. h. pariamque tua r. s. a.* Ed. pr. *Si sim h. patiare t. r. s. a.* edd. Mur. Morell. Long. nisi quod in hac post *sim* interpunctio minima adjecta est; et sic fere Guy. e vestigiis codd. *Si sim, hospes, patiere.* Doctus Anglus Misc. Obss. Vol. II. p. 115. interrogandi signum ponit in fine versus: Broukh. Vulp. Gött. sequuntur hic rationem Scaligeranam.' *Barth.* '*Si conjux, patriamve tua Regina* in Vat. 2. et v. c. Perreii, qui ex cod. Pont. etiam ascripserat *Sic hospes patiare una regnem ipsa*, et sic fere in Vat. 1. nisi quod in eo *patiare tua*. In Groning. *Sic hospes pariam tua ne regina.* In Mentel. *Sic hospes peream tua ne.* Cod. Fruterii *Si sim hospes. Sic hospes pariamne* [Dresd. et] Exc. Scal. qui veram hanc lectionem affirmat. *Patriamne* Voss. 1. *Pariam nec te* Borr. et Voss. 4. *Periam tua ne* Leid. 1. quod et superscr. in Voss. 3. *Tua pariamne* Leid. 2. *Pariam ne te* in Heinsian. *Patiar tua mi* Dorv. 2. In 1. *pariam quam te.* In Regio et meo 2. *patiare.* In Colot. *Si possum spatiare*, quod favere posset Heinsii conjecturæ, quam ed. Ald. ascripserat: *Dic hospes: spatiorne tuam regina sub aulam.* In edd. Venet. 2. Vicent. Volsci et Ber. *Sic hospes patiare tua r.* ut in Aldd. Junt. Colin. Gryph. aliis. In Canteri Plantiniana *Si sim, hospes, patiare tua reg.* Gebh. ex C. Com. [et sic Maitt. s. Lond.] *Sic hospes pariam duce te reg.* Passerat. conj. *Dic, hospes, pariamne tua r.* Ayrm. *Sive hospes pariamve tua*, et ita Markl. *Pariamve* etiam Dorvill. conj. Patruus meus Passeratii et Heinsii correctionem: *Dic, hospes, pariamne*, probat, ut *hospes* ad Tatium referatur; vel cum Scalig. legit *Dic, hospes pariamve tua.* Mihi legend. videtur *Sis hospes, pariamque tua reg.*' Burm. '*Sic hospes, pariamne tua regina sub aula* Neap. et alii fortasse. En duo commenta nostra, f. ne probabilia quidem: *Sic obses pariamve tua r.* et *Si cælebs, pariam Tatia r.*' Lachm.—57 'Lege cum Gryph. *Sin m.*' Broukh. '*Si m. at* Bon. Dresd. Venet. *Si m. aut* Guarn. *Sin minus at* Brix. Aldd. Colin. Gryph. cett. *N* facile absorberi potuit a seq. lit. *m.*

NOTÆ

54 *Dura papilla lupæ*] Lupam illam significat, quæ Remum et Romulum ad ripam Tiberis expositos reperit, uberibusque aluit.

57 *Raptæ ne sint impune Sabinæ*] Ne remaneat inultum Romuli scelus, qui vestras virgines Sabinas rapuit.

Commissas acies ego possum solvere: nuptæ,
  Vos medium palla fœdus inite mea.
Adde, Hymenæe, modos: tubicen, fera murmura conde;
  Credite, vestra meus molliet arma torus.
Et jam quarta canit venturam buccina lucem;
  Ipsaque in Oceanum sidera lapsa cadunt.
Experiar somnum: de te mihi somnia quæram;
  Fac venias oculis umbra benigna meis.

rimere pugnas jam *commissas; vos* vero, o Sabinæ *jam virum expertæ, pacem inter Romanos ac Sabinos cum palla mea componite.* O *Hymenæe, adhibe carmen nuptiale*, tu vero, o *tubicen, trucem* tuum *cantum remove.* Mihi *fidem adhibete, conjugium meum vestra bella sedabit. Nunc vero quarta tuba instantem diem nuntiat; ipsa astra in Oceanum occidunt.* Ego *soporem experiar: de te mihi captabo somnia; effice*, ut *imago blanda ac facilis te offeras ocellis meis.* Sic *locuta est*, *ac*

Captæ Venet. *Non sint* Dresd.' *Barth.* 'Male in codd. et edd. priscis *Si minus*. Vitiose *Si manus aut* Groning. Sed præter Gryph. *Sin minus* etiam excusum in Ald. 2. Canteri Plantin. 1569. et Douss. *Aut raptæ* Borr. Heinsian. et Neap. a m. pr. tribus Voss. et meo 1. *Ac captæ non sint* 2. *Captæ* in Regg. Venet. 2. Rheg. et Volsci.' *Burm.* '*Sin minus* sæculo XVI. exprimi cœptum est. Ante erat *Si minus*, ut in scriptis omn. et poterat ferri.' *Lachm.*—59 *Commistas* Dorv. 1. *Possim* Burm. 1.—60 '*Palla* deest in Burm. 1. *Parca mea* vel *thalamo meo* Heins. N. Prop. p. 747. *Palma* legend. censebat Schrader. Emend.—61 '*Ede H.* Guy. male. *F. munera corde* Guarn. vitiose.' *Barth.* *Ede* Heins. ad oram ed. Ald. sed in N. Prop. Guyetum sic emendantem rejicit.—62 *Ced.* Dousa P. ad oram lib. sui. *Credita* damnat Burm. quod in Voss. 3.—64 'Non multum aberraturum ab vero duxerim, qui *lassa* legerit.' *Broukh.* '*Lassa* Guarn. Borr. edd. Brix. Venet. Broukh. Vulp. Gött. sed haud dubie melius est *lapsa*, quod habent Aldd. Colin. Mur. Grasseri, Scal. Lond. Leid. cum Dresd. probantibus Heins. ad Sil. VII. et Burm. ad Lotich. Addend. p. 680.' *Barth.* '*Spissaque* conj. Heins. *Lapsa* in Groning. Leidd. Voss. tribus, Dorvv. et meis, quibus consentiunt

NOTÆ

61 *Adde, Hymenæe, modos*] Hymenæus fuit Deus nuptiarum præses, cujus laudes in nuptiis canere solenne fuit veteribus ex antiquissima consuetudine, ut testantur Dionys. Halic. Athenæus, Julius Pollux, Plutarch. Titus Livius, &c.

63 *Quarta buccina*] Significat Tarpeia lucem seu diem instare, jamque quartam buccinam signum dedisse quartæ vigiliæ, quæ est pars noctis ultima, ac diei principium. Nox enim apud veteres in quatuor vigilias, trium horarum singulas, dividebatur; vigilesque secundi primis, et secundis tertii, tertiisque novissimi in statione succedebant, dato signo a tubicine; ut tradit Vegetius de re militari III. 8. 'Et quia,' inquit, 'impossibile videbatur in speculis per totam noctem vigilantes singulos permanere, ideo in quatuor partes ad clepsydram sunt divisæ vigiliæ, ut non amplius quam tribus horis nocturnis necesse sit vigilare. A tubicine omnes vigiliæ committuntur; et finitis horis a cornicine revocantur.'

64 *In Oceanum cadunt sidera*] Adveniente die, cum astra micare desinunt, Oceano mergi ac occidere dicuntur a poëtis.

Dixit, et incerto permisit brachia somno,
Nescia se furiis accubuisse novis.
Nam Vesta, Iliacæ felix tutela favillæ,
Culpam alit, et plures condit in ossa faces.
Illa ruit, qualis celerem prope Thermodonta
Strymonis abscisso fertur aperta sinu.

soperi dubio membra tradidit, ignorans se jacere cum ignibus insolitis. Etenim Vesta felix custos Iliacorum cinerum crimen nutrit, majoresque in Tarpeiæ *medullas conjicit flammas. Illa præceps et amens fertur, quemadmodum ad rapidum Thermodoontem Strymonis nudata lacero pectore rapitur. Urbi* dies *festus erat, majores*

reliqui codd. et omnes fere edd. priscæ. 'Hanc lect. vindicavit quoque Patruus meus ad Ov. Tr. II. 85. *Laxa* Ask.' *Burm.* *Lapsa* dant Barth. Burm. Lachm.—66 *Oculis venias* Dorv. 1. Burm. 2.—67. 68 '*Nescia nefariis* Vat. Bon. Dresd. Ed. pr. cum Venet. Aldd. Colin. Gryph. quod Beroaldus exponit, flagitiis: satis flagitiose secundum Passeratium. *Se flammis* edd. Mur. Grasseri. *Se furiis* Brix. Vulp. Gött. *Ve furiis* Guy.' *Barth.* '*Promisit* Mentel. *Permittit* Voss. 4. *Lumina* vel *pectora somno* Markl. ad Stat. Sylv. in Præf. p. 10. Bronkh. ex ed. Scal. edidit *Nescia ne furiis* duplici negatione, pro *se furiis*. Depravata codd. lectio est *nefariis*, ut in Regg. Colb. Groning. Ask. Leidd. tribus Voss. et Dorvv. vel *nephariis*, ut in Borr. et meo 1. Id tamen viris doctis imposuit. *Nescia se flammis* conj. Baptista Pius in Annot. Post. cap. 25. p. 423. Fac. Crit. Gruteri T. I. et hæc lect. firmatur a Colot. quam ex cod. Pont. etiam ascripsit Perreius; et sic editum etiam fuit a Passerat. In Notis tamen præfert *se furiis*, et sic Livin. Heins. ad marg. ed. Ald. conj. *se furiis succubuisse*. In Vat. 5. *vesanis*.' Burm. Fortasse, ait Lachm. *Nescione ah f. Nescia ne* dat Bronkh. *Nescia se* Barth. Burm. Lachm.—69 *Veste* Dresd.—70 '*Culpa mali* Mentel. *Curam alit* Heins. ad oram ed. Ald. *Pluris* Exc. Scal. Pro *faces* in Dorv. 2. *focos*. Heins. *diras faces* conj. quem *plures faces* offendisse videntur. F. substitui posset *Culpa mali, impuras in o. faces*. Sed nihil affirmo.' *Burm.*—71 '*Thermodoonta* Bon. Dresd. et vulgg. edd. omn.' *Barth.*—72 '*Abscisso sinu* est in omnibus libris: nihilo tamen minus Bronkhusius non dubitare jubet, quin Poëta scripserit *abscissos sinus*, familiari sibi et aliis Græcismo. Recepere igitur Vulp. et Gött. quasi vero poëtis non liceat variatione uti, nec Virgilius aliquoties neglexerit ipse hunc Græcismum.' *Barth.* '*Abscissos* Bronkh. recte. Libb. scripti *abscisso sinu*, quod nec Latinum nec Græcum est. Melius tamen *abscisos*, et sane *abscise* habet cod.

NOTÆ

66 *Nescia se furiis, &c.*] Nesciebat Tarpeia se cubitum discessisse cum novo furentis amoris ardore, seque una cum flammis insanis cubare.

69 *Vesta, Iliacæ tutela favillæ*] Vestæ, quæ ignis est, et quæ feliciter reliquias cineresque Ilii seu Trojæ tuetur ac servat, Tarpeiæ fovet ac nutrit nefandum amorem, cujus æstu nimio percita, mentisque impotens, infandum ruit in facinus.

71 *Prope Thermodonta*] Apud omnes constat Thermodontem fluvium esse Amazonum; sed hunc alii in Thracia ponunt, alii in Scythia, alii in Cappadocia. In Themiscyra, Cappadociæ provincia, ubi et Amazonii campi ad Pontum Euxinum vergentes, Thermodontem collocat Strabo Lib. XI. De Thermodonte jam sæpius dictum est, sed maxime III. 14. 16.

72 *Strymonis*] Patronymicum est a Strymone fluvio Thraciæ; qui ex

Urbi festus erat; dixere Palilia patres;
  Hic primus cœpit mœnibus esse dies.
Annua pastorum convivia, lusus in urbe,
  Cum pagana madent fercula deliciis,
Cumque super raros fœni flammantis acervos
  Trajicit immundos ebria turba pedes.

Palilia vocaverunt: iste dies urbi primus esse paulo ante *cœpit. Solennes rusticorum sunt epulæ, ac ludi in urbe, quando dapes paganorum deliciis fluunt, et quando per cumulos paucos ardentis fœni vino madida turba sordidos pedes transmittit. Ro-*

noster.' *Lachm.*—73. 74 '*Parilia* scribere vett. magistros docet Broukhusius, et sic editt. Broukh. Vulp. et Gött. Omnes reliqui libri scripti et impressi, tam Vulpii quam nostri, hic scribunt *Palilia*: sed quis contra Grammaticos vel hiscere ausit?' *Barth.* '*Parilia* quidem est in Perr. v. c. et Neap. *Palilia* edidit Broukh. 1. 19. idque hic omnes nostri codd. tuentur, et edd. priscæ, quod ab aliis præfertur, quia pastorum Deæ Pali hæc sacra fiebant. *Matres* cod. Heins. Deinde *Hinc p. c. m. ire dies* legebat Heins. in marg. ed. Ald. vel *isse* ad Ov. F. IV. 727. quod malim.' *Burm.* *Isse* voluisse Guyetum notat Barth. '*Parilia* hic et 1. 19. Neap. Ceteri *Palilia*. Aut hic quoque sic scribe, aut supra *Palilia*. Ceterum distingue: *Urbi festus erat (dixere Palilia patres; Hic p. c. m. esse) dies.* Paulo inf. vs. 76. *divitiis* et 78. *immundas dapes* habent scripti omn.' *Lachm.*—75. 76 '*Deliciis* recte: quod etiam Passeratius malebat.' *Broukh.* '*Divitiis* Posth. Dresd. Guarn. *Deliciis* præfert Vulp. cum Gött.' *Barth.* '*Luxus* in cod. Heins. quod et in Dorv. 2. superscriptum. *Urbem* Leid. 2. *Divitiis* in omn. fere codd. et edd. vetustis; sed *deliciis*, quod in suis invenit Beroald. recte emendavit Heins. et edidit Broukh. Probarunt quoque Franc. et Markl. *Fictilibus* conj. Heins.' *Burm.*—77. 78 'Legendum esse *immundos pedes* pridem ostenderunt Passeratius h. l. et Jos. Castalio Dec. II. Observ. 8. qui tamen ne tralatitio quidem nominandi honore dignatus est Passeratium, auctore Schoppio (hunc enim auctorem vocat) conten-

NOTÆ

monte Hæmo ortus in mare Ægæum delabitur. Hoc autem loco Strymonis pro Baccha seu mænade ponitur; quod ad Strymonem amnem Threiciæ Bacchæ, sacra Bacchi sui celebrantes, discurrerent. Hoc in loco sequitur Propertius sententiam eorum qui Thermodontem fluvium Amazonasque in Thracia collocant.

73 *Palilia*] Palis, pastorum Deæ, festa, quæ die 22. mensis Aprilis quotannis apud Romanos celebrabantur; in agris autem maxime solenni ritu a colonis ac pastoribus fiebant. Paliliorum dies natalis fuit urbis Romæ, cujus mœnia eo die quondam a Romulo condita sunt. Suetonius in Caligula 16. 'Decretum autem, ut dies, quo cepisset imperium, Palilia vocaretur, velut argumentum rursus urbis conditæ.' Ovidius Metam. XIV. 'Festisque Palilibus urbis Mœnia conduntur.' Vide quæ dicta sunt de Palilibus ad Eleg. 1. Libri hujus vs. 19.

76 *Pagana fercula*] Rustici dicuntur Pagani, quod pagos incolant, et pagatim habitent. Celebrantes autem Palilia, ludos et convivia curabant, dapibusque delicatioribus ac lacte Deam Palem venerabantur.

77 *Fœni flammantis acervos*] Pastores ac rustici Palilia celebrantes, postquam opime essent convivati ac probe poti, fœni paleæque acervos congerebant, quos flammis accensos ac fumantes transiliebant; ut narrat

Romulus excubias decrevit in otia solvi,
  Atque intermissa castra silere tuba.
Hoc Tarpeia suum tempus rata, convenit hostem:
  Pacta ligat, pactis ipsa futura comes.
Mons erat ascensu dubius, festoque remissus.
  Nec mora, vocales occupat ense canes.
Omnia præbebant somnos. Sed Jupiter unus
  Decrevit pœnis invigilare suis.
Prodiderat portæque fidem, patriamque jacentem;
  Nubendique petit, quem velit ipse, diem.

mulus jussit ut excubitores ac vigiles quieti indulgerent, et castra tacerent, omisso tubarum clangore. Tarpeia, istam sibi commodam occasionem putans, adit hostem, promissa firmat, ipsa futura pactis comes. Mons erat ascensu difficilis, et ob festum solutior, quem Tatius *statim invadit, gladioque jugulat canes clamosos. Cuncta somnos dabant; verum solus Jupiter constituit excubare supplicio tuo,* o Tarpeia. *Proditione tradiderat portæ tutelam, patriamque* suam *somno oppressam; ipsaque diem nuptiarum, quem cuperet, postulavit. Sed Tatius inquit, Nube, et conscende*

tua. Meliore fide egit Heinsius Not. in Ov. IV. F. 781.' *Broukh.* '*Immundas dapes* Venet. Aldd. cett. cum Dresd. sed *immundos pedes* legend. esse, quomodo in Brix. pridem ostenderunt VV. DD.' *Burth.* '*Immundas dapes* male in omn. fere codd. *Pedes* tamen in Colot. et Vat. 1. Confirmat hanc lect. Ov. F. IV. 781. Pro *raros* ex Tibull. II. 6. 89. f. hic substitui posset *sacros.*' Burm.—79 *Decernit* Dresd.—80 *Intermista* Dorv. 1. *C. movere* 2.—83 *Ascensu dubio* Bon. 'Deest hoc distichon in Dorv. *Accensu* in meo 2. Forte *accessu* voluit librarius, sed *ascensu* optime se habet.' *Burm.* —84 *O. ense* Palat. 1.—85 Markl. cod. suo ascripserat *prœbebat somnus:* quæ conj. certe vulgatæ præstat, judice Burm. 'Egregie Markl. Nos verius *præbebant somni.*' Lachm.—86 *Tuis* multi codd. cum Venet. ap. Barth. Damnat Burm.—87 *Tacentem* Ask.—88 '*Ipse* vult Heins. Mira humanitas!'

NOTÆ

etiam Tibull. II. 5. 'At madidus Baccho sua festa Palilia pastor Concinet; a stabulis tunc procul este, lupi. Ille levis stipulæ solennes potus acervos Accendet, flammas transilietque sacras.' Ovidius etiam Fast. IV. 'Moxque per ardentes stipulæ crepitantis acervos Trajicias celeri strenua membra pede.'

78 *Ebria turba*] Rusticorum scilicet ac pastorum, qui poti vinoque madidi stipulæ cumulos trajiciebant, ut dictum mox est versu superiori.

79 *Romulus excubias*] Ob celebritatem Palilioru Romulus excubias vigiliasque bellicas paululum remiserat, jusseratque ut illo die quieti omnes, otio, ac genio indulgerent, nec ullum tubæ signum daretur, sed silerent arma.

81 *Hoc Tarpeia suum tempus*] Tarpeia diem festum, quem celebrandum omnibus decreverat Romulus, ad anendam patrandamque arcis proditionem idoneum existimans, Tatium Sabinorum regem adiit, &c.

83 *Mons festo remissus*] Cujus nempe remissior ac negligentior custodia propter festum diem erat, quia in otia et ludos soluti fuerant vigiles.

85 *Jupiter*] Tarpeius nimirum, cui sunt odio proditores, vigilavit ad pœnas de proditrice Tarpeia sumendas.

At Tatius (neque enim sceleri dedit hostis honorem)
Nube, ait, et regni scande cubile mei.
Dixit, et ingestis comitum superobruit armis.
Hæc, virgo, officiis dos erat apta tuis.
A duce Tarpeio mons est cognomen adeptus.
O vigil! injustæ præmia sortis habes.

lectum regni mei, non enim hostis crimini præmium reddidit. Ubi locutus est, statim congestis sociorum telis acervatim ipsam *obruit. Hujusmodi merces, o puella, optime conveniebat tuis obsequiis. A Tarpeio duce mons est nomen assecutus. O custos* ignis, *mercedem habes iniquæ* tuæ *sortis.*

Barth. ' *Ipse* edidi, ut correxerat etiam Heins. et Markl. non *ipsa*, ut edidit Broukh.' *Burm.* ' *Ipse* Heins. sensu flagitante, non 'mira humanitate,' ut Barthius inepte cavillatur. Codd. *ipsa*.' Lachm.—89 *Cedit h. honores* Palat. 1. —90 *Thori sc.* Ask. Heinsius conj. *lecti*.—91. 92 *Super obr.* Guy. ' *Ingressus* in Borr. et meo 1. *Ingressis* Voss. 1. *Ingestos* Mentel. *Superhorruit* Dorv. 2. sed *ingestis armis* sincerissima lectio est. *Nec virgo* male Borr.' *Burm.*—93. 94 ' Locus corruptus. *A duce Tarpeia* in Exc. Scal. et Voss. 4. Sed, licet *Tarpeio* vel *Tarpeia* cum Passeratio legatur, neutri certe *dux* convenit, sive de Sp. Tarpeio, arcis præfecto, sive de Tarpeia filia, quæ ductu suo Tatium in arcem admiserit, intelligamus. Non displicet ergo Bassani, (cujus duas Epp. ad Vulpium scriptas Commentario suo inseruit Vulpius,) emendatio: *A nece Tarpeiæ*. Broukh. male *vigil* refert ad canes, Capitolii custodes, quos Tarpeiam] ferro necasse, dixerat vs. 84. et quod addit, Propertium duas historias de canibus a Tarpeia occisis, et tempore M. Manlii Capitolini punitis confudisse, plane alienum est. Fuerunt et qui ad Jovem referri posse existimarent ob vs. 86. Neque satisfacit Heins. qui conj. *Quæ vigil*. Francius conj. *O vigil, hic justæ*, vel *hæc justæ*. Conjeceram *virgo*, quod et Guyeto in mentem venit. Sed quid hic significabit *injustæ* (*invisæ* Leid. 1.) *sortis præmia habere?* Legend. opinor *O virgo, injusti præmia Martis habes*.' Burm. ' Vere, ut opinor, Bassanus *A nece Tarpeiæ*. Nec minus difficultatis habet alter versus. F. *O vigil, injuste præmia sortis habes*. Malis f. cum Guy. *O virgo* scribere, nisi totum distichon viro docto præeunte spurium esse suspicari vis. Sed ita dissimilis sui in hoc libro quinto Propertius est, ut,

NOTÆ

87 *Patriamque jacentem*] Urbem scilicet, ac cives vino somnoque sepultos.

89 *Neque sceleri dedit hostis honorem*] Proditionem scelestam ac nefandam afficere præmio noluit. Honor sæpe pro præmio ac mercede sumitur. Virg. Æn. I. 'Hic pietatis honos,' &c. Tatius igitur Tarpeiæ scelus proditionemque aversatus, ut ostenderet nihil usquam esse fidum proditori, Tarpeiam ipsam congestis armis obrutam interemit, tali quidem supplicio dignissimam.

93 *A duce Tarpeio mons est, &c.*] Mons ille, in quo fuit arx Romana posita, dicebatur primo Saturnius; deinde idem postea dictus est Tarpeius, rupes Tarpeia, saxum Tarpeium, a Spurio Tarpeio arcis præposito, Tarpeiæque, virginis Vestalis, proditricis patre, qui fuerat arcis custos a Romulo selectus; vel, ut alii volunt, ab ipsa Tarpeia proditrice ibidem sepulta; vel a L. Tarpeio, qui Romulo regi adversatus propter virgines Sabinas raptas ibidem pœnas dedit.

94 *O vigil*] Vel Jovem alloquitur, qui ad arces templique sui custodiam vigilaverat, gratulaturque quod pœ-

quæ ab ipso, quæ ab aliis venerint, nunquam facile dicas; et in hoc præsertim Carmine dubia omnia atque incerta sunt. Quare pauca hic diximus verborum compendium facturi etiam in proximo, cujus et argumentum et tractatio omnes ab lectione absterrere debet.' *Lachm.* qui asteriscos posuit in textu ad initia horum vss. *Tarpeia* legisse Guy. testatur Barthius.

NOTÆ

nas sumserit de proditrice; vel ad ipsam Tarpeiam sermonem convertit, qui vigilem servaverat ignem, cujus erat custos; quam dicit habere præmia proditionis, quod ipsi perennis sit fama, sitque de nomine ejus mons appellatus. Denique, vocabulum 'præmia' hoc in loco potest esse ambiguum, adeo ut significet etiam infandi facinoris Tarpeiam pœnas sustinuisse, utpote quæ fuerit ab ipsis, quibus proditionem pacta fuerat, interemta.

ELEGIA V.

IN LENAM.

Terra tuum spinis obducat, lena, sepulcrum,
Et tua, quod non vis, sentiat umbra sitim;
Nec sedeant cineri manes; at Cerberus ultor
Turpia jejuno terreat ossa sono;

O *lena, tumulum tuum sentibus operiat tellus, tuaque umbra sitim patiatur quod tibi minime placet. Manes* tui *in cineribus* tuis *non quiescant, vindexque Cerberus fœtida* tua *ossa sævo latratu terreat*. Illa nempe lena *perita* est *vel Hippo-*

Ad lenam inscribitur in plerisque codd. et edd. antiquis. *Epistola ad Lenam* in Perr. v. c. et Regio: *De moribus et disciplina Acanthidis lenæ* Burm. 1.—2 'Nihil mutant libri: tamen *quod non vis* nescio quo modo suspectum est mihi. Conjici posse videtur olim scriptum fuisse *quod metuis*. Vix est ut dubitem locum fore sanum, si legeris, *Et tua, quam meruit*. Ingeniosior est Heinsii lectio, Not. in Ov. II. F. 572. *Et vetula invisam*. Verum cum paulo licentius abeat a membranis, promiseritque Vir summus dicturum uberius ad ipsum Propertium, sustinebimus assensum.' *Broukh*. 'Non immerito illud *quod non vis*, inconcinnius, et ad elegantiam Propertii non accedere judicabat Heins. Broukh. emendabat, *Et tua, quam meruit*. Minori molimine refingi posset, *Et tua, quod nolis*. A vulgatæ vestigiis nimium recedit Heinsii Advers. I. 2. p. 14. *Et vetula invisam*.' Burm.—3. 4 '*Cedant* Fruterius. Heins. Advers. I. 2. *Nec se dent cineri*. Sed vulg. lect. non sollicitanda. Passerat. recte emendavit, *at Cerb*. quod recepi, quia a Perr. v. c. Colot. et duob. Vat. firmatur, et astipulatur Ask. in quo *sed Cerb*. Passeratium vero legisse *ore*,

NOTÆ

1 *Terra tuum spinis*] Lenam, quam vocat Acanthidem, juventutis corrumpendæ peritissimam, maledictis imprecationibusque oneratam execratur.

Docta vel Hippolytum Veneri mollire negantem,
  Concordique toro pessima semper avis.
Penelopen quoque, neglecto rumore mariti,
  Nubere lascivo cogeret Antinoo.
Illa velit, poterit magnes non ducere ferrum,
  Et volucris nidis esse noverca suis.

lytum invitum reddere facilem Veneri, estque *jugiter ales inauspicatissima unanimi conjugio. Penelopen etiam impelleret, ut spreta* de reditu sui *conjugis fama nuberet Antinoo proterve*. Si *ipsa cupiat, magnes ad se ferrum non attrahet, avisque erit*

ut Gebhardus scribit, in illius Notis non inveni, et *ultor* verissima lectio est. Dein *tergemino sono* maluisse Wassium, notavit Markl. *Terreat ora* male etiam in Exc. Scal. Leid. 2. et Voss. 3.' *Id.* *Et* rectissimum esse pronuntiat Lachm. —5 *Nocte* damnat Burm. quod in Dorv. 1. et suo 2. in quo etiam *molire*. *Moll. vaganti* Exc. Scal.—6 '*Proxima s. avis* Bon. An *prox.* quasi semper instans, insectans? *Avis* quoque Brix. Aldd. cet. *Anus* Dresd.' *Barth.* '*S. anus* in Perr. v. c. Colot. binis Vat. Regio, Borr. tribus Voss. Dorv. 2. et meo 1. Sic etiam edidit Beroald. sed in Venet. 2. Vicent. Rheg. Volsci, ceterisque *avis*.' Burm. *Avis* dant B. B. B. L.—7. 8 *Damnat* Broukh. *marito* vel *marita* Passeratii. '*Penelopen quod* in Voss. 1. forte pro *quæ*, ut volebat Guy. *Maritum* Mentel. *Penelopen maritam* vel *pudicam* Heins. Pro *Antinoo* in Voss. 4. et meo 1. *Alcinoo*. Dorv. 2. *Antimacho* et in marg. *Autolico*. Sed *Antinous* hic intelligitur Penelopes procus.' *Burm.* '*Alcinoo* Vat. *Entinoo* Brix.' *Barth.* —9 *Velud* Mentel. Damnat Burm. *ind. f.* quod in Palat. membr. Mentel. Regio, et pr. edd.—10 *Et v. indis* Burm. 1.—11 '*Cohirias* Guarn. *Noverit*

NOTÆ

5 *Docta vel Hippolytum*] Hippolytus filius fuit Thesei ac Hippolytæ Amazonis, qui cum cœlibem vitam castissime venatione sese exercens duceret, absente patre, a noverca Phædra solicitatus est ad stuprum; cui cum noluisset assentiri, ipsa apud patrem eum accusavit, tanquam sibi vim inferre voluisset. Unde patrem sibi videns indignatum Hippolytus, curru conscenso fugam arripuit. Cumque ad littus maris pervenisset, a phocis equi perterriti currum per scopulos et saxa traxerunt, miserumque Hippolytum loris implicitum varias in partes discerpserunt. Dicitur autem lena adeo callida, vafra, et perita, ut Hippolytum etiam castissimum, ac pæne mulierum osorem, posset ad libidinem inducere.

6 *Concordi toro pessima avis*] Nonnulli legunt *pessima anus*; sed *avis* optime convenit; nam conjugio lena semper est avis infaustissima. Videtur autem alludere ad solitariæ cornicis occursum, qui veteribus ominis sinistri in nuptiis habebatur.

8 *Antinoo*] Antinous fuit unus e Penelopes procis, quem Homerus superbum fuisse, ac primum omnium ab Ulysse, postquam domum rediisset, occisum narrat. Vide Od. XVII. et XXII.

10 *Nidis esse noverca suis*] Hoc in loco nidus est fœtus avium, quibus avis mater potest esse suis pullis infesta, ut solet esse suis privignis noverca.

Quippe et Collinas ad fossam moverit herbas,
  Stagnaque currenti diluerentur aqua.
Audax cantatæ leges imponere Lunæ,
  Et sua nocturno fallere terga lupo.
Possit ut intentos astu cæcare maritos,
  Cornicum immeritas eruit ungue genas.

infesta pullis suis. Si *etiam Collinas herbas ad fossam moverit, quæcunque solida consistunt, aqua liquida manabunt. Ausit* etiam *cogere Lunam excantatam sibi parere, suamque formam tegere lupo noctu vagari solito. Possit etiam maritos quamvis perspicaces calliditate sua ac malitia cæcos reddere. Cornicibus innocentes ocu-*

Brix.' *Barth.* '*Ut Collinas* Perr. v. c. et Vat. 1. *Ad Collirias* Voss. Ask. *Coltrinas* Borr. *Noverit* in Regio, Dorv. 2. et Borr. *Noverit hebras* in meo 1.' *Burm.*—12 '*Stagnaque* Ald. 2. al. haud dubie e glossa. *Stantia* quoque præferunt Heinsiani libb. et Dresd. cum plerisque. Hæc possunt esse stagna et paludes: sed et in genere omnia solida, ut planities terræ, arva, segetes, cet. Arva repente in aquas, flumina, lacus converterentur, si moverit herbas Collinas &c.' *Barth.* '*Stantia* Neap. Borr. Groning. Mentel. Exc. Scal. et alii codd. cum prr. edd. quod recepit Broukh. et exponit, arboris frutices, ac segetes crescentes, et supra terram stantes, quæ subitis imbribus ad interitum dantur; et sic fere Passerat. qui explicat: Extantia, excelsa perfunderentur fluviis retro ascendentibus. Sed idoneis optimi ævi exemplis astrui vellem, *stantia* hac notione simpliciter sic dici, et sic præstaret *diruerentur.* Sane *stantia* legitur in prr. edd. Venet. 2. Vicent. Rheg. Volsci, Ber. Ald. 1. Junt. et Colin. sed in Ald. 2. *Stagnaque*, ut in Gryph. 1551. 1573. Rouill. 1559. Antverp. Plantin. 1560. et 1569. aliis. *Stantia* in edd. Douss. et Scal. Heins. Advers. I. 2. p. 18. emendabat: *Quippe ut Collinas ad fossam admoverit h. Stagna et c. deficiantur a.* vel *Collinas ad fossam civerit umbras, Saxa in currentes dissolventur aquas.* Præ ceteris conjecturis f. præstiterit: *Quippe ubi Coll. ad fossam admoverit h. Stagna a currenti d. a.*' Burm.—13 '*Linguæ* pro *Lunæ* in marg. Ask. Amplector emendationem Valcken. in Ep. Crit. ad Matth. Roner. p. 55. *Ausa excantatæ.*' Id. Hoc non debuisse tentare Valcken. pronuntiat Lachmannus.—15 'Sententia exigit *Possit ut.*' Broukh. '*Posset et* Bon. Guarn. Dresd. rel. omnes, etiam impressi, cum τελείᾳ στιγμῇ in fine versus. Qui contra ad seq. versum hæc trahunt, τὸ *et* in *ut* mutant; sensu utique tum postulante. *Possit ut* est a Guy. *Asta certare* Guarn. *Certare* etiam Brix.' *Barth.* '*Posse et* Leid. 2. tres Voss. Dorvv. et meus uterque cum vetustis edd. *Possit ut* Perr. v. c. et duo Vat. *Posset et ra tentos* in Mentel. An voluit librarius: *Posset et iratos?* vel *attentos?* In Ask. *Posset et intectos arcu:* sed *intentos* bene se habet. Pro *cæcare* male in Regio

NOTÆ

11 *Collinas ad fossam herbas*] Gravis est de hoc loco, valdequidem obscuro, inter scriptores concertatio. Alii volunt sensum esse, ut tanta sit virtus magicæ lenæ istius, ut possit fontes et flumina herbis montanis inducere. Alii intelligunt hæc de *fossa magica*, de qua Horat. Epod. v. et Sat. I. 8. Alii 'Collinas herbas' interpretantur, quæ nascuntur ad portam Collinam, ad quam Vestales incesti seu stupri convictæ in fossa vivæ defodiebantur; ut testatur Festus in verbo *sceleratus campus*.

13 *Audax cantatæ leges imponere Lunæ*] Non veretur etiam Diis ipsis astrisque magicis suis cantionibus vim inferre, legesque imponere.

15 *Cæcare maritos*] H. e. calliditate sua et astutia cæcos reddere maritos,

Consuluitque striges nostro de sanguine, et in me
Hippomanes fœtæ semina legit equæ.
Exornabat opus verbis, ceu blanda pererret,
Saxosamque terat sedula lympha viam:

los unguibus effodit, et consilium petiit a strigibus de mea cæde, præripuitque in meum exitium Hippomanes virus equæ nuper *enixæ. Opus* suum *blandis vocibus fucabat*, ut *dictis delenificis amore incendat*, quas velit, *et scelus diligens per iter lapideum*

certare.' Burm. *Posset et* rectum censet Lachm. *Possit ut* dant B. B. B.—16 '*Emeritas* e sola conj. edidit Broukh. sed recte *immeritas* prætulit Patruus meus ad Nemesian. 195.' *Id.*—17. 18 '*Consuluit striges* male in Mentel. et Dorv. 2. Dein *Hippomenes* in Neap. Leid. 1. et Voss. Dorv. et meo 2. *Hippomones* Dorv. 1. *Hippomenes fœta semita legit aqua* Borr.' *Id.*—19 '*Exorabat* libb. fere exhibent, Guarn. Dresd. Brix. Venet. *Exorabit* Ed. pr. *Seu bl.* al. v. c. Morell. *Peruret* Guarn. Dresd. Ed. pr.' *Barth.* 'Locus obscuritate perplexus. *Exorabat* in Regg. Neap. Groning. Leidd. tribus Voss. Dorvv. et meis, edd. Venet. 2. Rheg. Volsci, et Ber. Gryph. 1561. et 1573. et Canteri. *Exornabit* Vat. 2. *Exorabit* Perr. v. c. Exc. Scal. Vat. 5. Ask. et Vicent. sed *Exornabat* Aldd. Junt. Colin. Gryph. 1551. ceterisque edd. quæ vera lectio est, licet *Exorabat* nauci non esse putaverit Broukhusius, neque etiam Passerat. *seu blanda* est in edd. priscis usque ad Ber. *Peruret* in Exc. Scal. Borr. Ask. Leidd. Voss. 1. 4. Dorv. 1. et meo. *Præiret* Perr. v. c. et duo Vat. *Perruerat* Neap. *Periret* Voss. 3. et Dorv. 2. *Pararet* conj. Livin. *Ceu blanda pererrat* tentabat Wakker. in Amœn. Lit. cap. 12. p. 104. *Pererret* emendabat Struchtmeyer. Animadv. Crit. II. 12. p. 165. cui *perurat* ideo corruptum videtur, quia obscurum est, quo referatur. Requiritur certe vox, quæ cum τῷ *perurat* jungatur; manifestam enim comparationem exigit locus, quid perurat lena. Equidem igitur legerem *ceu* (vel *ut*) *corda perurat.*' Burm. '*Exornabat opus*] *Exorabat* codd. et *ferat* pro *terat.* Cetera vide an Nasonis Ep. XVII. 146. hoc vindicare possit.' *Lachm.*—20 '*Ferat* Dresd. Posth. Brix. *Feras* Guarn. *Terit s. lympha viam* Wakkerus felici emendatione, et digna, quæ cum anteced. in textum recipiatur, dum minimum recedit a literarum ductibus in vulgg. express. sensumque parit facillimum in loco adhuc obscuro. *Lympha* quoque legitur in Franc. 1. et in Borr. ad quod non attendendum pronuntiaverat Broukhusius. Aliter visum Wakkero. Ceterum Guyeto totum distichon spurium videbatur, qui putabat Elegiam esse mutilam, et cum vs. 21. novam esse incipiendam, cujus desideretur initium.' *Barth.* 'Neque hic versus a corruptela immunis est. *Ferat* in omnibus codd. meorum Excerptt. et prr. ante Ber. edd. *Saxosa facit* Dorv. 2. Dein *sedula turba* in Colot.

NOTÆ

eosque ita deludere, ut quod viderent, putarent se non videre.

16 *Cornicum eruit genas*] Proverbium est de astuto eluso a callidiore, 'Cornicum oculos configere.' Genas posuit pro oculis, ut etiam III. 12. 'Exustæque tuæ mox, Polypheme, genæ.'

17 *Consuluitque striges*] A strigibus exploravit, quid esset eventurum. Striges aves sunt quibus uti solebant magæ in veneficiis. De strigibus dictum est ad III. 6. 29.

18 *Hippomanes*] Esse dicitur caruncula in fronte equini pulli caricæ magnitudine, colore nigro, quod statim edito partu equa devorat enixa, aut si quis præripiat, partum ad ubera non admittit.

20 *Sedula lympha* [*culpa*] Intelligitur vel ipsa lena, quæ culpam stuprumque suadet, vel puella lenæ

Si te Eoa, Doroxanium, juvat aurea ripa,
Et quæ sub Tyria concha superbit aqua;

curret. Si te, o Dorixanium, aureum littus Eoum delectat, ac concha, quæ mari

---

Vat. 5. et Voss. 4. *Sedula copa* vel *subdola copa* placebat Heinsio in Advers. I. 2. p. 18. et in Notis p. 748. quam emendationem palmariam vocat Struchtmeyer. in Animadv. Crit. *Sedula* autem firmatur Ovidii et Tibulli locis, quæ in Adversariis affert Heins.' *Burm.* Kuinoeli legend. videtur *blanda pererret* ... *terat sedula lympha viam.* *Culpa* dant B. B. B.—21 '*Dorixanium* Scaliger. *Doroxanium* verum esse puto. In Groning. perspicue extat, *Doroxantum:* ubi, si *t* mutaveris in *i*, habebis rem factam.' *Brouk.* '*Si te eoa doroxantum j. a.* Bon. *Doroxantum* Palat. et C. Com. *Dororantum j. a.* Dread. *Si te deroratum eoa juvat* Guarn. *Juvat derorantem au.* ed. Brix. et Venet. *Debatarumque au.* Grasseri. *Dorixanum* Morell. *S. t. e. j. Dorozantumque* Ald. 2. Gryph. *Doroxantum* ed. Mur. *Dorozantum au. r.* Long. et cum Beroaldo pro Indiæ populis capit: sed apud Curtium, ad quem provocat Beroaldus, ne γρῦ quidem de his populis. Interim satis confidenter interpres Gallicus in Notis p. 596. *Ces Peuples, situés dans l'Inde, étoient renommés chez les Anciens, comme une Nation très-riche en or et en pierres précieuses de toute espece.* Quid amplius desideres, humanissime lector? *Doroxanium* Turnebi plurimis arrisit, iisque doctissimis viris, cum jam ante Scaliger *Dorixanium* tanquam ὑποκοριστικὸν puellæ recepisset; quod Grævius retinuit et cum eo Lond. Heinsius, campum nactus, in quo exerceret ingenium, varie legit: *Seu t. E. j. seu t. j. a. r. Seu te Eoa, Tagi seu te, cet. Si te dona Eoa juvant, juvat aurea rica. Si te concha Eoa juvat.* Ohe jam satis est! 'Protea poeticum' virum doctum scribere voluisse credas non injuria.' *Barth.* '*Dorozantum* Perr. v. c. Vat. 1. 2. *Si te Coa derorantem j.* Mentel. In aliis *deroratque* vel *decorantemque.* In Regg. *Si te Eoa j. derorantem aurea r.* ut editum in Venet. 2. Vicent. Rheg. et Ber. *Si te æoa doroxanthum j.* Groning. *Si te Eoa dorisantum j.* cod. Scal. *Sed te Eoa* Voss. 4. deficiente voce seq. et relicto hiatu. *Si te Coa derorantem* Leid. 1. *Dorogantum* in Voss. 3. *Derorantum* Voss. I. et Dorv. 1. *Decoratum* in meo 1. *Decorantum* in 2. Dousa P. editioni Rouill. ascripserat, Auratum legere *Si te Eoa juvat Nabatharumque aurea ripa,* idque ex vet. cod. in quo *Dubathanumque* occurrebat, ut Indos intelligat. In Volsci ed. *Si te Eoa juvat debarumque,* ut in Notis legend. dicit. *Debatarumque* in Ald. 1. Junt. Colin. *Dorozantumque* Ald. 2. Gryph. Canteri, aliis (*Doroxantumque* in Rouill.) quod in nonnullis codd. haberi testatur etiam Beroald. scribens *Dorozantes* esse Indiæ populos, ubi aurum vehunt flumina, ad Curtium provocans. Sed nihil tale ap. Curtium nec ap. Arrianum invenitur. Turnebus legit *Si te E. Doroxanium* [quod et in B. B. B. L. Vulp. et Burm. edit. legitur] vel *Doroxaniam; Doroxantum* vero improbat. Turnebi emendationem probat Gebhardus. Scaliger legebat *Dorizanium.* Forte in scriptura cod. Voss. 3. *dorogantum* latet ipsius Gangis auriferi Indiæ fluvii nomen, ut legend. sit *Si te Eoa avidam Gangis j. a. r.* vel *Si te Eoa avidam doni juvat a. r.* ut Ganges subintelligatur, et ex *Doroxanium* vel *dorogantum* transpositæ mutentur syllabæ; sed prius præfero.' *Burm.* '*Doroxanium* a Turnebo est, sed vix verum. Neap. *Doro-*

NOTÆ

blandis verbis ac lenocinio corrupta, quæ ultro citroque commeat ad amatores.

21 *Eoa ripa*] Maris Indici seu Orientalis littus, in quo aurum gemmæque colliguntur.

Doroxanium] Puellæ corruptæ nomen, ut Acanthis lenæ. Alii porro legunt *Doroxantum*, voluntque Doroxantes Indiæ populos significari, apud quos aurum copiose dicitur effodi.

Eurypylisque placet Coæ textura Minervæ,
 Sectaque ab Attalicis putria signa toris;
Seu quæ palmiferæ mittunt venalia Thebæ,
 Murrheaque in Parthis pocula cocta focis;
Sperne fidem; provolve Deos; mendacia vincant;
 Frange et damnosæ jura pudicitiæ.

Tyrio gloriatur; et Eurypyli Minervæ Coa textura tibi placet, ac signa putrida e lectis Attalicis avulsa; sive etiam illa omnia, quæ pretio vendunt Thebæ palmis inclytæ, sive crateres murrhini in caminis Parthicis ficti; nullam habe fidei curam, Divos proculca, fraudes, doli, perjuria regnent, discedant jura pudicitiæ damnosa.

zantum; alii aliter. Quære, si libet. Mihi tanti non est.' *Lachm.*—23 '*Testura* Posth. pronunt. Ital.' *Barth.* '*Euripidique* Exc. Mod. *Placent texure* Ask. *Choæ* Neap. meus uterque. Sed mira locutio, *textura Min. Coæ Eurypyli*, levi mutatione Heinsiana Advers. I. 2. p. 19. corrigenda: *Eurypylisque.*' Burm. *Eurypylique* dant B. B. B. L.—24 *Textaque..tori* Venet. ap. Barth. *Textaque* in Perr. v. c. Colot. duob. Vat. et Regio, ut correxit Markl. Heins. conj. *Netaque in Attalicis*, aut *Lectaque ab Att. putria vela toris.* —25. 26 '*Quæ* Dresd. *Vitralia* Guy. *Myrrheaque* Dresd. *Pocla coacta suis* Salmas. in Solin. T. I. p. 267. ex fide vett. libb. sed neque Broukhusii libri neque nostri tale quid agnoscunt.' *Barth.* Broukhusii verba sunt: '*Pocla coacta suis*] Salmas. ex fide vett. libb. qui non *focis* habeant, sed *suis*. At nos in nullo libro istud *suis* invenimus.' '*Quam* in Leidd. Voss. 3. 4. Ask. et priscis edd. sed *quæ* in Perr. v. c. Colot. duob. Vat. et Dorv. 2. a m. sec. ut legend. monuit Livin. *Quem* Voss. 1. *Qui* in meo 1. Deinde *Muricaque* Exc. Scal. *Aureaque* Borr. Hofmann. Var. Lect. III. 29. *suis* affert pro *focis*; sed *focis* constans omnium libb. lectio est.' *Burm.*—28 'In vulgatis est *Cedant damnosæ*: unde falso Passeratius credidit τὸ *Frange* esse glossema τοῦ *Cedant*. Omnes libri huc alludunt, et vel *Frangent* habent, vel *Franget*. In Groning. claris literis legitur *Frange et damnosæ*: quo modo jam olim emendaverat Lipsius II. Ant. Lect. 20. Admodum jucundus est Gebhardi conatus refingentis, *Cæde et damnosæ dura p.* Talium ingeniorum labor debebat consistere intra diligentiam contendendi inter se membranas vetustas, neque pennas extendere majores nido: nocent enim, dum volunt juvare.' *Brouk.* Hanc emend. damnat Burm. et duriusculam vocat Barth. qui addit: '*Frangent* Guarn. Dresd. Brix. *Franget* Vat. *Frange et* Palat. membr. *Frangeat* Ed. pr. *Cedant d.* edd. Venet. Aldd. Mur. rel. *Damnosæ cedant* Colin.' et in Addendis: '*Frangent* Venet. Brix. Rheg. *Cedant* Ber.' '*Franget* in Leid. 2. Voss. 4. et meo 1. *Frange et* Perr. v. c. Vat. 1. 2. Exc. Scal. *Frangent* Neap. Borr. Voss. 1. et 3. meusque 2. et Venet. 2. Rheg. et Volsci. *Frangeat* Dorv. 1. h. e. *Frange at. Frange ac* Vicent. *Frange age* conj. Heins. *Cedant* vel

NOTÆ

23 *Eurypylisque* [*Eurypylique*] *placet Coæ Minervæ*] Eurypylus regnavit in Coo insula, locisque vicinis. De Cois vestibus dictum est affatim pluribus in locis, ut ad Eleg. 2. hujus libri vs. 23. 'Minerva Coa' dicitur artificium texendi, cui præest Minerva. Virg. Æn. VIII. 'Tolerare colo vitam tenuique Minerva.'

25 *Palmiferæ Thebæ*] Thebas urbem Ægypti denotat, cujus ager palmis abundat.

26 *Murrheaque pocula*] Murrhea seu Murrhina pocula ex Parthorum maxime provinciis Romam advehebantur, ubi maximo erant in pretio.

Et simulare virum pretium facit: utere causis:
  Major, dilata nocte, recurret amor.
Si tibi forte comas vexaverit utilis ira,
  Postmodo mercata pace premendus erit.
Denique, ubi amplexu Venerem promiseris emto,
  Fac simules puros Isidis esse dies.
Ingerat Apriles Iole tibi: tundat Amycle,
  Natalem Maiis idibus esse tuum.

Atque etiam fingere maritum adesse, quæstum facit: excusationes semper adhibe: dilata nocte, acrior statim redibit amor. Si forsan amatoris ira tibi utilis capillos dissolverit, mox ille tibi dato pro pace pretio premendus erit. * *

Cædant in Ber. Aldd. Junt. Colin. Rouill. Gryph. Canteri, aliis.' *Burm.* Nostram lect. dant B. B. B. L.—29. 30 '*Clausis* Brix. Ald. 1. Colin. cett. *Causis* Ald. 2. *Recurrat* Posth. *Returrit* Guarn.' *Barth.* 'Heins. conj. *simulare metum*, nempe ne maritus superveniat; quo sensu et vulgarem lect. *simulare virum* adventurum, capere possumus. Nec necessaria altera Heinsii emendatio, *exstimulare virum* Advers. I. 2. vel *Et simulare iram* N. Prop. p. 748: Idem in Ald. ed. ora conj. *pretium dabit*. Vitiose in cod. Heins. *pretium fecit*. In meo 1. *urere*. *Utere clausis* et mox *decurret* male in priscis edd. Pro minore versu in Dorv. 1. locum occupavit vs. 56. *Delata* Mentel. *Recurrat* Dorv. 2.' *Burm.* 'Recte videtur Heins. corrigere, *Et sim. iram.* Eoque etiam minus in sequentibus distinguere velim cum Groning. *Si tibi forte comas vexaverit, utilis ira*. Quæ distinctio *est* in fine adjici postulat.' *Lachm.*—31 Distinct. jam memoratam fovet Burm. et Heinsio placebat Advers. I. 2. 19. qui voluit *u. ira est*. Non dant B. B. B. L. *Ora* Voss. 3. quod damnat Burm.—32 *Tempus emendus* Guarn.—33 *Antro* pro *emto* Voss. 1: corrupte, judice Burm.—34 '*Fac puros simules* Dorv. 1. *Fac puros . . . sideris esse Deos* in meo 2. relicto hiatu. *Similes* in Neap. Borr. meo 1. et vetustis edd. *Sideris* in omn. codd. atque edd. priscis ante Ber. qui primus *Isidis* legend. esse recte monuit. Male enim Volscus notavit, translationem a sereno Sole esse. *Isse dies* ex codd. Passeratii Guy.' *Burm.* *Isidis* rectum censet Lachm. et legunt B. B. B. L.—35. 36 '*I. A. idus tibi, juret A.* vel *Iole, prætendat A.* vel *munda et A.* vel *mandet A.* Heins. *Fingat A.* Wakker. Amœn. Lit. p. 104. Non inepte

NOTÆ

29 *Simulare virum pretium facit*] Lucrosum est fingere apud amatorem quod maritus domi adsit, et ideo ipsum admitti non posse: hoc enim amatorem magis incendit, qui ideo largius dabit.

Utere causis] Semper est aliquid causandum, semper aliqua causa seu excusatio afferenda. Causa hoc loco idem est quod Gallice dicitur, *défaite, ruse, &c.*

33 *Amplexu emto*] Gaudiis vel muneribus vel pecunia mercatis.

34 *Puros Isidis dies*] Finge te operatam Sacris Isidis, ac secubare. 'Puri dies' dicuntur Isidis, h. e. casti, pudici, sancti, religiosi, quod per hos, ut et certis quibusdam rebus, ita et Venere abstinendum esset: tunc enim, cum fœminæ Sacris Isidis ac Veneris operam dabant, a viris secubabant. Tibull. II. 1. 'Vos quoque abesse procul jubeo, discedite ab aris, Queis tulit hesterna gaudia nocte Venus.'

35 *Ingerat Apriles Iole tibi*] Lena docet artes, quibus puella ab amatoribus munera solerter extorqueat.

Supplex ille sedet: posita tu scribe cathedra
Quidlibet. Has artes si pavet ille, tenes.
Semper habe morsus circa tua colla recentes,
Litibus alternis quos putet esse datos.
Nec te Medeæ delectent probra sequacis:
Nempe tulit fastus ausa rogare prior.
Sed potius mundi Thais pretiosa Menandri,
Cum ferit astutos comica mœcha Getas.

etiam *fundat* ferri potest. *Condat Amiclæ* Brix.' *Barth.* '*Tibi tendat* in uno Vat. *Tendat emincle* in Dorv. 1. et meo 2. *Condat* in marg. ed. Ald. ascripserat Perreius. Heins. in ejusd. lib. ora conj. *I. A. Iole, contendat Amycle*, vel *et addat Amycle*. In N. vero Prop. p. 249. *prætendat Amycle*, vel *I. A. Idus tibi, jurat Amycle* aut *mandet Amycle;* ex quibus conj. præferrem *contendat Amycle*, quia id a Vat. 4. firmatur. Eld. suis ad me literis legebat *I. A. Iole: te obtundat Amycle*. In omn. fere codd. *malis Idibus* corrupte: sed in Voss. 1. 4. recte *Maiis*.' Burm. *Malis* damnat et Lachm. *Maiis* dant B. B. B. L.—37 '*Ille aderat* Heins. infeliciter. Actus sedendi multo efficacius.' *Barth.* '*Ille adeat* [cf. Barth.] male Heins. In Voss. 3. *tu sede* vitiose.' *Burm.*—38 *Quilibet* Dresd. Burmm. *Quid libet* priscæ edd. *Quod libet* Voss. 1. 3. et sic Gebh. *Paves* pro *tenes* Voss. 1. *Ipse* 3.—39 '*Circum* Dresd. Recte, de loco. Sed sæpe confunduntur hæc vocabula. *Jacentes* Guarn.' *Barth.* '*Circa* edidit Broukh. ut in vetustioribus edd. sed *circum* euphoniæ causa prætuli ex Voss. 3.' *Burm.* *Circa* rectum pronuntiat Lachm.—40 '*Rictibus* vel *Lusibus* Guy. Prius non sapit elegantiam Franco-gallorum nostræ ætatis. *Dentibus alterius* Heins. *Quo* Palat. 1.' *Barth.* *Alterius* Perr. v. c. tres Vat.—41 '*Nec* Posth. Brix. Venet. quod Broukhusio præplacet. *Non* cett. libb.' *Barth.* '*Nec* Colot. Neap. Vat. 1. Heinsian. Voss. et reliqui. *Non* in plerisque priscis edd. *Delectant* Ask.' *Burm.*—42 *Negare* damnat Burm. quod in Mentel.—43 '*Blandi* unus Reg. pro *mundi*. Male. Recte porro dicitur

NOTÆ

Fac, inquit, ut Iole, et Amycle, quæ sunt ancillarum nomina, sæpius ingerant tibi recolantque Calendas Apriles, tuumque diem natalem Idus esse Maias, quia nimirum diebus illis munera mitti solebant. Unde Virg. 'Munera mitte mihi; meus est natalis, Iolla.' Idibus etiam Maiis natus dicitur Mercurius. Martial. 'Maiæ Mercurium creastis Idus.' Mirum est a Propertio hoc in loco fuisse præteritas silentio Kalendas Martias, quæ Juvenali dicuntur fœmineæ: 'Munera fœmineis tractas secreta Kalendis.' Ovid. Art. I. 'Sive dies suberit natalis, sive Kalendæ Quas Venerem Marti continuasse juvat.'

39 *Semper habe morsus*] Livores intelligit, quos mordicus impresserit amator. Sic etiam Ovid. 'Ille viri videat toto vestigia lecto, Factaque lascivis livida colla notis.'

41 *Medeæ probra sequacis*] Noli, inquit, convicia maledictaque probrosa jactare in amatorem, quibus libidine furens Medea usa est in Jasonem; sed potius adhibe blanda verba, quibus Thais a Menandro celebrata, ad servos amatorum mitigandos, utebatur. Vel sensus est: noli tu prior rogare amatorem, ut fecit Medea, quæ prius est Jasonis amore succensa, quam ipse de illa amanda cogitaret: unde meruit per contemtum a Jasone repudiari.

43 *Thais pretiosa*] De Thaide me-

In mores te verte viri: si cantica jactat,
 I comes, et voces ebria junge tuas.
Janitor ad dantes vigilet: si pulset inanis,
 Surdus in obductam somniet usque seram.

Thais *pretiosa*. Beroaldi *prædosa* non placet. Minus multo Gebhardi *spatiosa*.' Broukh. '*Blandi* Venet. *Spatiosa* membr. Palat. *Speciosa* conj. Heins. et sic Bon. et membr. Palat. Broukhusius in octo libb. *pretiosa* invenit, quomodo et mei omn. habent.' *Barth*. '*Speciosa* in Perr. v. c. duob. Vat. Exc. Scal. Leid. 2. Voss. 1. 3. et Dorv. 2. quod cum in suis codd. quoque reperisset Gebhardus, male conj. *spatiosa*. *p̃dosa* in Dorv. 1. i. e. *prædosa*, ut clare in Vat. 1. quod in aliis codd. etiam a se inventum placuit Beroaldo, sed recte Broukh. vulgatum tuetur. Markl. emendavit *Sis potius*. Dein pro *mundi* male Reg. *blandi*, et pejus *nudi* in uno Vat. *Meandri* vitiose Voss. 3.' *Burm*. Nostram lect. dant B. B. B. L.—44 '*Comis amica* Guy. Gallica urbanitate. *Meccha* Venet.' *Barth*.—45 'Ita omnes libri: neque obstat Latinitatis ratio. Tamen verior mihi lectio videtur, quam reponit Heinsius ad Ov. Rem. Am. 334. *si brachia j.* ... Non possum quin ambabus manibus amplectar bellissimam Viri magni emendationem.' *Broukh*. '*Cantica* omn. libb. teste Broukh. et sic quoque mei, præter Gött. *Brachia* in context. recep. Broukh. reclamante Vulp. *Cantica jactare* dicitur ut II. 8. 16. 'verba superba jacere.'' *Barth*. '*Morem* Voss. 3. *Tu v.* Voss. 4. *Brachia* a nullo cod. aut ed. vetusta confirmatur. *Cantica* defendunt etiam et probant Markl. Cuningham. in Horat. Bentl. p. 254. Boltius Sylv. Crit. p. 80. et Vulp. [et Struchtmeyer. p. 157.]' *Burm*. *Cantica* defendit Lachm.—47 '*Pulsat* Leid. 2. Voss. 3. Legend. videtur *ad dantem*, nempe amatorem, si grande ferat pretium; nisi *dantes* studio dixerit, ut divites et munificos numero plures admitti innuat, *inanem* vero vix unum et alterum.' *Burm*.—48 'Pro *obductam* lego e Voss. 4. *abductam*, non vero cum Heins. *adductam*. Markl. *in obducta sera* intelligebat pro, obducta sera; vel, ad aut juxta seram obductam.' *Id*. *Obductam* dant

NOTÆ

retrice Atheniensi supra dictum est. Dicitur autem 'pretiosa,' quia grande pretium exigebat ab amatoribus.

44 *Comica mœcha*] Dicitur, quæ in comœdiis inducitur.

Ferit astutos Getas] Deludit, emungit, malo dolo et damno afficit versutos Getas, h. e. servos, ut dicitur III. 3. 'Qui volet austeros arte ferire viros.' Geta porro et Davus apud Comicos nomina sunt servorum, ut Lydus, et Syrus, qui ita dicebantur a nominibus populorum ex quibus erant oriundi; ut testatur etiam Strabo lib. VII. Donatus in Adelph. 'Infidelis servus in comœdiis vel Syrus vel Geta.'

45 *In mores te verte viri*] Gere morem amatori. Morum enim similitudo, ac morigeratio conciliat amorem.

47 *Janitor ad dantes vigilet*] Janitor excubet ac paratus sit fores aperire dantibus, et quibus manus fœcundior ac gravior siet: ut ait Plautus. Si vero quis inanis, cui manus sunt steriles, qui nihil affert, fores pulset, tunc idem janitor occlusa semper sera foribusque obstructis dormiat. Tibull. I. 5. 'Heu canimus frustra, nec verbis victa fatiscit Janua, sed plena [nummis] est percutienda manu.' Unde et illa apud Plaut. in Pseud. I. 3. 'CA. Nihilne te mei miseret? BA. Inanis cedis.' 'CA. Ecquid te pudet? BA. Ted amatorem inventum esse inanem, quasi cassam nucem?'

Nec tibi displiceat miles non factus amori,
Nauta nec attrita, si ferat æra, manu;
Aut quorum titulus per barbara colla pependit,
Cretati medio cum saluere foro.
Aurum spectato, non quæ manus afferat aurum.
Versibus auditis, quid, nisi verba, feres?

Auri rationem habeto, non curans *qualis manus aurum offerat; carminibus auditis,*

B. B. B. L.—49 'Passerat. e suis profert *modo factus*: quæ etiam lectio est Groning. ac Borr. Non displicet vulgata. Tamen et istam tueri possis collatione Ov. III. Amor. 8.' *Broukh.* '*Non f.* Dresd. ut et sinceriores edd. Brix. Venet. Vulp. Gött. *Modo f.* Aldd. cett.' *Barth.* '*Non tibi* v. c. Frut. *Modo f.* Perr. v. c. Vat. 2. *Non f.* Heinsian. Mentel. Voss. Palatt. et C. Com. et edd. priscæ.' *Burm.* *Non f.* dant B. B. B. L.—50 'Scribe *neque att.* librariorum in talibus negligentium nulla ratione habita.' *Lachm.* qui multa de hac emend. loquitur.—52 '*Cretati* ante Passeratium in mentem venerat Jano Durantio Casellio I. Variar. 10. omnino recte. Alii '*gypsatos*' dixerunt, quod tantundem valet. Huic emend. alicubi calculum suum adjecisse scio Gronovium. J. Rhodius *cælatos* exponit, cauterio inustos, ad Scribon. Larg. p. 310. quod huic l. bene ut conveniat, vix mihi patior persuaderi.' *Broukh.* '*Celati* veteres libri, ed. Brix. Venet. et Colin. *Cælati* Ald. 1. et Cant. *Cælati* Dresd. Ald. 2. Mur. Græv. Vulpii edit. qui Scaligero sunt *σεσημασμένοι*, signati, creta in pedibus notati; Rhodio vero et Vulpio cauterio inusti, stigmatiæ. Sed, quoniam tales fugitivi vix prostabant cuipiam, sed in ergastula detrudebantur, magno opere sese commendat emendatio Passeratii: *Cretati* edit. Gött. probata. *Calati*, *Clamati*, *Elati*, *Venales* commendabat ex ingenio suo Heins. *κατόπιν ἑορτῆς*. *Saluere* Dresd.' *Barth.* 'Pro *Cretati* in omn. fere codd. et edd. antiquis legitur *Cælati* vel *Celati*. Perperam *Elati* legend. videbatur Heinsio ad Val. Fl. II. 270. et Advers. I. 2. p. 20. qui præterea N. Prop. p. 749. conjecit *Calati* vel *Clamati*, aut denique *Venales*. In Voss. 1. *silvere*. In Neap. Leid. 2. Voss. 3. 4. Dorv. 2. *saluere*, quod prætuli pro *saliere*, ut edidit Broukh. et passim in aliis locis Vett. probarunt VV. DD. Rhodius servos *cælatos* exponit: cauterio inustos; quod huic l. non convenire recte censet Broukh. Broukh. edidit *Cretati*, ut in ed. Græv. etiam correxerat Markl. quod firmare potest Juvenal. I. 111.' *Burm.* *Cretati* optimam correct. vocat Lachm.—54 'Post hunc vs. in Bon. Guarn. Dresd. Ed. pr. et Brix. sequitur distichon ex I. 2. 1. 'Quid juvat ornato,' cet. nimirum ad oram paginæ a quopiam hic appositum, illustrandæ vocis Coæ (vs. 55.) gratia, oscitans librarius in contextum invexit.' *Barth.* '*Feram* in Voss. 3. Post hunc vs. in Perr. v. c. Exc. Med. Voss. Reg. 2. Askew. meo utroque et priscis edd. inseritur primum distichon I. 2. sed *Coa veste novare sinus* legitur in Perr. v. c. *Tenere* in Regio et edd. priscis. Id autem inde provenit, quia hic Coæ vestis mentio.' *Burm.*—

NOTÆ

49 *Nec tibi displiceat miles*] Præcepta sunt infamis lenæ, quæ puellam docet neminem a se excludendum esse, quicumque ille sit, qui stipem, aut æs, seu pretium afferat, etiamsi sit nauta, miles, vel etiam gladiator, servus, ac mancipium, cui pendeat e collo titulus regionis, artis, et pretii.

52 *Medio cum saluere foro*] Mancipia, dum venalia prostarent, in foro saltare ac discurrere circum turbam solebant, ut qui, qualesque essent, cognoscerentur.

Qui versus, Coæ dederit nec munera vestis,
Istius tibi sit surda sine arte lyra.
Dum vernat sanguis, dum rugis integer annus,
Utere, ne quid cras libet ab ore dies.

quid præter inania *verba referes?* *Qui* tibi solummodo *carmina dederit, non vero dona vestis Coæ, istius tibi sit cithara rudis et indocta.* *Dum* tibi *calet sanguis, dum ætas* tua *rugis est immunis, utere: ne dies ullus prætereat amore vacuus.* *Ego con-*

55 *Quid* Dorv. 1. *Chos* Guarn. *Dederat* Voss. 3. *Ne m.* Voss. 1. *Vesti* legend. opinatur Broukh. qui recte addit, consente Burm. vulgatam ferri posse.—56 '*Ipsius . . sine arte*] Melius Groning. *Istius . . sine ære:* neque Scaligero displicebat.' *Broukh.* '*Ipsius* edd. Brix. Venet. Aldd. Scal. cett. *S. arte* Dresd. Brix. Venet. Aldd. cett. *S. ære* edd. Vulp. Gött.' *Barth.* '*Istius . . arte* reposui ex Borr. Voss. 1. 4. meo 1. et omn. edd. vetustis, licet *ære* ediderit Broukh. ut in Palat. 1. et C. Com. idque dedit in sua ed. Canterus. *Ære* etiam in Perr. v. c. Colot. Vat. 1. 2. et Neap. Ask. *ere.* Sed *arte* recepi, quod veram lect. esse affirmat quoque Wakker. Amœn. Lit. p. 105. *Aure* Mentel. *Aura* Leid. 1. *Ipsius* in omn. fere codd. et edd. priscis. Cet. in Dorv. 1. hic vs. locum suum mutaverat cum secundo huj. El. versu; ubi hunc non minore librarii incuria habet insertum.' *Burm.* *Ære* rectum esse judicat Lachm.—57 '*D. r. integer: annis Utere* Brix. manifesto e l. communi.' *Barth.* '*Veniat sanguis* corrupte in Voss. 1. *D. r. integra frons est*, vel, *d. r. integra es, annis Utere* conjecit Heins. in N. Prop. p. 740. Titius Locor. Controv. II. 8. ex libro Marcelli Cervini ejusque conjectura affert *integer, annis Utere;* ut *sanguis integer rugis* dicatur, quod Latinitatem admittere, recte negat Villiomarus Animadv. in Titium p. 83. *Annis* eod. Pont. et Vat. 2.' *Burm.*—58 '*Ne quis eat liber amore dies*] Hæc verba, ut ut sensum faciunt non omnino malum, et ferri posse videntur, tamen sunt spuria ac supposititia. Unde nosti? inquies: nam, si in iis libris, quos tu consuluisti, non extant, potuerunt sane extitisse in aliis, quorum ad te usus non pervenit. Ita est. Verum ego te ad ipsum mangonii cubile ducam. Volscus, qui omnium primus ausus est manum admovere Poëtæ nostro, sæpe interpolatricem, bis vel ter salutiferam, sic notatum reliquit in Commentario suo: 'Ita scriptum in vetustis codd. observavimus, *Ne quid cras libet ab ore dies:* sed absonum adeo atque salebrosum videtur, ut rectius legi videatur, *Ne quis eat liber amore dies.*' Ea fuit istorum temporum libertas, an licentia, ut mutarent audacter quicquid non intelligebant; et explerent de suo si quam offendissent lacunam. Profligatis Volsci affinis eo unde infelicem pedem attulerant, in sedem suam reponamus genuina Poëtæ nostri verba, addicentibus octo libris vetustis. Hanc tam elegantem tamque bellam lectionem cum ad oram sui cod. notasset Marcellus Cervinus, multorum olim Mss. possessor, postea eam quasi pro conjectura Cervini examinandam eruditis obtulit Titii stupor II. Locor. Controv. 8.' *Broukh.* '*Ne quid cras libet ab ore d.* Broukh. in octo libris et Vulp. in Ed. pr. scriptum invenere: neque aliter Guarn. nisi quod pro *ne* substituit *nec.* *Ne quid cras labet ab o. d.* Dresd. Lect. vulg. *ne quis*, vel *nec quis eat liber amore d.* quam et Cant. exhibet, est ab A. Volsco.' *Barth.* '*Ne quid cras libet ab ore d.* confirmant omnes codd. quo tendunt et scripturæ corruptæ. *Qui cras labet* Mentel. *Quid cras labet* Heinsian. *Ne quid cras* Vat. 2. sed in ceteris *ne* vel *nec quid cras libet*, ut in Neap. v. c. Fruterii, Borr. Groning. Ask. Leid. 1. tribus Voss. Dorvv. et meo 1. in quo tamen *labet*, ut in Leid. 1. Volsci vero interpolationem, qua rectius ei legend. videtur *ne quis eat liber amore dies*, rejecit Broukh. quanquam a genio Propertii abhorrere non ausim dicere.' *Burm.* 'Sant. in Obss. ad Loca Vett. Poët. Latin. (vid. Beck. Commentarii Soc.

Vidi ego odorati victura rosaria Pæsti
  Sub matutino cocta jacere Noto.
His animum nostræ dum versat Acanthis amicæ,
* * * * *

spexi roseta vivacia Pæsti suaveolentis ad Notum mane flantem adusta decidere. Dum Acanthis mentem amicæ nostræ his vocibus *agitat*, [illius *ossa dinumerata sunt per*

Lips. Philol. Vol. I. P. II. p. 152.) monet, lectionem *ne quis est liber amore d.* Volsco auctori vulgo ascriptam, esse conjecturam Domitii in ' Elucubratione in quædam Propertii loca,' subjuncta Commentario in Ovidii Sapphonem et Statii Sylvas Romæ 1475. certatim probatam Italis, ab iisque suis exemplaribus ascriptam, ut Rhegiensi; a Volsco autem inde sive a. 1487. repetiisse editores. Probat Santenius lectionem codicum a Broukh. receptam.' *Kuin.* Illam lect. dant B. B. B. L.—59 *Adorati* ex Mod. Exc. notavit Heins. Habet Dresd. *pesti.*—60 ' *Cuncta* vult Wakker. p. 106. quod multo deterius est. Cum adurere ventus dicatur flores, non video cur illud *cocta* locum habere non possit.' *Barth.* ' *Cuncta* Wakker. *Stricta* Eld. sed *cocta* defendere possunt ea, quæ notavit Salmas. ad Lamprid. Alex. Sev. cap. 59.' *Burm.*—61 *Hic animus* Guarn. *His animus* Neap. Mentel. Voss. 1. 4. Dorv. 1. *His animos* nonnulli codd. et Venet. ap. Barth. et sic legit Passerat. inf. ad 7. 11. *His animis* Burmm. et pr. edd. *His animum* in aliis. *His animum* Borr. *Animum vestræ* Groning. Nostram lect. dant B. B. B. L.—62 *Per tenues ossa sunt numerata cutes.* Hic versus, qui etiam in Bon. Guarn. Dresd. Heinsianis, Brix. Venet. Aldd. Colin. Gryph. cett. Maitt. haud dubie a nebulone quodam confictus, ad explendam lacunam, abest ab editt. Mur. Græv. Vulp. Gött. Etiam antiquissimæ 4. edd. Cant. ed. hunc vs. spurium exhibent.' *Barth.* ' Lacunam omnes fere codd. et edd. antiquæ absque ullo hiatus indicio sic supplent: [Vid. sup.] Somnium monachi otiosi esse Broukh. ascripserat, neque hic versus γνήσιος Scaligero videbatur. Sed f. tamen hic pannus insititius non est, et suspicionem præbere possit, unum et alterum excidisse versum, in quibus subitam, sed optatam lenæ mortem descripserit. Ponamus, illorum, qui desiderantur, versuum hunc ultimum fuisse *Ossaque per &c.* Id proverbii speciem habebit, quo macilenti, famelici, et ætate exhausti dicuntur vix ossibus hærere, non nisi ossa et cutem esse, vel cutem ossa inspicienda perlucere. Sensum quidem assequi, sed non ipsos Propertii versus ex tenebris excitare, quis posset, si hoc vel simili modo interpolare liceret: *His animum, &c. Ipsa repentino corruit icta malo: Concidit exsuccas macie consumta medullas Ossaque per tenues &c.* Sed hæc tantum exercitii poëtici causa a me scripta sunt.' *Burm.* Hunc vs. recte ejectum censet

NOTÆ

59 *Rosaria Pæsti*] Pæstum est oppidum Lucaniæ, rosetis inclytum, unde rosæ Pæstanæ maxime laudantur, quæ nimirum dicuntur bis in anno nasci, mense scilicet Maio et Septembri.

60 *Sub Noto*] Notus, qui et Auster, ventus est floribus infestus. Statius Sylv. III. in lacrymis Hetrusci: ' Pubentesque rosæ primos moriuntur ad Austros.' Idem quoque Statius Theb. VII. ' Ut cum sole novo tristique rosaria pallent Usta Noto.'

61 *Acanthis*] Nomen est lenæ hoc in loco; nam alias etiam est avicula, alio nomine dicta Carduelis.

* 62 *Per tenues cutes*] Ita macie confecta erat, ut tota pelluceret, ossaque facile numerarentur.

Sed cape torquatæ, Venus o regina, columbæ
  Ob meritum ante tuos guttura secta focos.
Vidi ego rugoso tussim concrescere collo,
  Sputaque per dentes ire cruenta cavos:
Atque animam in tegetes putrem exspirare paternas.
  Horruit algenti tegula curta foco.

tenuem pellem.] *Verum, o Venus regina, accipe jugulum torquatæ columbæ ad aras tuas mactatum propter tua* erga me *beneficia. Ego spectavi tussim in* ejus *faucibus rugosis densari, sputaque sanie mixta per cariosos* ejus *dentes effluere,* ipsamque *animum putridum in patrias tegetes exhalare. Exigua pergula frigenti foco* talem

---

Lachm. et ejiciunt B. B. B. L.—67 'Non displicet Gebhardi *exsputare.* Vid. Ov. XII. M. 256. Sen. Herc. Œt. 1469. Plura subjiciet Justus Zinzerlingus Promuls. Crit. cap. 14. unde disces, certam esse Gebhardi conjecturam, non arbitrariam. Ceterum *tegetes paternas* valde mordaciter dixit Poëta, objiciens lenæ mendicitatem hæreditariam. Beroaldus et Passeratius proferunt e libb. *tegetes patentes.* In nostris nihil tale offenditur: et friget sane, ac languet.' *Broukh.* '*Exsputare* est ex emend. Gebhardi, a Broukhusio, quod mireris, (est enim fere iniquior Gebhardo,) in contextam orationis seriem recepta. Broukhusium sequitur Gött. *Expirare* Vulpius revocavit jure.' *Barth.* 'Omnes libri scripti et editi *expirare* tuentur, et confirmat locus Virg. Æn. XI. 883. nec *sputa* et *exsputare* concinne ponuntur. Leid. 2. *expiare.* In meo 2. *tegetes patrimas.* Male in tribus Vat. Beroaldi et Passerat. codd. *patentes.*' Burm.—68 'Omnino restituend. *teg. c.*' Broukh. '*Torruit alg. pocula curva* Posth. *Pocula curva* quoque Guarn. et editt. Brix. Aldd. Colin. cet. *Pergula curta* Palat. et C. Com. *Pergula curva* Vat. Bon. Dresd. *Horrui et alg. pergula curta* Venet. In quibusdam etiam esse *percula* et *parvula* testatur Broukh. *Tegula curta* quoque Vulpius se olim jam legisse et edidisse monet. *Pertica* volebat Beroaldus, exponens de ligno foco imposito.' *Barth.* '*Pocula curva* Borr. Groning. Heinsian. Leid. 1. et edd. priscæ. *Pocula curta* Vat. 2. *Pocula curva* Voss. 4. et meus 1. et sic in Regg. et Colb. *Pergula, pocula,* vel *parvula* hic variantur. *Pergula curva* Ask. *Pertica curta* Colot. Vat. 5. *Pergula curta* in trib. Vat. et Perr. v. c. *Percula curva* in Leidd. Voss. 3. et meo 2. in cujus marg. pro varia lect. *parvula.* Scaliger *pergula* præfert. Vera lect. est *tegula curta,* ut recte cum Salmas. ad Tertull. de Pall. p. 296. et Heinsio ad Ov. F. II. 645. recepit Broukh.' Burm. Hoc bene

NOTÆ

63 *Torquatæ columbæ*] Columba dicitur 'torquata,' cujus collum vario colore veluti torqui distinguitur. Jucunda quidem Veneri victima columba, cui est sacra, ut III. 3. 31. dictum est.

68 *Horruit algenti tegula* [*pergula*] Pergula locus est apertus, multis e lateribus aërem excipiens, atque etiam aliquando extra parietem et tectum porrectus, partim tectus, partimque sub dio expositus. Pergula dicitur etiam locus idoneus rebus venalibus exponendis, idemque est quod officina, tabernula, seu tuguriolum, &c. Utroque autem modo convenit infelicis lenæ sorti, quæ domum non haberet, sed in pergula frigidissima, seu in tuguriolo, ubi vilissima scorta produxerat, animam efflaret.

Exequiæ fuerunt rari furtiva capilli
  Vincula, et immundo pallida mitra situ,
Et canis in nostros nimis experrecta dolores,
  Cum fallenda meo pollice clatra forent.
Sit tumulus lenæ curto vetus amphora collo:
  Urgeat hanc supra vis, caprifice, tua.

lenæ exitum *exhorruit*. *Exequiæ fuerunt paucorum* ipsius *crinium ligamina, sordidaque putri squalore mitra, catulaque meo malo nimium vigil, si quando fores essent furtim manibus meis reserandæ*. *Antiqua vilisque amphora brevi collo sit lenæ sepulcrum; illudque, o Caprifice, pondus tuum desuper incumbens opprimat*. Qui-

repositum judicat Lachm. et dant B. B. B. L.—69 *Fuerant* plerique codd. et edd. vetustæ: et dat Lachm. *Fuerunt* reponend. jubet Broukh. et reponunt Passerat. B. B. B. Gött. *Fuerint* Græv. *Exequias ierant* Heins. Advers. I. 2.—70 ' *Sinu* pro *situ* male in Voss. 1. *Pallida* in omn. codd. et edd. *Pallia* Neap. Heinsio tamen *squalida* placebat, quæ voces frequenter commutantur. Broukh. *pallida* propugnat, sed patruus meus ad Lucan. v. 628. *squalida* præfert.' *Burm*. Suam lect. defendit Kuin.—71 *At* Exc. Mod. Dorv. 2. *Canis* Aldd. Colin. cett. *Experrecta* Guarn. Dresd. Neap. Borr. Ask. Leid. 2. Voss. 1. 4. Dorv. 2. Burm. 1. ' *Expectata* Leid. 1. Voss. 3. et Dorv. 1. pro *experrecta*, ut bene in vetustis edd.' *Burm*. Id dant B. B. B. L.—72 ' Libri fere *cultra forent*, vel *coltra*: unde Scaliger faciebat *claustra*: non male. Beroaldus mutaverat in *clathra*: atque eo ducere videntur unus Reg. in quo *caltra* legitur; unusque Colb. qui *clara* habet. Sed negat Caper grammaticus *clatra* dici, et *clatros* tantum agnoscit, in libello de Verbis Dubiis.' *Broukh*. ' *Cultra* Bon. Guarn. Brix. *Caltra* Dresd. cum Ed. pr. Quæ firmant emendationem Beroaldi, a Mureto, Græv. et Lond. receptam, licet Grammatici *clathros* tantum agnoscant. *Claustra*, quod est in Aldd. cet. probat Scaliger, cujus in libro *culta* reperiebatur, unde *clustra* et *claustra* formatum credit.' *Barth*. ' *Coltra* Mentel. *Culta* in Leid. 2. *Cultra* in Borr. uno Reg. Voss. 3. 4. cum meo 1. *Clara* in Reg. 2. *Cultura* Voss. 1. Sed *caltra* in Perreii, Neap. Vat. 2. Colb. Dorvv. et meo 2. unde vera lectio patet *clatra*, ut in Colot. et Vat. 1. legitur, et sic jam Beroald. vel *claustra*, sed alteram lect. præfert, cui propter Capri auctoritatem non auscultavit Broukh. sed vid. Scheffer. ad Petron. cap. 56. p. 279. et Heins. ad Sil. I. 569. et ad Claud. Cons. Stilic. II. 272. Volscus autem totum hoc distichon adulterinum pronuntiat, nulla tamen ratione addita.' *Burm*. ' *Clatra* legend. videtur, nisi quod grammatici *clatros* tantum dici contendunt.' *Lachm*. *Claustra* dant B. B. B. L.—73 ' *Cincto* vel *cinto* Voss. 1. et Groning. unde *trito* Heins. Sed improprie dictum videtur, ut amphora vetus collo trito totus lenæ tumulus sit. Legend. videtur *Sit tumulo*.' Burm.—74 ' *Hunc* in plerisque codd. et edd. priscis. Heins. conj. *Urgeat hunc umbræ vis, caprifice, tuæ*.' Id. ' *Hanc* ex mero typographi Broukhusiani errore provenisse suspicor. Certe omnes, quos vidi, ante Broukhusium, et ap. Burmannum manuscripti plerique (ita semper loquitur, ubi ' omnes ' dicere debebat) *hunc*.'

NOTÆ

69 *Exequiæ*] Describit lenæ funebrem pompam, in qua nihil fuit præter capitis vittas furto partas, mitram putri situ squalentem, et catulam Poëtæ infensissimam.

74 *Caprifice*] Arbor est caprificus, quam nasci dicunt in saxis sepulcrorum consuevisse. Diciturque alio nomine ficus sylvestris. Isidorus XVII. 7. ait: ' Caprificus appellata eo quod parietes, quibus innascitur, carpit. Rumpit enim et prodit e late-

Quisquis amas, scabris hoc bustum cædite saxis,
Mixtaque cum saxis addite verba mala.

cumque es amator, duris tumulum hunc lapidibus obrue, et una pariterque cum lapidibus adjunge maledicta.

Lachm. *Hanc* dant B. B. B. *Hunc* legere Brix. Venet. suam, et Aldd. monet Barthius.—75. 76 'Livin. malebat *cædite:* quod verum est. Firmant duo codices Gebhardi, qui habent *addite verba mala*, quod et Livin. conjecerat.' *Broukh.* '*Cædite* Brix. Aldd. cett. *Cedito* Dresd. Venet. Broukhusium sequitur Vulp. et Gött. *Adjice* Palat. membr. Venet. *Addite* Palat. papyr. et C. Com. *Addito* Aldd. cett.' *Barth.* *Cædite* tuetur Lachm. qui *addite* verissimum vocat. Nostram lect. exhibent B. B. B. L. '*Amat* male in meo 1. *Cædito* et mox *adjice* in plerisque codd. et edd. antiquis, quod mutarunt, quia id requirere vocem '*Quisquis*' putabant, cui tamen plurale sæpissime adjungitur; recte ergo jam Livin. monuit, *cædite* et *addite*, non *cædito* et *adjice* legend. esse, vel *addito*, ut in vetustis edd. *Huic bustum* Heins.' *Burm.*

NOTÆ

bris quibus concepta est. Alii, quod ficus arbor ejus remedio fœcundetur.' De caprifico vide Plin. xv. 19. et xxiii. 6. ubi scribit, si caprifici ramo tauri collum circumdetur, ejus ferociam adeo mitigari, ut immobilem eum præstet.

ELEGIA VI.

DE PUGNA ACTIACA NAVALI.

SACRA facit vates; sint ora faventia sacris,
Et cadat ante meos icta juvenca focos.

Poëta rebus divinis operatur; sacris faveant linguæ, bosque procumbat ad aras

'*De sacrificio* inscribitur in Perr. v. c. Regg. Colb. Borr. et meo 1. Præcedenti connectitur in Dorv. 1. et meo 2. [Etiam Dresd. post vs. 10. incipit novam El. præmissa epigraphe, *De navali bello Cæsaris*] in quibus post vs. 10. nova incipit El. præscripto titulo *Ad Jovem;* in meo 1. *De Attica* (scrib. *Actiaca*) *victoria et templo Apollinis:* decem priores vv. etiam in aliis codd. et edd. priscis separatim editi cum epigraphe, *De sacrificio:* reliqua aliam quoque Elegiam *De Cæsare* inscriptam constituunt. Sed jam in ed. Volsci omnia uno tenore juncta exhibentur, ut in Aldd. Junt. ceterisque, in quibus titulus est *De pugna Actiaca navali.*' Burm. Juncta omnia habent B. B. B. L.—1 *Facis v. sunt* Guarn. Voss. 1. 4.—2 *Et cadet* in Dorv. 1. et meo 2. *En cadit* legebat Markl. *Tuos* Voss. 4. *Pedes* pro

NOTÆ

1 *Sacra facit vates*] Augusti laudes cantaturus, victoriamque navalem ab ipso relatam ex Antonio ac Cleopatra, Ægypti regina, ad Actium promontorium celebraturus, silentium indicit Poëta. 'Sacra' porro 'facere' et sacrificare idem sunt.

Ora faventia sacris] 'Favere,' inquit Festus, 'est bona verba fari, quo veteres poëtæ pro silere usi sunt.' Servius in illud Æn. v. 71. 'Ore favete omnes,' ait: 'Apto sermone usus est et sacrificio et ludis. Nam in sacris taciturnitas, in ludis neces-

Serta Philetæis certent Romana corymbis;
Et Cyrenæas urna ministret aquas.

a me excitatas mactata. Versus Romani contendant Philetæis corymbis, urceusque

faces pro varia lect. in Exc. Scal.—3. 4 'Libri omn. scripti *Philippeis* habent: quem errorem feliciter emendavit Volscus, minime privandus sua laude: quanquam hanc laureolam sibi vindicavit Beroaldus: inique profecto, si standum erit fide M. Antonii Sabellici in Dialogo de Latinæ Linguæ reparatione. 'Acutior,' inquit ille, '[quam Petrus Marsus] in Poëtis explicandis, cultiorque, meo judicio, Antonius Volscus, et ipse Pomponii auditor, diligens in Nasonis Heroidibus, sed in Propertio diligentior.... Sunt qui Philippum Beroaldum Bononiensem et ipsum in Propertium Commentarios elegantissime conscriptos aut jam edidisse dicant, aut non multo post etiam editurum: sed de his, quæ nondum vidimus, quid dicam, nihil habeo.' Vides Beroaldum fuisse tempore posteriorem. Itaque, si Volsci laborem non viderat, potuit certe vidisse. Pro *Cera* legend. omnino cum Scaligero *Serta*. Passeratius e vet. libro profert *Edra*, pro, edera. Eam ego *edram* veteri isti libro libens redonatam volo. *Certent* etiam legitur in nostro 1. non *certet:* quanquam neque hoc damnandum; sed licuit, opinor, nonnunquam variare orationem.' *Broukh.* '*Cera certet* vulgg. Brix. Ven. et Aldd. cet. *Serta certent* ex emendatione Scalig. quam et editio an. 1582. exhibet, sed in editione an. 1600. reduxit τὸ *Cera*, et in Castigatt. ait posse hanc vocem de cerea imagine Poëtæ intelligi. *Philippeis* omnes libri scripti. *Philetæis* erudite ac feliciter emendavit Volscus. *Corimbis* Bon. *Minister* Ald. 2.' *Barth.* 'In omn. codd. et edd. ante Volscum inepte legebatur *Philippeis.* Optime et verissime Volscus emendavit, *Philetæis*, ut legitur in Vat. 2. in quo *Philethæis*, et 5. in quo *philiteis.* Codicibus tamen vetustis deceptus, scribebat *Atque Cyrenæas*, ut legitur etiam in Perr. v. c. et duobus Vat. Præterea codd. *Cera P. certet*, quod in omnibus ante Scaligerum edd. legitur, qui recte substituit *Serta.* Male Editor Elect. Etonens. Major. *E'dra Philetæis certet* ex vet. libro Passeratii legit, recte castigatus a Schradero Emend. p. 98. *Cirenæas* male in

NOTÆ

sarius favor est, quem propter plausum futuris spectatoribus dat. Favet autem ore quis etiam per taciturnitatem. Horat. Od. III. 1. 'Favete linguis.'' Sen. de Vita beata c. 26. 'Hoc verbum,' [favete linguis,]' ait, 'non, ut plerique existimant, a favore trahitur; sed imperatur silentium, ut rite peragi possit sacrum, nulla voce mala obstrepente.' 'Favere' igitur 'linguis,' et 'ore favere' apud poëtas aliosque scriptores, idem est ac silere.

3 *Serta* [*Cera*] *Romana*] Scaliger legendum esse censet, *Serta Philetæis &c.* non, *Cera.* Veteres autem libri dicuntur habuisse *Edra* pro *Edera.* Si igitur cum Scaligero legas *Serta*, sensus erit: Corona Romana certet coronæ Philetææ. Dicitur enim Serta, æ, genere fœminino, sicut et sertum, i, neutro: ut supra notavimus ad II. 33. 'Cum tua præpendent demissæ in pocula sertæ.' Si vero *Cera* legatur, versus Romani significantur; vel quia in cera, tabulisque, quæ etiam III. 23. dicuntur 'cera,' scribebantur; vel quia imagines poëtarum apud Romanos erant cereæ, quæ et hedera coronabantur. Si denique veteres codices secutus legas, *Edra*, pro *edera*, sensus erit planus et apertus.

Philetæis corymbis] Philetam poëtam significat, cui se semper atque etiam comparare affectat Propertius.

4 *Cyrenæas aquas*] Fontes nimirum, ex quibus Callimachus, Cyrenæus, bibit, vel quibus Musis sacra fecit.

Costum molle date, et blandi mihi thuris honores;
Terque focum circa laneus orbis eat.
Spargite me lymphis; carmenque recentibus aris
Tibia Mygdoniis libet eburna Cadis.
Ite procul, fraudes: alio sint aëre noxæ;
Pura novum vati laurea mollit iter.

Cyrenæas lymphas effundat. Gratum præbete costum, jucundique thuris munera, ac ter aram circumeat orbis laneus. Aquis me perfundite, et novis altaribus e *Cadis Mygdoniis eburnea tibia versus canat. Longe hinc abscedite, perfidiæ, sint alio* sub *cælo culpæ; casta laurea facilem poëtæ reddit viam hactenus non tritam.* O

Leid. 2. et meo. *Cirreneas* Borr. *Atque Cyrenæas* in Perr. v. c. et duobus Vat. ut primam in hac voce corripit Catull. VII. *Urna minister* in Rheg. Ald. Junt. et Colin. sed jam in Venet. 2. *ministrat* excusum. *Ministrat* in meo 1.' *Burm.* '*Philetæis* correxit verissime Volscus. *Cera*, ni fallor, mutari a Scaligero non debuit.' *Lachm.*—5 *Munus* pro *thuris* Dorv. 2. *Turcis* Ask. Burm. 1.—6 *Lineus* Pocc. *Circum* Demster. per tmesin, Paralip. ad Rosin. IV. 9. Sed nihil opus, judice Barth. Mutationis non necessariæ, ait Broukh. gratiam faciamus Demstero.—8 ' Gravis est lapsus Hieronymi Magii I. Miscell. 13. Ita laudat h. versum: *T. M. luget e. sonis.* Non potuisset hæc tam male legere, si vel obiter inspexisset librum auctoris laudandi. Adeo labilis res est memoria.' *Broukh.* ' Magius laudat h. v. vitio memoriæ. *Modis* vult Heins. et quidem e vetusto cod. sed in libris *cadis* et *Cadis* scribitur sensu diverso. Illud nimirum vinum significat quod Diis libatur e cadis, secundum Beroaldum; hoc tibiam ipsam *Cadis*, quod dicitur ut ' *Crotalistria Phyllis*' 8. 39. Posterior ratio potior videtur.' *Barth.* ' *Modis* in Perr. v. c. Colot. et tribus Vat. et Markl. in marg. ed. Græv. legend. conjecerat. *Cadis* vero in ceteris codd. et edd. priscis. Scaliger male *cantat* pro *libet*.' Burm.

NOTÆ

De Phileta et Callimacho dictum est ad III. 1.

6 *Laneus orbis*] Laneas vittas intelligit, quibus aræ coronari ac præcingi solebant. Virg. Ecl. VIII. ' Affer aquam, et molli cinge hæc altaria vitta.' Idem Virg. Æn. VIII. ' Velleribus niveis et festa fronde revinctum.'

7 *Spargite me lymphis*] Hinc constat lustralem aspersionem etiam fieri consuevisse apud antiquos in sacrificiis superorum Deorum, contra Macrobium et Servium, qui censent aspersionem adhiberi consuevisse in sacris Inferorum, ablutionem vero in sacris Superorum. Ovid. etiam Fast. IV. Propertio concinit: ' Bis caput intonsum fontana spargitur unda.' Idem etiam Ovid. Fast. V. de quodam Mercatore sese expiante: ' Spargit et ipse suos lauro rorante capillos.' Aspersio lustralis, qua se purgari putabant veteres, in sacris fiebat lauri ramo.

8 *Tibia Mygdoniis Cadis*] Hinc etiam constat sacris apud antiquos adhiberi consuevisse tibicines, ut etiam testantur Horat. Liv. Virg. &c. Vult autem Propertius sacris suis adhiberi musicam Phrygiam, quæ religiosior ipsi videbatur, cum dicit ' Mygdoniis Cadis.' Mygdonia nimirum regio est Phrygiæ, ubi etiam civitas fuit dicta Cadi, unde vox ' Cadis' hic est ambigua; significat enim et urbem, et dolia, quæ vasa sunt vino condendo servandoque idonea. Sed forsan pro *Mygdoniis Cadis* legendum est *Mygdoniis modis*.

Musa, Palatini reseramus Apollinis ædem:
  Res est, Calliope, digna favore tuo.
Cæsaris in nomen ducuntur carmina: Cæsar
  Dum canitur, quæso, Jupiter ipse, vaces.
Est Phœbi fugiens Athamana ad littora portus,
  Qua sinus Ioniæ murmura condit aquæ,
Actia Iulææ pelagus monumenta carinæ,
  Nautarum votis non operosa via.
Huc mundi coiere manus: stetit æquore moles
  Pinea; nec remis æqua favebat avis.

Musa, celebremus templum Apollinis Palatini; o *Calliope*, *materia* ista *digna est tua ope et numine*. *Versus canuntur in laudem Cæsaris*. O *Jupiter*, *oro*, *ipse attendas*, *donec laudatur Cæsar*. *Phœbi portus est recedens ad Athamanas oras*, *qua parte maris Ionii fragores sinus recondit*, *Actiacum mare*, *Iulææ ratis monumentum*, *navigantium* jam *votis iter non difficile*. *Illuc totius orbis copiæ convenerunt*, illo in *mari classis ingens constitit*, *neque fausta ales* utrimque *remis favebat*. *Ex una parte*

Modis esse glossema pronuntiat Kuin. 'Scribe *Cadis* litera initiali majore. Monuit Scaliger, quem Broukhusius recte secutus est.' *Lachm.* Dant *cadis* Barth. Burm.—9 *Sunt* Guarn.—10 *Aura* pro *Pura* Borr. *Movit* Mentel.—11 'Vid. ad init. huj. El. Inscriptio edd. Brix. et Venet. est *De Cæsare*. *Referemus* Bon. Brix.' *Barth.* '*Referemus* multi codd. et pr. edd. Legend. *reseramus*.' Burm. 'Codices, ut videtur, omnes et impressi ante Beroaldum *referemus*. Recte. Ceterum hoc quoque Carmen Propertium Dierum vel Fastorum operi inserere voluisse suspicor; quod in primis versus 67. confirmat, ultimo Carminis decimi simillimus. Male certe Burm. hic tentat *reseramus*, quod nec Musæ neque Propertio convenit.' *Lachm.*—12 *Furore* Guarn.—13 *Dic*. Vat. 5. *Duc*. reliqui codd. et edd. vetust. quod verum esse pronuntiat Broukh.—15 *Athamanta* Voss. 1. *Athamani* Reg. Ask. et priscæ edd. *Athamantia* l. Dresd.—16 '*Qua famis* vel *famus* in Voss. 1. *samis* in 4. et *Samos* in marg. 3. Heins. sine idonea ratione legebat *Est Ph. efficiens Ath.* ... *marmora c. a.*' Burm. *Qua Samis* esse in Vat. notat Barth.—17 'Markl. ad Stat. Sylv. p. 307. et in Explic. Vet. Locor. post Eur. Suppl. p. 257. mendum in *pelagus* latere recte censuit, pro quo scriptum fuerit *Leugas*, h. e. *Leucas*. Ayrm. male pro *pelagus* legebat *plangens*. *Actium Iuleæ* Guy. et Passerat. sed *Actia monumenta* jungenda sunt.' *Burm.* 'Markl. admodum ingeniose *Leucas* scribit: alia ad Horatium Carolus Fea tentasse fertur. Sed nihil opus. Una res viros doctos non videtur advertisse 'littora portus' jungenda esse.' *Lachm.*—19. 20 '*Nunc mundi* male in prr. edd. *Conere* Voss. 1. *Coiere moles* Heinsian. et Borr. *Ne remis* Dorv. 1. *Favebit* 2.

NOTÆ

15 *Athamana ad littora*] Athamanes populi sunt Epiri, Ætoliæ contermini, ut habet Strabo pluribus in locis, Lib. VII. et IX.

17 *Actia Iulææ monumenta carinæ*] Ad Actium promontorium ab Augusto conditum est templum Apollinis, ac oppidum cui nomen inditum est Nicopolis, a victoria navali ex Antonio in Actio mari relata; quæ quidem vocat Propertius 'monumenta Iulææ carinæ,' h. e. Augusti.

Altera classis erat tenero damnata Quirino,
  Pilaque fœminea turpiter acta manu.
Hinc Augusta ratis plenis Jovis omine velis,
  Signaque jam patriæ vincere docta suæ.
Tandem acies geminos Nereus lunarat in arcus:
  Armorum radiis icta tremebat aqua.

classis erat addicta jam et adjudicata Quirino Teucro, spiculaque vibrata cum dedecore manu muliebri. Ex altera vero *parte navis Augusta* stabat *velis auspicio Jovis impletis. Tunc demum ambos exercitus in arcus formam curvaverat Nereus, armo-*

Favebat aqua Vat. 5. *Equis* in tribus Voss. sed *avis* recte in ceteris et antiquis edd.' *Burm.*—21. 22 '*Teucro* Mss. Broukh. etiam Dresd. et Brix. *Tenero* Ed. pr. ante Beroaldum.' *Barth.* '*Teucro* in Neap. Vat. 1. Reg. 2. Colb. Groning. Harl. Leidd. Voss. 3. 4. vetustioribus edd. et cod. meo 1. ac 2. in cujus tamen marg. *tenero* pro varia lect. *Tenero dampnata* Ask. Primus Beroald. *tenero* emendavit, laudante Broukh. In Mentel. legitur *tauero damnata Perino*, in qua scriptura quin verum lateat, nondum tamen a me inventum, nullus dubito. *Turpiter acta* præferendum videtur, quod licet rejecerit Broukh. tamen a Colot. tribus Vat. Voss. 1. Borr. Groning. Dorv. 1. Ask. [Dresd. et Venet. ap. Barth.] firmatur, et in ed. Ald. marg. conj. Heinsius. Non opus est cum Markl. legere *t. apta manu* pro, manui.' *Burm.* '*Tenero d. Q.* Hanc lect. Beroaldus non primum commentus est, quam dederant ante eum Calph. et Volscus. Non impugno: sed non deteriorem scripturam libri omnes exhibent hanc: *Teucro . . . acta.* Ceterum mirabile est Burmannum in Leid. 1. *Teucro Quirino* legi narrare, e Mentel. autem, qui idem liber est, enotare *tàuero damnata Perino;* [Tot et tantas lectionum inter sese discrepantias in Mentel. et Leid. 1. per totum Propertium a VV. DD. notatas vidimus, ut non possimus quin tandem dubitemus an idem sint codex. Idem quoque notatum volumus de Burm. 1. et Heinsian.] in quibus an Perilli taurus ex II. 25.12. huc translatus lateat ignoro: verum in eis latere, de quo Burmannus non dubitabat, pernego. Sed in versu minore difficilis structura est. *Acta* verum est.' *Lachm.* *Apta* hic valet, aptata, ait Broukh. *Apere* est, comprehendere, ait Barth.—23 Damnat Burm. *Hic*, quod in Exc. Mod.—25 '*Aciem* Guarn. Dresd. *Pineus* Guarn.' *Barth.* '*Aciem* præter codd. Broukhusii habent etiam Groning. Colb. Neap. Leidd. tres Voss. et meus uterque, sed *acies* in reliquis. An f. *acies geminas?* Antonii et Octaviani, ut dicat, utramque aciem ordinatam fuisse in formam Lunæ corniculatæ. [Recte, sed non ideo necesse est, ut legatur *geminas.* Kuin.] *Nereus* corrupte *Lineus* in Borr. Leidd. et Voss. in quorum 1. *meus* in marg. et ascriptum, '*L. Nereus.*' *Nervis* in Voss. 1. et Dorv. *Nervis limarat* in Neap.

NOTÆ

21 *Tenero* [*Teucro*] *Quirino*] Trojanus Quirinus dicitur Augustus, quod ab Ænea Trojano originem traxerit. Testatur porro Servius, sicut etiam Suetonius, aliquando vocatum fuisse Quirinum Augustum. Hæc habet Serv. ad illud Æn. I. 'Remo cum fratre Quirinus:' 'Populus,' inquit, 'Romanus Octavio tria obtulit nomina, utrum vellet Quirinus, an Cæsar, an Augustus vocari. Ille, ne unum eligendo, partem læderet quæ aliud offerre cupiebat, diverso tempore omnibus usus est.'

22 *Fœminea manu*] Cleopatræ nimirum, reginæ Ægypti, quæ vires suas cum totius fere Orientis auxiliaribus copiis Antonio suo contulerat.

Cum Phœbus, linquens stantem se vindice Delon,
(Nam tulit iratos mobilis ante Notos,)
Astitit Augusti puppem super; et nova flamma
Luxit in obliquam ter sinuata facem.
Non ille attulerat crines in colla solutos,
Aut testudineæ carmen inerme lyræ;
Sed quali aspexit Pelopeum Agamemnona vultu,
Egessitque avidis Dorica castra rogis;

rumque fulgore distinctum mare radiabat; cum Phœbus relinquens Delon ipso assertore immotam (sola enim insularum *errabunda sævientes Notos perpessa est) adfuit Augusti* navi *in puppi sedens, insolitaque flamma emicuit curvata in speciem rotatæ tædæ. Non ille venerat cum comis per cervicem humerosque fluentibus, vel cum citharæ testudineæ cantibus bello ineptis; verum illo cum vultu quo Pelopeium Agamemnonem vidit, rapidisque exhausit funeribus Dorica castra; vel qui Pytho-*

et meo 2.' *Burm.*—26 '*Et* venustius abest et rotundius.' *Broukh.* '*A. et* Brix. Venet. Aldd. cum Dresd. At C. Com. conjunctionem respuunt.' *Barth.* '*A. et* in multis codd. et prr. edd. *Armorumque* Leid. 2. Voss. 2. sed copulam omittunt Borr. Groning. Voss. 4. et meus 1. Deinde *Armorum radiis icta* præferend. pro *picta*, ut clare in meo 2. legitur, et ita conj. Dausq. ad Sil. XIV. 210. Heins. N. Prop. p. 750. et Markl.' *Burm.* *Et* cum *picta* tuètur Lachm. —27 '*Quem Ph. st. l. se judice Delo* Guarn. In Brix. *dolon.*' Barth. 'Pro *linquens* in Voss. 4. *vincens*, male. *St. l.* Leid. 2. et Voss. 3. *Seu* pro *se* in Dorv. I. *Se judice* solita confusione in Borr. Exc. Mod. Leidd. tribus Voss. Dorvv. et meo 1. *Dolon* corrupte in Venet. 2.' *Burm.*—28 'Librorum scriptorum lectio est *mobilis unda*: quam, male corruptam, pejus deinde habuit Antonii Volsci sinistrum acumen. Ita enim ille in Commentario: '*Unda*: emenda *una*: nam una Delos passa est ventorum injuriam.' Utinam tu, Antoni, altum stertere maluisses, quam impendere lucubrationes tuas deturpandis bonis auctoribus! In τῷ *unda* latet vera lectio, quæ est *ante*.' Broukh. '*Nobilis unda* Palat. 1. *Mobilis unda* Bon. Dresd. al. ap. Broukh. qui inde refinxit *mobilis ante*: rectissime. Quam lectionem ideo jure receperunt Vulp. et Gött. Alii quoque legunt *una* ex Volsci correctione: falso.' *Barth.* '*Mobilis una* in aliis et Groning. a m. sec. *Illa* Perr. v. c. Vat. 2. *Unda* in Neap. Vat. 1. Regg. Colb. Leid. tribus Voss. Dorvv. meis et priscis edd. ut in marg. ed. Rouill. pro *unde* correxerat Dousa P. *Nobilis unda* prave in Ask. Lipsius Lectt. Ant. II. 20. legebat *Non t. i. mob. unda Notos*; sed verissima recepta lectio *Nam t. i. m. ante N.* et sic Franc. legebat.' *Burm.* 'Videtur verum *Nam t. i. mob. ante N.*' Lachm.—29 *Puppim* Neap. Groning. Leidd. tres Voss. Dorvv. Burmm. et ed. Vulp. Id. scribend. pronuntiat Lachm. *Puppem* dant B. B. B.—30 'Male *simulata* pro varia lect. in marg. cod. mei 2. *Luxerit o. ter sinuante* Ask.' *Burm.*—31 Voss. 3. *in terga.*—34 '*Ægissetque* Brix. *Egissetque*

NOTÆ

27 *Stantem Delon*] Insula Delos olim per mare vagabatur, fluctuabatque ventis agitata; sed tandem eam Apollo ibidem genitus ab errore liberavit, immobilemque reddidit.

33 *Pelopeum Agamemnona*] Dicitur Agamemnon 'Pelopeus,' quia nimirum Pelops, Tantali filius, Agamemnonis fuit avus; Plisthenes enim, filius Pelopis, Agamemnonem et Menelaum genuit, qui dicti sunt Atridæ ab Atreo patruo, qui eos patre orbatos educavit.

34 *Egessit Dorica castra rogis*] Pa-

Aut qualis flexos solvit Pythona per orbes
  Serpentem, imbelles quem timuere lyræ.
Mox ait, O longa mundi servator ab Alba
  Auguste, Hectoreis cognite major avis!
Vince mari; jam terra tua est; tibi militat arcus,
  Et favet ex humeris hoc onus omne meis.
Solve metu patriam, quæ nunc, te vindice freta,
  Imposuit proræ publica vota tuæ.

nem anguem per sinuosa volumina telis confixit, quem molles citharæ reformidarunt. *Statim* sic *alloquitur* Cæsarem: *O vindex orbis terrarum Auguste ab Alba longa, clarior et illustrior majoribus tuis Hectoreis; esto victor per mare, orbis terrarum nunc tuus est, arcus* meus *tibi pugnat, istudque totum pondus ex humeris meis* pendens tibi *studet. Patriam* tuam *libera timore, quæ jam assertore te nixa commu-*

Palat. et C. Com.' *Barth.* '*Egissetque* vitiose in Neap. Voss. 1. 4. Ask. Dorv. 2. meo utroque, et edd. Venet. 2. Vicent. Rheg. ac Volsci. Sed recte *Egessit* exponunt, cædibus evacuavit, multis funeribus exhausit.' *Burm.*—35. 36 '*Fessos* corrupte in Dorv. 1. *Titana* Ask. *Serpentum* male in ed. Græv. *Cum timuere* Vat. 5. Ayrm. interpungebat: *Pythona per orbes, Serpentem imbelles cum timuere l.* absque necessitate. *Quem cecinere* placebat Guyeto. *Cui renuere* Heinsio. *Tremuere* f. non male reponeretur. Editor Elector. Etonens. Major. conj. *quem timuere Deæ*, Musæ nempe.' *Id.*—39 '*Mare* Voss. 4. *Nam terra* Mentel. *Mihi mil.* Groning. et Voss. 1. male.' *Id.*—40 'Malim *En f.* Vossiani enim cod. 1. librarius cum scriberet *hoc onus esse meis*, procul dubio voluit *h. o. ecce meis*; sed prius præfero, quia *hoc onus omne* magis Propertianum.' *Id.*—42 '*Suæ* Voss. 1. 4. quod non facile rejiciendum.

NOTÆ

bulam illam sic narrat Homerus Il. I. Cum aliquando Astynome, Chrysæ Sacerdotis Apollinis filia, a Græcis capta in manus Agamemnonis venisset, Chryses puellæ pater, Apollinis insignibus ornatus, cum ingentibus donis accessit ad Agamemnonem, filiamque sibi restitui petiit. Quod cum ab Agamemnone non potuisset impetrare, precatus est Apollinem ut illatam injuriam ulcisceretur. Apollo statim gravem in Græcos pestilentiam immisit, quæ eorum pæne exercitum funeribus ac mortibus frequentissimis exhausit. 'Dorica' namque 'castra' sunt Græcorum. Dores enim et Dorici populi sunt Græciæ ad sinum Maleacum et Œtam montem siti, qui sæpius pro Græcis apud Poëtas ponuntur.

35 *Solvit Pythona*] Nota est fabula de Pythone serpente, quem sagittis occidit Apollo, unde et dictus est Deus Pythius. Videsis Ovid. Metam. I.

37 *Longa ab Alba Auguste*] Alloquitur Augustum Apollo. O Auguste, inquit, totius orbis vindex, ducens originem ab Albanis regibus, ex quibus nimirum Julia gens orta est, &c.

38 *Hectoreis major avis*] Tu, inquit Apollo, cujus virtus clarior est, quam avorum tuorum de gente Hectorea.

40 *Ex humeris hoc onus*] Pharetram telis gravem, quam humeris gestabat, intelligit.

Quam nisi defendes, murorum Romulus auctor
  Ire Palatinas non bene vidit aves.
En! nimium remis audent! proh turpe, Latinos,
  Principe te, fluctus regia vela pati!

nia vota in tua navi collocavit : quam si non proteges, mœnium conditor Romulus augurium captans se mentitus est conspexisse Palatinas volucres volare. Ac etiam, *te principe, fluctus* Ionii *sustinent ferre carbasa regalia, quod eheu! probrosum ni-*

Sed f. laudanda est Livineii conjectura: *p. Fata tuæ.' Id.*—43 '*Auctor* suspicabatur Heinsius; et sic in uno Reg. invenit Broukhusius, probante Bentl. ad Horat. III. Od. 3. 65. Broukhusius tamen vulgatam præfert: recte.' *Barth.* '*Quæ* in altero Reg. Colb. et Venet. 2. Rheg. et Volsci; et ita ex Brix. affert editor Etonens. *Mihi defendens* Exc. Mod. *R. auctor* in Reg. 2. quod in uno cod. nescio an hunc ipsum Regium ex Broukh. indicet, haberi notat editor Elect. Etonens. et sic legebat Ayrm. et ante eum Bentl.' *Burm.* qui defendit *auctor*. *Augur* et Passerat. tuetur. '*Auctor* in ordinem revocavi. *Augur* propter 'Palatinas aves,' augurium Romuli in monte Palatino, a grammatico margini ascriptum fuisse, et ita in codd. irrepsisse videtur.' *Kuin.* '*Auctor* vel repugnantibus librariis scribend. multis docet Bentleius. Hoc quod unus Regius confirmat, nihil facit ad veritatem. Vs. 36. ne muta *quem timuere lyræ.*' Lachm.—45. 46 '*Et numen* vitiose in Dorv. 1. et meo 2. in cujus marg. *lumen* pro varia lect. *En nimium* Vat. 2. *Remos* Leid. 2. Voss. 3. Dein vetus lectio fuit *prope turpe*, ut etiam est in Regg. Groning. Leidd. tribus Voss. Dorvv. et meis codd. cum edd. antiquis. Heins. conj. *audent quoque*. Dousa in marg. ed. Rouill. distinguebat: *audent prope turpe, Latinis.* Sed Scalig. e suo cod. edidit *proh turpe*, ut in Vat. 1. et a Lipsio correctum fuit Lectt. Ant. II. 20. Scribend. ex Perreii et Puccii cod. ac Vat. 2. *pro turpe!* et interpungendum: *Et* vel *En nimium remis audent, (pro turpe!)* Legend. præterea *Latinos fluctus*, ut Markl. emendavit et distinxit: *En! nimium remis audent! proh turpe, Latinos, Principe te, fluctus r. v. pati!* Pro *Principe te* corrupte *Incipit* Dorv. 1. *Vindice te* in Ask. quod petitum e vs. 27.' *Burm.* 'Magno molimine hic rem gerit Marklandus. At quam bene mutanda interpunctione lux sua his versibus reddi poterat! Distingue: *Et nimium remis audent, pro, turpe Latinis. Principe te, fluctus r. v. pati!* Recte reposuit *pro*

NOTÆ

44 *Palatinas non bene vidit aves*] Remus et Romulus fratres gemini, cum urbem in eodem loco, in quo fuerant educati, communibus votis condidissent, inter eos postea orta contentio est, uter urbi novæ nomen daret, conditamque imperio regeret. Placuit rem avium arbitrio permitti. Remus montem Aventinum, Romulus Palatinum occupat. Remus prior sex vultures, Romulus postea duodecim videt volantes. Sic victor augurio Romulus urbem suo de nomine Romam vocat, imperioque regere incipit. Rem eleganter refert Ovid. Fast. IV. 'Contrahere agrestes et mœnia ponere utrique Convenit: ambigitur mœnia ponat uter. Nil opus est, dixit, certamine, Romulus ullo, Magna fides avium est; experiamur aves. Res placet: alter init nemorosi saxa Palati; Alter Aventinum mane cacumen habet. Sex Remus, hic volucres bis sex videt ordine: pacto Statur, et arbitrium Romulus urbis habet.'

46 *Regia vela*] Vela nimirum Cleopatræ, Ægypti reginæ, quæ purpurea fuisse dicuntur. Plin. XIX. 1. 'Velo purpureo ad Actium cum M. Antonio Cleopatra venit, eodemque effugit.'

Nec te, quod classis centenis remigat alis,
  Terreat: invito labitur illa mari.
Quodque vehunt proræ Centauros saxa minantes;
  Tigna cava, et pictos experiere metus.
Frangit, et attollit, vires in milite causa;
  Quæ nisi justa subest, excutit arma pudor.
Tempus adest: committe rates: ego temporis auctor
  Ducam laurigera Julia rostra manu.

mis est navibus Latinis. Ne vero te commoveat, quod classis regia *centum remis impulsa feratur, ipsa* namque *invitum per æquor navigat; et licet proræ ad terrorem factæ ferant saxa Centaurica, cognosces trabes esse cavatas, cassasque formidines inanesque terrores esse senties. Jus partium in militibus frangit, vel excitat vires, quod si non est æquum, turpitudo cogit arma abjicere. Nunc tempus adest, jube naves congredi; ego temporis conditor Juliam ratem deducam manu* mea *victrici.*

Scaliger et ante eum Itali.' *Lachm.*—47 'Pro vulg. *remiget* Leid. et Voss. 3. a m. sec. *remigat*, ut correxit Schrader. Emend. p. 173.' *Burm.* *Remiget* defendit Lachm. et edidit cum B. B.—48 '*Et multo* Guarn. *Invicto* Brix.' *Barth.* 'Leid. 2. *et invito.* In Mentel. Vat. 5. Borr. Groning. Voss. 3. 4. Dorv. 2. et meo 1. *et multo.* In Regio, Colb. Venet. 2. Rheg. et Volsci *invicto*, sed præfero *invito* ex Vicent. Ber. et reliquis.' *Burm.* '*Invito* noster, quod verissimum est.' *Lachm.*—49. 50 'Colligo legend. *Centauros saxa minantes:* quod, ni fallor, etiam Guyeto placebat. Vulgata lect. si recta esset, certe proræ omnino dici deberent *minaces*, non *minantes*. Nostri libri et Groning. *experiere:* recte, et vere.' *Broukh.* '*Quotque* Dresd. *Centaurica saxa* omnes libri. *Centauros saxa minantes* recepit Bronkh. et post eum Vulp. ac Götting. citra necessitatem. *Minaces proræ* eæd. sunt quæ *minaces*. *Minantis* Dresd. *Minante* Aldd. sed Colin. *minantes*. *Experiere* Dresd.' *Barth.* '*Quaque vehunt* Colot. et Vat. 1. *Quique* Colb. Sed *Quodque* pro, Quamvis, bene exposuit Vulpius. *Centauros saxa* recte edidit Bronkh. cum in codd. et priscis edd. legatur *Centaurica saxa.* Minus placet Heinsii conjectura *Centaurica monstra.* *Centaurea saxa* Ask. *Ceraunica* corrupte in Dorv. 1. *Centauria* in Neap. a pr. m. forsan pro *Centauri*, quia *minantis* in plerisque aliis codd., ut in Colb. Mentel. Borr. Voss. Dorv. 2. meo 1. Venet. 2. Vicent. Rheg. Lep. et Volsci. *Minante* vitiose in Aldd. Junt. et Colin. [Vid. sup.] *Minantes* Ber. Ronill. Gryph. Canter. aliis. *Numantis* in meo 2. in marg. *minantes* pro varia lect. *Centaurica signa* conj. Markl. *Signa cava* Borr. male. *Experiare* in Voss. 1. meo 2. et Venet. 2. Rheg. Volsci, Aldd. Junt. Colin. et Gryph. sed *experiere* in Exc. Mod. Neap. Vat. 5. Borr. Vicent. Ber. Ronill. et sic Guyetus; quod recte admisit Broukh.' *Burm.* 'Scriptorum lect. non deterior est, si recte intelligatur: *Centaurica saxa minantes.*' Lachm. Nostram lect. horum vss. dant B. B. B.—52 *Discutit* Ask. quod damnat Burm.—55 '*Et*

NOTÆ

49 *Centauros saxa*] Nota vis est Centaurorum, qui pugnantes in Lapithas ingentia saxa, et, loco saxorum, pocula et arbores jaculabantur.

50 *Tigna cava*] Ostendit classem Antonii et Cleopatræ non esse timendam, quamvis in ea sint naves immensæ magnitudinis, quæ quidem sunt solidæ, sed egregios non habent bellatores.

Dixerat, et pharetræ pondus consumit in arcus:
  Proxima post arcus Cæsaris hasta fuit.
Vincit Roma, fide Phœbi; dat fœmina pœnas;
  Sceptra per Ionias fracta vehuntur aquas.
At pater Idalio miratus Cæsar ab astro,
  Sum Deus; en nostri sanguinis ista fides.
Prosequitur cantu Triton; omnesque marinæ
  Plauserunt circa libera signa Deæ.

Ut locutus est, onus coryti in arcum impendit, post sagittas Phœbi proxima fuit hasta Cæsaris. Victrix est Roma ope et auxilio Phœbi, mulier supplicium luit, ejusque *sceptra contrita per fluctus Ionios feruntur. Sed Cæsar pater cum admiratione prospectans ab Idalio sidere, ait,* Ego *sum Divus, meique generis hæc certa probatio* est. *Triton canendo prosequitur, et omnes Divæ æquoreæ plausum dede-*

arcus Groning. Dorv. 2. Conjeceram aliquando *in ictus.*' Burm.—56 'Ingeniosa est et capitalis Heinsii emendatio, N. in Ov. II. F. 751. *furit.*' Broukh. Frustra factam hanc conj. pronuntiat Barth. '*Furit* recte edidit Bronkh. et ita Guy. cum in edd. vulg. antea legeretur *fuit*, quod certe languidius, licet hoc in omnibus codd. habeatur.' *Burm.* 'Nihil sine codicum auctoritate mutand. Nec quærendum, quid scriptor scribere potuerit, vel debuerit, sed quid vere scripserit.' *Kuin.* 'Critici poëtas ubique aut furere aut magna verba aut elegantias effundere volunt. Liceat, quæso, Propertio ita loqui, ut eum locutum esse libri vett. testantur.' *Lachm.*—57 'Edd. principes, easque secutæ, ita interpungunt: *Vincit Roma, fide Phœbi d. f. p.* In aliis [ut et in Barthii ed.] *Vincit Roma, fide Phœbi, d. f. p.* Sed prius longe præferendum; fide enim Phœbi vincere dicitur Roma ob vs. 39. nisi 'fide' pro augurio Phœbi Augusto opem afferentis interpretari quis malit.' *Burm.* Hunc vs. semel interpungunt, videl. post 'Phœbi,' Broukh. Burm. Lachm.—59 '*Et p.* Aldd. *At* Colin. cum Guarn. ac Dresd. *Miratur* Guarn. Brix. ac Venet. *Miratus* Aldd. cet.' '*Et p.* Borr. Aldd. Junt. Colin. [vid. sup.] et Gryph. *Aut p.* Harl. *At p.* in Mentel. Heinsian. Groning. et reliquis fere omn. codd. atque edd. prr. usque ad Ber. *Italio* vitiose Neap. *Miratur* in Mentel. Groning. tribus Voss. Ask. Dorvv. et meis, cum priscis edd.' *Burm.* 'Repone *At p. Idalio miratur Cæsar ab astro. Tum Deus: En nostri s. ista f. Miratur* scripti, ni fallor, omnes et impressi ante Muretum.' *Lachm.*—60 'Fortius eriges sententiam, si legeris, quo modo sane legend. arbitror, et in Palatt. invenisse testatur Gebhardus, *en, nostri.*' Broukh. Assentitur Barthius. '*Est nostri* Colot. Vat. 1. 5. Dorvv. *Et nostri* in Leidd. Voss. tribus, meo 1. et prr. ceterisque edd. priscis. *Et vestri* in meo 2. *Est vestri* Dorv. 1. Markl. ascripserat *Et*, vel *En*, *nostri sanguinis iste, fides:* sed addiderat, nihil temere mutand.' *Burm.*—61 '*Persequitur* male in Dorv. 2. Valde blanditur lectio, quam ex suo cod. affert Demsterus III. Etrur. Reg. 67. *Prosequitur concha T.* Receptæ lect. favere posset locus Sen. Troad. 202.' *Id.*—62 *Circum*, eu-

NOTÆ

59 *Idalio ab astro*] Cæsar dicitur pater Augusti, non natura, sed adoptione; erat enim tantum ejus avunculus major. De ipsius adoptione Suetonius in Aug. c. 4. 'Idalium' porro 'astrum' Propertius vocat, quod Horat. Od. I. 12. dicit 'Julium sidus.' Cæsar enim post mortem Deus factus esse et inter astra relatus dicitur. Idalium idem est, quod Venereum, ab Idalio civitate Cypri Veneri cara; Cæsar autem a Venere originem ducebat.

Illa petit Nilum cymba male nixa fugaci,
  Hoc unum, jusso non moritura die.
Di melius: quantus mulier foret una triumphus,
  Ductus erat per quas ante Jugurtha vias!
Actius hinc traxit Phœbus monumenta, quod ejus
  Una decem vicit missa sagitta rates.
Bella satis cecini: citharam jam poscit Apollo
  Victor, et ad placidos exuit arma choros.
Candida nunc molli subeant convivia ludo;
  Blanditiæque fluant per mea colla rosæ;

runt circa signa victricia. Ista fœmina *Nilum repetit non bene fulta lintre fugitiva. Id tantum* defuit triumpho, *quod illa coacta non fuerit die sibi constituto perire.* Sed *Superi melius. Quam magnus esset de una* fœmina *triumphus per vias easdem, per quas prius fuerat* rex *Jugurtha ductus! Inde Phœbus Actiacus* suam *celebritatem et famam habuit, quod unicum ejus telum vibratum decem naves devicit.* Ego *sat cantavi prælia, nunc sibi lyram dari vult Apollo victor, et ad molles choros arma deponit. Jam lætæ succedant epulæ in nemus amœnum, et suavibus rosis caput*

phoniæ causa, legebant Franc. et Markl.—64 *Viso* Heinsian. Ask. *Viso non peritura* Borr. Burm. 1. *Nocitura* Voss. 4.—65 *Tantus* Colb. *Quantum* Voss. 3.—67 *Phœbi* in Guarn. Voss. 4. et 3. pro varia lect. Borr. et Burm. 1. *Quid ejus* Venet. 2. et Rheg. *Quot ejus* ed. Volsci.—68 *Vincit* Colb. Voss. 4. et Dresd.—69 *B. s. tecum* Brix. Venet. 2. Rheg. et Volsci ed. *Jam* deest Dorv. —70 *Exerit* Burm. 1. *Thoros* Dorv. 1. et in Burm. 2. marg. pro varia lect. *Eximit arma thoros* Palat.—71 *Subeam* Perr. v. c. Vat. 1. 2. ut conjecerant Heins. et Broukh. Pro *luco* in Vat. 1. *Baccho.* Ayrm. *lecto.* Heins. legebat *Condita* (vel *Candida*) *n. m. subeam conv. ludo;* etiam Livineio placebat *ludo*, probante Burm. P. ad Val. Fl. I. 251. Id astruit noster Burm. locis, quibus, ait, posset firmari.—72 '*Blanditiæ fluant* Guarn. *Blanditiæque fl.* Dresd. Aldd. cett. etiam Gött. quod per appositionem explicandum. *Blanditæque* Scal. Broukh. et Vulp. editt. cum C. Com. recte. *Blanditus* ponitur pro, blandus.' *Barth.* 'Scaliger emendabat, *Blanditæque.* Scaligeri etiam vestigia presso pede ma'e secutus est Gebh. Crepund. III. 11. et Passerat. ad h. l. *Blanditiæque* in plerisque codd. et edd. priscis. *Blandiciæque* in Ask. et meo 1. *Blandidutæque* duo Vatt. et Perr. v. c. qui etiam ascripserat, Pontanum legisse *Blandusiæque fluent.* Nomen rosis celebrioribus proprium requiri videtur, et blanditur admodum Fruterii conjectura *Blandinæque fluant.* Eand. margini ed. Rouill. alleverat Dousa P. Hanc emend. admittam libenter, si

NOTÆ

63 *Illa petit Nilum*] Regina nimirum Cleopatra in Nili recessus aufugit.

66 *Jugurtha*] Numidiæ Rex, captus a Caio Mario, ac catenis vinctus, Romæ ductus est in triumphum, ubi non diu post in carcere inedia periit.

67 *Actius traxit Phœbus monumenta*] Ut victoriæ Actiacæ memoria celebratior in posterum esset, urbem Nicopolim apud Actium condidit Augustus, ac ibidem ludos instituit quinquennales, templumque Apollini celeberrimum ædificavit. Insuper etiam Romæ templum Apollinis Palatini construxit. Hæc Poëta vocat 'Apollinis Actii monumenta.'

Vinaque fundantur prelis elisa Falernis;
  Terque lavet nostras spica Cilissa comas.
Ingenium potis irritat Musa poëtis.
  Bacche, soles Phœbo fertilis esse tuo.

meum affluat. Affundatur etiam merum torcularibus Falernis expressum, ac meos crines iterum ac tertio perfundat spica Cilissa. Vatibus potis excitet ingenium Musa: o *Bacche,* tu *consuevisti fertilis existere tuo Phœbo. Ille narret devictos esse*

Blandinarum rosarum celebritas aliquo vet. scriptoris loco probata occurrat. *Fluent* Mentel.' *Burm.* 'Hinc Mits. legend. suspicatus est *Pæstanæque*, de quibus Poëta 4. 59.' *Kuin.* 'Perquam infelix Scaligeri emendatio. Scriptorum lectionem *Blanditiæque* frustra tueberis. VV. DD. rosas *Blandusias* et *Blandinas* comminiscuntur, de quibus nihil constat. Lego *Blande utrinque fluant*. In vs. superiore malunt VV. DD. *subeam convicia*, quod dubito an Latinum sit. Sed recte *subeant conv. luco*.' Lachm.—73 *Plenis* Borr. Heinsian. *Prælis elixa* Ask.—74 '*Perque* Dresd. *Calisca* Posth. *Calissa* Guarn. *Cylisca* Venet. *Manus* Dresd.' *Barth.* '*Perque* in Neap. Borr. Ask. Voss. 1. Dorv. 2. et meo. *Terque velat* Voss. 4. *Spica calisae* Mentel. Ask. *Calisa* in Borr. et meo 1. *Cylissa* in 2. ut in vetustiss. edd. vel *Cylisca*. Crocum, cujus Cilicia ferax, intellexit Scaliger, et ante eum Volscus, licet dubitanter, nam *Syrisca* etiam conjecit, de nardo Syriaco explicans. Nardinum unguentum, ex spica nardi confectum, exposuit Beroaldus. Crocinum unguentum, quo comas perfundebant, intelligebat Passerat. Mercurialis Lectt. Var. vi. 7. non de mero croco, sed de crocino unguento, quod in Cilicia laudatissimum, exponit, licet addat, non inconcinne etiam de nardo intelligi posse, ut sub *spicæ Cilissæ* nomine nardum Syriacum innuerit Poëta.' *Burm.*—75 '*Positis* Palatt. C. Com. Guarn. Dresd. Brix. *Irritat* Scaliger, quod non placet.' *Barth.* '*Positis irritet* male in Neap. Regio, Colb. Borr. Groning. Exc. Scal. Leid. 1. Voss. 1. 4. Dorv. 2. meo 1. Venet. 2. Rheg. ac Volsci, Ald. 1. Junt. Colin. et sic affert Nestor in Vocab. p. 71. sed *potis* recte legitur in Vat. 2. Vicent. Ald. 2. Mur. Rouill. Gryph. Canteri, et aliis, et ascripsit Puccius ad Rheg. *Irritat* recte Scaliger, Livin. et Passerat. dissentientibus licet scriptis et editis, in quibus *irritet*.' Burm. '*Irritet* revocamus. Sed *potis* egregie Itali.' *Lachm.*

NOTÆ

73 *Prelis Falernis*] Optat sibi infundi vinum Falernum, quod optimum existimatur, et in agro Falerno, quæ regio Campaniæ est, nascitur.

74 *Spica Cilissa*] Quid sit 'spica Cilissa,' maxima lis est inter scriptores. Scaliger vult esse bulbum nardi Indicæ; alii volunt esse crocinum unguentum, quia nimirum crocum optimum Cilicia ferre quondam dicebatur; alii volunt 'spicam Cilissam' esse nardinum unguentum, quod spica nardi dicitur, etenim nardus in Cilicia nascitur, ut scripsit Dioscorides.

75 *Potis poëtis*] Ingenium acuit, acriusque reddit vinum. Horat. Epistol. i. 19. 'Ennius ipse pater nunquam, nisi potus, ad arma Prosiliit dicenda.' Martial. xi. 7. 'Possum nil ego sobrius; bibenti Succurrunt mihi quindecim poëtæ.'

76 *Bacche, soles Phœbo*] Bacchus et Phœbus Dii sunt poëtarum, quibus etiam communia fuerunt in Parnasso sacra. Dicitur autem Bacchus fertilis Phœbo, quia vino sæpe vegetatur ingenium ad carmina facienda. Deinde etiam dicitur Apollo fuisse in Bacchi fratris sui una cum Musis comitatu.

Ille paludosos memoret servire Sygambros;
  Cepheam hic Meroën, fuscaque regna canat;
Hic referat sero confectum fœdere Parthum:
  Reddat signa Remi; mox dabit ipse sua.
Sive aliquid pharetris Augustus parcet Eois,
  Differat in pueros ista tropæa suos.
Gaude, Crasse, nigras siquid sapis inter arenas;
  Ire per Euphraten ad tua busta licet.

palustres Sicambros, iste vero *Cepheam Meroën, et imperia infuscata cantet. Iste dicat Parthum tardiori pace supplicem:* ut ille *restituat signa Remi,* qui *ipse sua modo tradet. Si vero nonnihil Augustus corytis Eois remittet, has victorias et triumphos liberis nepotibusque suis relinquat. Lætare, o Crasse, si quis tibi sensus est inter atras arenas: jam liberum est iter per Euphratem ad sepulcrum tuum. Igi-*

—77. 78 '*C. hinc* Dresd. et Brix. *Cepheam hinc mirein* Guarn. *Myron* Posth. *Meroin* Brix. *Signa* Vat. *Segna* Guarn.' *Barth.* '*Illa* Dorv. 1. *Sevire* Voss. 4. Groning. Ask. Dorv. 2. *Licambros* in Borr. et meo 1. *Sycambros* in Leid. 1. et priscis edd. *Sygambros* scribend. præferunt VV. DD. *Cephean Merom* Neap. *Cephean hic Myron* Exc. Mod. *Mirum* meus 1. *Mirim* Borr. *Cepheam hinc merorin* Venet. 2. et Rheg. *Signa* male in Voss. 4. meo 1.' *Burm.*—79. 80 '*Hinc referat fero* in prr. edd. *Hoc referat* Leid. 1. *Hec referat ferro* in meo 2. *Confossum* Ask. *Cedere Parthum* Dorv. 2. Heins. N. Prop. p. 750. tentabat, *confessum fœdera,* aut *sero confectum fœdere,* vel *Hic referat Seras confessum et fœdera Parthum,* vel denique *Hic referat sero confessa in fœdera Partho Reddere signa Remi;* e quibus *sero confectum fœdere* præ ceteris placet: vel, *Seras, confessum et fœdera Parthum.* Livin. quoque *confectum* volebat. *Reddit* Groning. ut legebat Ayrm. *Ipsa sua* Voss. 4.' *Id.* 'Vera haud dubie lectio est *confectum.*' Kuin. qui censet Passeratium contorte explicare *confessum,* quod dant B. B. B. L.—81 *Aliquis* in Neap. Guarn. Groning. Borr. Ask. Leidd. tribus Voss. Dorvv. meis, et priscis edd. usque ad Ber. in qua *aliquid,* ut in reliquis. *Aliqua* Perr. v. c. et duo Vat. *Paret* in Voss. 4. et meo 1. *Parcit* in Heinsian. *Deferat* Dorv. 1. *Differet* correxerat Franc. quod probat

NOTÆ

77 *Paludosos Sygambros*] Sygambri populi sunt Germaniæ, Menapiis vicini, qui ad utramque Rheni ripam positi regiones palustres incoluerunt. Unde dicuntur 'paludosi.' De his vide Strab. Lib. IV.

78 *Cepheam Meroën*] Meroë omnium, quas Nilus efficit, insularum maxima est, quæ et urbem ejusdem nominis habet, totius insulæ caput. Dicitur autem Cephea a Cepheo, Andromedes patre, qui in ea regnavit.

Fuscaque regna] Ægyptum, Æthiopiam, Indiam, aliasque regiones intelligit, quarum incolæ vultus nigredine decolorantur.

80 *Reddat signa Remi*] H. e. Parthi se devictos esse confitentes, ac pacem ab Augusto petentes, signa Romana restituent, quæ Crassis eripuerunt. Vide annotat. ad III. 4. et 5.

83 *Nigras inter arenas*] Assyriæ seu Mesopotamiæ campos, quorum humus utpote pinguior ac uberior, nigra est, significat, in quibus a Parthis occisus est Crassus uterque, pater nimirum ac filius; de quibus dictum est ad III. 4. et 5. Ovid. Fast. VI. 'Crassus ad Euphraten aquilas, na-

Sic noctem patera, sic ducam carmine, donec
Injiciat radios in mea vina dies.

tur noctem vino et cantu transigam, quoad usque dies in pateras meas radios suos *vibret.*

Burm.—83 *Supit* Dresd.—85. 86 '*Sic pocem* male in Voss. 1. et Dorv. *Irradiat medios* vitiose affert Dorleans ad Tacit. p. 381. *In mea jura* corrupte in meo 1.' *Burm.*

NOTÆ

tumque, suosque Perdidit, et leto est ultimus ipse datus.'

84 *Ire per Euphraten ad tua busta*] Nullum tamen fuisse comperitur Crassi sepulcrum. Nam caput ei dextramque abscissa delataque ad regem Parthorum fuisse Dio, Plutarchus, et Appianus narrant, qui de sepulcro nihil.

86 *Injiciat radios in mea vina*] Ob Augusti victoriam vult in diem producere convivium. Tibull. 'Illum sæpe ferunt convivia ducere Baccho, Dum rota Luciferi provocet orta diem.'

ELEGIA VII.

DE CYNTHIA.

Sunt aliquid Manes; letum non omnia finit;
Luridaque evictos effugit umbra rogos.

Mortuorum animæ sunt aliquid: mors cuncta non destruit; sed pallidi manes bus-

'*Cynthiam vita functam sibi apparuisse scribit* Dresd. *Somnium* ed. Mur. *Ad Cynthiam* Aldd. cett. *De Cynthia* Lugd. Grasseri habet, quam hic sequendam duximus.' *Barth.* '*De Cynthia* vel *Ad Cynthiam* inscribitur in codd. In Borr. *Quod anima sit immortalis.* In meo 1. *Qualiter umbra Cynthiæ jam defunctæ apparuit sibi in somnis.*' Burm.—1 *Aliqui* Palat. 1. quod non malum esse censet Barth. Pro *omn.* Gifanius ad Ov. Tr. IV. 10. 86. affert *nomina.*—2 *Lur.* defendit Burm. et probat ed. Cant. et dant B. B. B. L. 'Pro *Lurida*, quod in omn. codd. legitur, Vat. 5. habet *Lucida:* et sic in Venet. 2. Rheg. Aldd. Junt. Colin. [Brix.] Gryph. 1551. Antverp. Plantini, et Grasseri: et ita legisse Auratum notavit Dousa P. Conjecit ita quoque Perreius in marg. ed. Ald. Etiam Gutherius de Jure Man. II. 16. p. 275. *Lucida* probabat. Vera tamen lectio *Lurida.* *Evinctos*

NOTÆ

1 *Sunt aliquid Manes*] Somnium narrat Propertius, quo sibi vidisse Cynthiæ umbram visus est, eaque quæ ab ipsa audierit commemorat. Carpit autem eos qui Manes nihil esse contendunt, nihilque post mortem superesse.

Cynthia namque meo visa est incumbere fulcro,
  Murmur ad extremæ nuper humata viæ;
Cum mihi somnus ab exequiis penderet amaris,
  Et quererer lecti frigida regna mei.
Eosdem habuit secum, quibus est elata, capillos;
  Eosdem oculos: lateri vestis adusta fuit.

torum flammas effugiunt. Mihi *enim visa est Cynthia recens sepulta ad lapidem extremæ viæ lecto meo incumbere, cum mihi suspensus esset et incertus sopor ab* ejus *tristi funere, meique tori regnum algere lamentarer. Eosdem ipsa habebat crines,* cum *quibus est elata* domo sua ad sepulcrum, *eosdem ocellos:* ejus *lateri vestis in-*

Neap. Mentel. Borr. Harl. Leid. 2. Voss. tres, Dorvv. et mei: sed ex primis edd. id tantum reperi in Vicent. reliquis *evictos* constanter tuentibus. Passerat. in aliis libris *exstructos* vel *evinctos* legi notavit, unde *extinctos* vel *exstructos* conjecit, ut in ora ed. Gryph. etiam conj. Heinsius.' *Burm.*—4 *Murmur* recte defendere Broukh. censet Barthius. ' *Murmur* in omn. fere codd. et edd. priscis, nisi quod *Marmor* in Exc. Scal. et Dorv. 2. a m. sec. ut Lipsius [adolescens, addit Broukh.], Frut. et Guy. Sed recte Heins. N. Prop. p. 751. observat, vias non marmore, sed silicibus stratas fuisse; cui placebat lectio vet. cod. a Passerat. notata: *Margine in extr.* [At *Margine* glossema sapit. *Kuin.*] Neque inelegans videtur hæc lectio, quam prætuli olim ad Lotich. p. 348. *Murmur ab* Ask.' *Burm.*—5. 6 Broukh. defendit hanc structuram, et τὸ *amaris* verum pronuntiat. ' Ita versus hic constructus legitur in Palat. C. Com. Bon. Dresd. et editt. melioribus, inprimis Ed. pr. sed aliæ editt. sc. Brix. Venet. Aldd. cum Guarn. hunc ordinem collocationis faciunt: *Quom* (vel *Cum*) *mihi ab exequ. s. p. a.* Præterea *exquiliis* Brix. pro *exequ.* *Amoris* vero legitur in omnibus libb. antiqu. *Amaris* probb. Vulp. Græv. Lond. et Gött.' *Barth.* ' Ita hic versus exhibetur in Neap. Colb. Mentel. aliisque notæ melioris: sed *Cum mihi ab ex. s. p. a.* in Regg. Borr. Groning. Leid. 2. duob. Voss. Dorv. 2. et aliis, in quibus etiam *amoris* pro *amaris*, ut recte emendavit Livineius, quod a Vat. 5. firmatur. *Exquiliis* vitiose in Venet. 2. Rheg. et Volsci, et mox *leti* pro *lecti* in Dorv. 2.' *Burm.* ' Vide quantum deceperit Burmannum error typographi Broukhusiani. Sc. in textu Broukhusii *amaris* legitur; ita conjecisse Livineium narratur in nota. Sed exempla, quibus Livineii conjecturam firmat, ad aliam lect. pertinent, *somnus amarus*, eaque ipsa est Livineii emendatio. Hæc et nobis valde probatur, *exequiis amaris* non item. Sed codicum scripturam non audeo rejicere: *Cum mihi somnus ab exequiis penderet amoris.*' Lachm.—7. 8 ' Scriptura *Hosdem* Lipsio quondam familiaris, et vera ac vetus æstimata. Aliis potius placet esse crasin.' *Broukh.* ' *Hosd.* Guarn. Dresd. Ed. pr. *Elapsa* Posth. inepte.' *Barth.* ' *Hosdem* in Neap. Vat. 2. Regg.

NOTÆ

3 *Fulcro*] Fulcrum hic pro lecto sumitur.

4 *Murmur* [*Marmor*] Ad columnam, vel pilam, vel potius lapidem, quo milliare signabatur. Plures legunt *murmur*; putantque Cynthiam ad ripam fluminis Anienis fuisse sepultam, ubi 'per pronum trepidat cum murmure flumen.'

Extremæ viæ] 'Extrema via' locus est in quem via desinit. Ulpian. L. 3. de locis et itineribus publicis tit. 7. Lib. XLIII. ' Viæ militares exitum in mare, aut in urbes, aut in flumina publica, aut ad aliam viam militarem habent.'

Et solitam digito beryllon adederat ignis;
  Summaque Lethæus triverat ora liquor.
Spirantisque animos, et vocem misit: at illi
  Pollicibus fragiles increpuere manus:
Perfide, nec cuiquam melior sperande puellæ,
  In te jam vires somnus habere potest?
Jamne tibi exciderunt vigilacis furta Suburæ,
  Et mea nocturnis trita fenestra dolis?

erat exusta: flammæque beryllon ejus *digito assuetum corruperant, et aqua Lethæa* ipsi *summa labra detriverat; spiritusque animosos vocemque emisit: sed ipsi manus graciles digitis strictæ strepuerunt.* *O infidelis*, ait, *neque ulli fœminæ fidelior sperande, an sopori tam cito potes succumbere? an tam cito oblitus es furta Suburæ vigilantis, fenestramque meam nocturnis* tuis *fraudibus protritam? Per quam delapso*

Colb. Mentel. Exc. Scal. Ask. Borr. Groning. Voss. 1. 4. Dorvv. meo 2. et prr. edd. usque ad Aldd. ceterasque, in quibus recte *Eosdem*, et sic affert Nestor in Vocab. p. 153. b.' *Burm.*—9 'Passeratii libb. *obed.* Aur. *obed.* Sed nihil mutand.' *B. B.* '*Solitam* edd. recentiores. *Ignes* C. Com. quod Gebhardo ἀρχαϊκῶς dictum videtur.' *Barth.* '*Solitus* v. c. Frut. *Solitum* in omn. codd. et edd. vetustis. *Solitam* bene correxit Heins. N. Prop. p. 751. et Advers. I. 2. *Beryllos* Neap. *Ademerat* male in Regio, Voss. 1. meo 2. et Venet. 2. Rheg. et Volsci. Vulgatam adjuvat vitiosa lectio Ask. *adderat*, et ed. Colin. *aderat*, typi errore. Aur. male *obed.* legebat.' *Burm.* *Solitam* frustra maluisse Heins. censet Lachmannus. Id dant B. B. B.—10 'Schrader. Emend. p. 174. *tinxerat o. l.* vel *tinxerat o. color.* In omn. codd. et edd. priscis *triverat*; et hoc f. melius cohæret cum 'vestis adusta' et 'beryllon adederat ignis.' *Burm.*—11 '*Spirantesque* editt. vulgg. Heinsius emend. *Suspiransque animo vix vocem emisit: at illi cet.* audacissime. *Spirantisque* est in melioribus libb. Brix. Venet. Grass. Vulp. Gött.' *Barth.* '*Spirantes* in nonnullis codd. et edd. priscis. Sed *spirantisque an.* quod multo plures codd. habent, præferendum. *Spirantesque oculos* Ask. Frut. conj. *Suspiransque animas vix vocem emisit*, vel *Suspiransque animo*, aut *Suspiransque imo*, vel denique *Spirantemque minas ita vocem emisit.* Heins. *Suspiransque animas.* Sed nihil mutand. *Suspiriumque* Perr. v. c. Idem Heins. legebat *Suspiransque animo vix vocem emisit, et illi Pollice bis f. i. m.* Advers. I. 3. N. Prop. p. 751.' *Burm.* *Spirantisque* dant B. B. B. L.—13 *Nequicquam* Dorv. 1. et Burmannianus. *Speranda* Mentel. Borr. et Burm. 1. *Sperandæ* 2. —15. 16 'Meliores libri *vig. f.* optime. *Vigilacis* jam erat a Scaligero vindicatum.' *Broukh.* '*Exciderunt* Mss. Gebhardi. *Vigilacis* Dresd. Ed. pr. *Vigilantis* Venet. Aldd. Colin. Mur. cett. *Facta* Brix. *Tecta*

NOTÆ

10 *Lethæus liquor*] Aqua Lethes, Inferorum fluvii, quam mortui bibunt. Virg. Æn. VI. 'Lethæos latices et longa oblivia potant.'

15 *Vigilacis Suburæ*] Subura vicus fuit Romæ, unde regio vicina dicta est Suburana, in qua meretricum erant diversoria, resque furtivæ vendebantur. Dicitur autem 'vigilax Suburra,' quia illic pervigilabatur a meretricibus; vel quia propter nocturnas rixas, vel propter canum latratus, ibi vix poterat somnus conciliari. Varro Lib. IV. de L. L. de Subura hæc habet: 'Subura, quod sub antiqua urbe fuerit; vel potius a pago Succusano, et Succusanus pagus, quod succurrat carinis.'

Per quam demisso quoties tibi fune pependi,
  Alterna veniens in tua colla manu!
Sæpe Venus trivio commissa, et pectore mixto
  Fecerunt tepidas pallia nostra vias.
Fœderis heu taciti! cujus fallacia verba
  Non audituri diripuere Noti.
At mihi non oculos quisquam inclinavit euntes:
  Unum impetrassem te revocante diem.

fune quoties in tui gratiam suspensa fui, ruens in tuos amplexus alternante manu. Sæpe Venus triviis credita est, vestesque nostras tepidas fecerunt vias. Proh! pudet *fœderis* istius *occulti, cujus inania verba venti surdi discerpserunt. Sed nemo mihi obeunti clausit oculos, te inclamante, diem unum* saltem *exorassem ac obti-*

Suburæ Guarn. et sic quoque in libb. antiq. esse testatur Heins.' *Barth.* '*Exciderant* plerique codd. ac edd. antiquæ. *Vigilacis tecta* in Leid. 1. Voss. duob. Dorv. 1. et meo. *Vigilatis tecta subire* Regg. Venet. 2. Rheg. et Volsci. *Vigilantis tecta subire* Vicent. *Subire* in Voss. 1. et Dorv. et meo 2. *Vigilantis furta suburræ* Neap. Colb. Borr. Groning. *Vigilacis* recte in Perr. v. c. Neap. Exc. Scal. Leid. Voss. 1. *Vigilacis scorta Suburæ* Heinsius. Sed bene *furta* de clandestinis amoribus intelligit Broukh. *Suburræ* male in Voss. 1. et Dorv. 1. et edd. priscis. *Subura* enim semper scribend. Neque cum Heinsio placet *sonis* pro *dolis.*' Burm. *Certa fen.* Bon.—17 *Dimisso* Leid. 2. quod improbat Burm. *Toties* Dresd.—19 'Bene [Id. censet Barth.] Groning. *commissa*, quod et Modio notatum Novant. Epist. 18. Deinde legend. *et p. m. F. t. p. n. v.* quo modo recte emendatum Heinsio.' *Broukh.* '*Commixta* Vat. *Commissa est: p. m.* Heins. Advers. p. 22. *Et p. m.* Vulp. Gött. *Tempore mixto* Palat. membr.' *Barth.* '*Commixta est* in Leidd. Voss. 3. 4. Dorvv. et meis. *Commissa est* Voss. 1. *Commista* Vat. 5. *Cum mixta* Colot. *Cum mista* Vat. 1. *Commissa* vera lectio, quam bene amplexus est Modius, et Heins. ad Ov. Rem. Am. 407. *Tempore mixto* Voss. 3. et Dorv. 2. *Est tempore* Ask.' *Burm.*—20 '*Trepidas* vitiose in Mentel. Regio, duob. Voss. Dorvv. meo 2. [Guarn. Brix.] Sed *tepidas* recte Heins. ad Ov. Amor. I. 12. 18. Pro *pallia* in Vat. 5. Regio, Colb. Mentel. Dorv. et meo 2. *pectora*. *Trepidas pectora* etiam in Venet. 2. Vicent. et Rheg. *Tepidas pectora* ed. Volsci, sed *tepidas pallia* in Ber. Aldd. ceterisque.' *Burm.*—21 Heins. Advers. I. 3. p. 22. emendabat, *F. heu taciti sic* (vel *dic*) *cur f. v.* Male, judice Burm.—23 '*Euntis* habent omnes libri. In multis quoque *inclamavit* reperitur: sed rectius Regg. Groning. noster 2. et pr. edd. *inclinavit* habent. Non possum non assentiri Viris summis C. Barthio et Heinsio, qui bono cum judicio restituerunt singuli *inclinavit hiantes*. Illum sis consule ad Stat. Papin. VIII. Th. 653. hunc vero in Ov. VII. M. 155. Quæ alia multa huc attulerunt homines docti firmandæ lectioni vulgatæ, si verum amamus, multum extra oleas spatiantur.' *Broukh.* 'Lectio vulgaris editt. Brix. Venet. Aldd. Colin. Gryph. Grass. cett. est *quisquam inclinavit euntes:* sed *euntis* legunt editt. Mur. et Lond. cum Bon. Guarn. et Reg. *Inclamavit euntes* ed. Scal. e Cod. et sic utique etiam Dresd. *Inclamavit euntis* ed. Græv. quomodo fere Commelini-

NOTÆ

23 *At mihi non oculos*] Nemo mihi, inquit, illud officium præstitit, ut obeunti clauderet oculos. Solebant autem veteres morientibus oculos claudere cum inclamatione et planctu.

24 *Unum impetrassem diem*] Pluto-

Nec crepuit fissa me propter arundine custos;
Læsit et objectum tegula curta caput.

misissem. *Neque custos propter me fracta virga vapulavit; at* mihi *later mutilus*

ante membr. quæ *inclammavit euntis.* *Euntes oculi* possunt esse, fugientes ac morte natantes, modo labentes, modo rursus sese aperientes. Certe lectio Palat. 2. *inflammavit* etiam probat τὸ *inclamavit.* *Hiantes* est ex emend. Heins. qui et *inclinavit eunti* tentabat Advers. p. 22. *Hiantes* receperunt Broukh. Vulp. et Gött. Quis credat Cynthiæ oculos neminem pressisse, ut hiantes manerent? id quidem minimum erat officium. At revocare, quod sequens versus quoque innuit, maximum amoris indicium fuisset.' *Barth.* '*Inflammavit* Dorv. 2. *Inlaniavit* corrupte in Voss. 3. h. e. *inclamavit*, ut in Exc. Scal. Ask. Dorv. 1. meo utroque, et Vicent. Quam lect. ex aliis libris etiam affert et defendit Gebhardus: sed *inclamavit* improbatur ab Heins. ad Ov. M. VII. 155. *Inclinavit* est in Vat. 5. Mentel. Venet. 2. Rheg. Volsci, Ber. Aldd. Junt. Colin. Rouill. Gryph. idque probabat Perreius in marg. ed. Ald. et Dousa. *Euntis* legitur in Neap. a m. pr. Exc. Scal. Regg. Ask. Leidd. tribus Voss. Dorv. 1. meis, Venet. 2. Vicent. Rheg. Volsci, Ber. Gryph. Rouill. *Eunteis* in Aldd. Junt. Colin. Grasseri, aliisque, h. e. *euntes*, ut clare in Dorv. 2. *Hiantes* legebat Heins. ad Ov. A. A. II. 115. M. VII. 155. Advers. I. 3. p. 22. Sed hanc conj. in Notis memorare præstat, quam contra omnium codd. et edd. veterum auctoritatem cum Broukh. in contextum invehere. Antiquam ergo lect. exhibui.' *Burm.* '*Inclamavit* haud dubie librariorum incuriæ suam originem debet.' *Kuin.* Nostram lect. dant Burm. Lachm. Broukhusii lect. exhibet Barth.—25. 26 *Fissa* defendit Broukh. '*Fixa* Guarn. Dresd. Brix. Arundine diffissa vapulabant servi. *Objectum* libb. plerique, etiam Gött.' *Barth.* 'Distichon hoc in codd. nonnullis legitur post vs. 20. ut in ed. Scal. Broukh. et Burm. sed in omnibus fere codd. et edd. antiquis eo l. legitur, quo nos illud reposuimus. Illa autem ipsa hominum doctorum dissensio, quorum alii disticha transponenda, alii codicum ordinem servandum esse contendunt, duplicem hujus l. impediti et obscuri interpretationem peperit. Explicant nimirum hæc verba vel de janitore, ostiario, vel de Cynthiæ cadavere negligentius tractato.' *Kuin.* '*Nec doluit* Perr. v. c. Vat. 1. 2. *Fissa* ex Regg. edidit Broukh. quod a Colot. et Vat. 5. firmatur. *Fixa* enim legebatur in Exc. Scal. Heinsian. Borr. Groning. Ask. Harl. Leidd. tribus Vossii, Dorv. 2. et meo 1. cum Venet. 2. Rheg. Volsci, Aldd. Junt. Colin. Gryph. 1551. et 1561. Grasseri, Scaligeri, aliisque edd. sed in Vicent. Ber. Rouill. Mureti Aldina 1558. Antverp. Plantini 1560. Canteri, Gryph. 1573. et Douss. *fissa* excusum est; quod probabat Scaliger et Heins. in Notis p. 751. Dorvill. versum hunc post verba 'Unum impetrassem' &c. collocandum censet. Pro *custos* Ayrm.

NOTÆ

nem, inquit, exorassem, ut unum saltem adhuc diem apud superos esse me pateretur.

25 *Nec crepuit fissa arundine custos*] Locum hunc valde quidem obscurum varie exponitur ab eruditissimis interpretibus. Alii volunt intelligi custodem cadaveris, qui per noctem fistula insonare soleret, ut esset ad vigiliam excitatior. Alii custodem interpretantur janitorem, qui non fuerit a Propertio propter amores suos cum Cynthia, quos sæpius interturbaverit, vulneratus. Alii denique custodem exponunt esse Cynthiæ invisum janitorem, qui in ejus funere vapulare debuerat, cum in more esset positum, ut mortuis hostium sanguine parentaretur.

26 *Læsit tegula curta caput*] Con-

Denique quis nostro curvum te funere vidit?
  Atram quis lacrymis incaluisse togam?
Si piguit portas ultra procedere, at illuc
  Jussisses lectum lentius ire meum.
Cur ventos non ipse rogis, ingrate, petisti?
  Cur nardo flammæ non oluere meæ?

caput impositum violavit. Demum quis te mœstum conspexit in *meo funere? quis vestem* tuam *lugubrem* vidit *immaduisse fletibus* tuis? Si tibi *grave fuit extra portas* urbis *egredi*, meumque funus ad sepulcrum comitari, *vel saltem jubere debueras meum feretrum lentius procedere.* O *perfide, quare ventos in pyram* meam *ipse non vocasti? Quidni ignes* rogi *mei unguentis perfusi sunt? Te nimirum*

legebat *postis.* In Voss. 3. et Ask. *te propter*, ut legebat Markl. *Læsit* ut Heins. *Abjectum caput* Guy. ut ex vet. libro profert Passerat. et sic edidit Vulp.' *Burm.* Suam lect. exponit Kuin. 'Hoc distichon,' ait Lachm. ad vs. 21. 'quod in codicibus ante versum 27. legitur, recte huc revocari existimo, quanquam incerta res est, nec f. ex iis, quæ nobis restant, veteris ævi reliquiis explicanda.' *Lachm.* ad vs. Barthius nostrum exhibet ordinem, nostramque huj. vs. lect. dant B. B. B. L.—27 'Scribe *furvum* cum Passerat. et Heins. in Ov. III. M. 272.' *Broukh.* '*Currum* Brix. Venet. Colin. levi aberratione.' *Barth.* qui *curvum* tuetur cum Kuin. quod in omn. codd. et edd. vetustis. *Currum* ed. Volsci quoque et Vicent. 'Vere, ut videtur, Passeratius et Heins. Certe, *curvum* qui aliter quam inepte explicaret, neminem vidi.' *Lachm.*—28 'Antonius Bendinellus reponebat *immaduisse*, quod et Realino suo persuadere potuit. Atqui omnes libri constanter habent *incaluisse*, etiam edd. antiquæ; quod neque debet mutari.' *Broukh.* *Immad.* frustra repositum censet Barth. Id legitur in Perr. v. c. et Vat. 1. 2. —29 '*At* Vat. Posth. *Illuc* Posth. Guarn. Dresd. cum editt. plur. Brix. Venet. Aldd. cett. nempe ad portam usque, saltem intra urbem. Sed non placet Broukhusio. Jam quid plura desideres?' *Barth.* '*Ultro* Ask. *At illuc* in omn. meis codd. et edd. fere plerisque antiquioribus, probante Dousa P. Sed *illud* excusum est in Mureti Aldina 1558. Ronill. Plantin. 1569. Gryph. 1573. Scaligeri et Douss. ut in marg. ed. Ald. correx. Heins. *Illud* probat etiam Livin. in Notis ad h. l. et ad Plin. Panegyr. cap. 73.' *Burm.* '*Illud* non debuit mutare Muretus.' *Lachm.*—30 '*Lectum illusisses* corrupte Mentel. *Jussisse* Voss. 2. *Lectum illusis* Voss. 1. *Jussisset* vitiose in Gryph. 1551. Non penitus spernenda est lectio codd. in quibus *Jussisses letum*, ut in Perr. v. c. Vat. 2. Dorv. 1. meo 2. Venet. 2. Rheg. et Volsci.' *Burm.*—31 'Noster

NOTÆ

queritur Cynthia sibi defunctæ mutilam ac fractam tegulam suppositam caput violasse, cum amicus ipsius, si fuisset verus, pulvinos molles ac delicatos ipsi debuisset subjicere.

28 *Atram quis lacrymis*] Atris vestibus indui lugentes, quibus luctum ac dolorem testarentur, a remotissima post hominum memoriam antiquitate consuevisse testatur Varro Lib. III. de vita pop. Rom. apud Nonium in verbo Anthracinus; color enim niger veteribus dicebatur Anthracinus. Hæc sunt igitur Varronis verba: 'Propinquæ adolescentulæ et adolescentuli etiam anthracinis, proximæ amiculo nigello, capillo demisso, sequerentur luctum.' Quod autem Plutarchus in problematis scribit matronas albatas funus prosequi consuevisse, id postea procedente tempore factum est, ut prisca mutaretur consuetudo.

31 *Cur ventos non ipse rogis*] Post-

Hoc etiam grave erat, nulla mercede hyacinthos
  Injicere, et fracto busta piare cado?
Lygdamus uratur, candescat lamina vernæ.
  (Sensi ego, cum insidiis pallida vina bibi.)
Aut Nomas arcanas tollat versuta salivas.
  Dicet damnatas ignea testa manus.

etiam piguit viles hyacinthos in meum bustum *immittere, manesque* meos *placare effuso dolio. Lygdamus inuratur, ardescat lamina ad* cruciandum *servum. Ego animadverti*, sed sero, id esse faciendum, *quando* ex *insidiis lurida pocula hausi. Nomas vero versipellis sputa magica removeat ; ignita* tunc *testa manus sceleratas*

2. *ventum* habet, quod non debet attendi.' *Broukh.* '*Cur breve thus* vult Heins. vel etiam *Curve unguenta rogis non spissa, i. dedisti?* Non videbat in lectione vulgata quoque latere exprobrationem avaritiæ. Neque enim venti sine pollicitatione sacrificii rogari poterant.' *Barth.* '*Ventum* Leid. 1. et Heinsian. *Dedisti* conj. Frut. et Heins. qui posterior præterea ad marg. ed. Ald. ascripserat *Curve unguenta rogis non spissa, i. petisti* vel *dedisti*, aut etiam *non missa, i. litasti*, et sic fere in Advers. p. 23. Idem N. Prop. p. 751. etiam tentaverat : *Cur breve thus non ipse rogis.* Sed frustra.' *Burm.*—32 *Nardon* legebat Lips. Var. Lect. II. 12.—33 '*Erit* male [Guarn.] Voss. 1. *Nec grave* . . . relicto vacuo spatio in Dorv. 2. a m. pr. *Nec grave et erat* Ask. Heins. legebat *Aut hoc si grave erat.* Sed vulgatum præfero, si interrogationis nota apponatur.' *Burm.*—34 Markl. conj. *stactes b. p. cado.* Damnat Burm.—35 'Hunc isti versiculi revocandi sunt, quos Scaliger [cum Broukh. et Burm.] contra codd. fidem alio transtulit.' *Lachm.* 'Hoc et sequens distichon sine idonea causa Scaliger collocavit post vs. 46.' *Kuin. Candescant* Borr. Leid. 1. *Candescant lamina* Dresd. *Candescant lumina verna* Exc. Scal. pro varia lect. *Campescat* Dorv. *Uretur* Livin.—36 '*Vena* Mentel. *Vena bibit* Leid. 1. Heins. conj. *pulla venena bibi*, et 'vernæ insidiis' conjungebat. Posset f. *pallida* ad ipsam Cynthiam referri, quæ sentiens insidias, cum vina biberet, palluit.' *Burm.*—37. 38 '*At* vult Passerat. et Livin. *Versita* Ms. Heinsii. *Sabinas* Dresd. apposita lit. *l* super lit. *b. Vicet* Dresd. *Siccet* Guy. *Dis et damnata Signia testa manu* liber scriptus Scaligeri, qui ipse emend. *Ducet:* sed Heins. vult *Signet* vel *Urat. Dicet* tamen præferunt libri plerique, nisi quod Veneta prima [sc. Barthii] habet *Dic et damn.*' Barth. '*Aonius arcana colat* Vat. 5. et Dorvv. *Ut N.* cod. Scal. *At N.* Groning. et meus 1. *An N.* Guy. *Ar-*

NOTÆ

quam jam esset incensa pyra ventos amici mortuorum petere solebant, qui flammam ardentiorem suscitarent alerentque, ut cadaver rogo impositum citius faciliusque cremaretur.

32 *Cur nardo flammæ*] Solebant veteres flores et unguenta in mortuorum rogos injicere, ut dictum est supra ad II. 13. 23. et 30. et III. 16. 23.

34 *Fracto cado*] Vino quoque rogus, sepulcrum, ac mortuorum cineres et reliquiæ respergebantur. Virg. Æn. VI. 'Reliquias vino et bibulam lavere favillam.' De hoc etiam ritu dictum est in notis ad Tibull. III. 2.

35 *Candescat lamina vernæ*] Ad vernam cruciandum. Ardentes laminæ tormentorum ac quæstionum genus fuerunt apud veteres.

36 *Cum insidiis pallida vina bibi*] Videtur innuere Cynthia Lygdamum veneno vitæ suæ insidiatum fuisse.

37 *Nomas*] Nomen est fœminæ veneficæ seu sagæ, quæ salivis uteba-

Quæ modo per viles inspecta est publica noctes,
  Hæc nunc aurata cyclade signat humum:
Et graviora rependit iniquis pensa quasillis,
  Garrula de facie siqua locuta mea est.
Nostraque quod Petale tulit ad monumenta coronas,
  Codicis immundi vincula sentit anus.
Cæditur et Lalage tortis suspensa capillis,
  Per nomen quoniam est ausa rogare meum.

manifestabit. Quæ nuper vulgaris inspectata est per noctes parvo pretio emtas, ista jam aureo syrmate terram verrit. Si vero forsan *aliqua nimium loquax de mea pulchritudine locuta est*, ei *reddit pensa graviora injustis calathis. Et quia Petale serta detulit ad meum sepulcrum*, infelix *vetula tetri codicis catenas patitur. Implexis etiam in funis modum crinibus Lalage pendens verberatur, propterea quod per*

chanas tollat vesana Ask. *Arcana colat versura* in Regio. *Colat* etiam in Dorv. 1. *Prodat* in Perr. v.c. Colot. et tribus Vat. *Salinas* in Neap. Borr. Leidd. Voss. 3. Dorv. 2. et meo utroque. *Salutes* Voss. 4. Mox *Dicet* in Regg. Colb. Leidd. tribus Voss. Groning. Ask. Dorvv. et meo 2. *Ditet* in 1. *Ducet* Exc. Scal. *Licet* corrupte Borr. et *Dicque* Neap. *Texta* Voss. 4. *Ducet*, ut edidit Broukh. a Scaligero est. Sed codicum auctoritatem sequi malui, et Scaligeri lectionem rejecit Gebh. Beroaldus legit *Dic et ;* etiam legit *produt* (typi vitio *probat* editum est).' *Burm.* 'Ita scribe: *At N.... salivas: Dicet &c. Dicet* omnes. Bene *salivas* impressi. Scripti plerique *salinas.*' Lachm.—41 '*Refundit* in Borr. Heinsian. Leid. 2. Voss. 1. 3. meo 2. Dorv. 1. *Et graviora pendit* Ask. *Graviora fundit* in meo 1. Venet. 2. Rheg. et Volsci, sed *rependit* in Vicent. Ber. Aldd. ceterisque, quæ sanissima lectio est. *At graviora* legit Markl. ad Stat. Sylv. p. 243.' *Burm.*—43 '*Coronas* habent omnes libri, cum edd. pr. *Corollas* primum comparuit in Aldd. quod tamen ipsum non est malum: et habuit f. ille idoneos libros, quos auctores sequeretur: sed nos, quamvis in re pusilla, veterem lect. maluimus revocare.' *Broukh.* '*Peale* ed. Mur. *Petele* Lond. *Corollas* ed. Græv.' *Barth.* '*Petale ... coronas* in Regg. Colb. Neap. Mentel. Borr. Groning. Dorv. ceterisque codd. et priscis edd. sed *corollas* in Aldd. Junt. Colin. Rouill. Gryph. Grasseri, aliis. *Ad m. corollas* hiatu relicto desunt in Voss. 4. *Nostraque Petale* omisso *quod* in Mentel. Ask. et meo 1. prima in *Petale* male producta. *Pethale* in priscis edd. *Parale* vitiose in ed. Græv.' *Burm.*—45. 46 '*Ceditur* Ald. 2. *Lalace* Dresd. Brix.' *Barth.* '*Cacior* cor-

NOTÆ

tur ad expiationes, quas lustrales seu purgatorias Persius appellavit: 'lustralibus ante salivis Expiat.'

38 *Dicet ignea testa*] 'Ignita testa,' ut supra dixit, 'lamina candescens,' fateri coget, cujus manibus sceleratis mixtum fuerit venenum.

39 *Quæ modo inspecta est*] Ut exploraretur an placeret emtori; nam res venales ac merces inspiciuntur.

40 *Cyclade*] Cyclas species est vestis muliebris, quæ a forma nomen habere dicitur.

43 *Petale*] Nomen est vetulæ, quam vinculis codicariis constrictam fuisse dicit quod ad suum tumulum flores detulisset.

44 *Codicis immundi*] Hoc in loco codex, seu caudex, tormenti genus est, vulgoque Gallice dicitur *un billot*. Ad codicem alligabantur servi, captivi, rei, &c. Erat autem ligneus stipes, quem ægre trahebant, et cui vincti insidebant. Juvenal. Sat. II. 57. 'Horrida quale facit residens in codice pellex.'

Te patiente, meæ conflavit imaginis aurum,
  Ardenti nostro dotem habitura rogo.
Non tamen insector, quamvis mereare, Properti:
  Longa mea in libris regna fuere tuis.
Juro ego fatorum nulli revocabile carmen,
  (Tergeminusque canis sic mihi molle sonet)

nomen meum confisa est orare. Te etiam *permittente, imaginem meam auream liquefecit, e meo busto accenso dotem habitura. Nihilominus* te *non increpo, licet dignus sis increpatione*, o *Properti; diuturnus fuit meus principatus in tuis versibus. Ego juro fatorum carmen nemini revolubile, (et ita mihi canis triceps leni-*

rupte in Leid. 1. *Ceditur* male in nonnull. codd. et edd. vetustis, in quibus etiam *Lalace:* et *mortis* vitiose in Voss. 4. Pro *rogare* in Mentel. Groning. Guarn.] Voss. 3. *negare*, male.' *Burm.*—48 '*Ardent ex* Vat. Guarn. *Ardent e* Brix. Aldd. Inde Scalig. fecit *Ardeat e*, quod B. [B. B.] Gött. exhibent. *Ardenti e* Posth. et Mureti codex, cum ed. Vulp. *Ardente e* Dresd. *Ardente ex* Venet.' *Barth.* '*Audax e* Perr. v. c. Colot. et duo Vat. *Ardent ex* vel *Ardent e* in Regg. Colb. Borr. Leid. 2. Voss. 1. 3. Dorvv. et meo 1. *Ardent et* Mentel. *Ardenti n.* Ask. *Ardeat e* ex suo cod. Scalig. Livineius cum Mur. et Guy. præfert *Ardenti e*, atque Passeratius præ illa, quæ in aliis habetur, *Parthenie e:* sed in nullo cod. vel ed. antiq. hanc lect. reperi, si solam Grasseri excipias; et illius nutricis suæ meminit Cynthia inf. 74. [e quo vs. id derivatum monet Barth.] Recte Heins. N. Prop. p. 752. videtur suspicari, in lectione *Ardent* vel *Ardenti* latere nomen ancillæ, ideoque in marg. ed. Ald. conj. *Arne*, vel *Acme*, *&c.* Markl. vero legebat *Altera et e.*' Burm. 'Sed his Heinsii conjecturis facile supersedere possumus, si servamus versuum ordinem a codd. constitutum.' *Kuin.* '*Ardeat e* lect. mira, nec Latina fortasse. Repone *Ardenti e.*' Lachm. —50 *L. mei* damnat Burm. quod in Exc. Mod. Leid. 2. Voss. 3. 4. Dorv. 2.—51 'Heins. corrigebat, *revolubile stamen*, ad Ov. II. M. 654. cujus rationes, bonas sane ac rectas, istic videre debes.' *Broukh.* qui id dat cum Burm. '*Revocab. c.* est lectio proba vulgarium editt. Aldd. cett. etiam Scal. Vulp. et Gött. et sic Groning. *Revolub. c.* alii sex libri Broukhusii agnoscunt, cum tribus Gebhardi, Bon. et Guarn. et nostro Dresd. it. editt. primæ ap. Broukh. Brix. et Venet. ap. me. *Revolub. stamen* vetus cod. Passerat. et sic quoque Heins. e cod. suo Advers. p. 200. Ad sensum et elegantiam perinde est, sive *revocab. c.* s. *revol. st.* legas.' *Barth.* '*Revocab.* vel *revolub. c.* in codd. et edd. priscis, cum Palat. et C. Com. Beroaldi cod. Neap. Leidd. duob. Voss. Dorv. Regg. Colb. Ask. et meis. *Revolub. fatum* Voss. 4. Sed *revolub. stamen* optime tuetur Broukh.' *Burm.* 'Lect. vulgarem exquisitam et doctam, totque codd. auctoritate munitam, neutiquam rejiciendam, sed in

NOTÆ

45 *Ceditur et Lalage*] Lalage nomen fuit puellæ Horatii amicæ. Od. I. 22. et II. 5. Hic autem est cujusdam ancillæ nomen, quæ a nova domina capillis implexis in modum funis suspensa torquetur.

47 *Conflavit*] Imaginem meam auream liquefecit, ut in aliam mutaret formam. Dolet autem Cynthia, quod tam cito amoris pristini sit oblitus Propertius, ut passus sit suam effigiem auream a nova ipsius amica conflari.

48 *Nostro dotem habitura rogo*] Quia nimirum Cynthiæ rogo debebatur ejus imago aurea, cum pretiosissima quæque cum mortuis pyra incensa cremari solerent.

Me servasse fidem: si fallo, vipera nostris
  Sibilet in tumulis, et super ossa cubet.
Nam gemina est sedes turpem sortita per amnem,
  Turbaque diversa remigat omnis aqua.
Una Clytæmnestræ stuprum vehit, unaque Cressæ
  Portat mentitæ lignea monstra bovis.

ter allatret,) me semper tibi fuisse fidelem: si mentior, vipera sibilet in meo sepulcro, cineribusque meis *incubet. Duplex autem est habitatio sorte data per luridum flumen, et tota* umbrarum *multitudo aquam navigat per quam in diversas sedes itur. Illa* aqua *libidines portat Clytæmnestræ, ista fert monstrum ligneum Cretensis* re-

contextu servandam duxi.' *Kuin.* *Revolub. c.* verum esse pronuntiat Lachm.—52 'Amplector correctionem Heinsii.' *Broukh.* '*Tergeminique canis* Brix. Venet.' *Barth.* '*Tergeminusque canis* in omn. codd. et edd. priscis. Male ergo Broukh. ex sola Heinsii conj. *Tergeminumque canem* in textu ipso dedit, [et sic Vulp. et editor ed. Gött.] quod et non immerito improbavit Markl. *Sonat* in meo 1.' *Burm.*—53 Damnat Burm. *falso*, quod in suo 1.—54 '*Scilicet* corrupte in Voss. 4. *Si libet* Ask. Vellem ab ipsius Prop. manu esset Heinsii conjectura, vel a codd. firmaretur: *strix s. o. c.*' Burm.—55 '*Quæsita* nostri libri habent, et Groning. cum Borr. quæ lect. non est insuper habenda. Sed et *sortita* ferri potest. Passerat. *partita* profert, nescio an auctoribus libris: tamen neque hoc abludit a Veterum consuetudine loquendi. Si cui *quæsita* melius placet, is a se habet M. T. Varronem v. de L. L. 'Adquirere est ab 'Ad' et 'Quærere:' ipsum 'Quærere,' ab eo quod, quæ res ut recuperaretur, datur opera.'' *Broukh.* '*Quæsita* Posth. non male. *Partita* Passerat. profert e codd. quod glossema videtur. *Sortita* est in rell. et edd. omn.' *Barth.* '*Partita* Colot. *Geminas sedes* conj. Heins. et ante eum Passerat. qui de duplici ap. Inferos piorum ac impiorum via et habitatione intelligit. Sed sermo est de diversa sede in cymba Charontis. *Sortita* præfero; sed si codd. addicerent, mallem *tristem amnem.*' Burm. *Quæsita* nolit Lachm.—56 '*Navigat* omn. membrr. *Remigat* prr. edd. Sane hoc malim præ illo.' *Broukh.* '*Nav.* Dresd. *Rem.* præfert Vulp. et Gött.' *Barth.* '*Nav.* in Regio, Colb. Mentel. Borr. Groning. et meo, Vicent. et Ber. sed *rem.* recte in Venet. 2. Rheg. Lep. Volsci, Aldd. Junt. Colin. Rouill. Gryph. Grasseri, aliis. *Amnis aqua* male in meo 1.' *Burm.* *Rem.* dant B. B. B. L.—57 '*Altera* huc irrepsit e disticho sequente. Viri docti cum viderent sententiam pravo talo fultam claudicare, supposuerunt pars *ätraque*, pars *albaque;* et medicina intempestiva perfecerunt ut ne plaga haberet melius. Legend. omnino cum Livin. *unaque Cr.* Nihil simplicius, nihil verius. Neque *que* frustra additur.' *Broukh.* cui assentit Barth. Addit hic *altera* esse in Brix. Aldd. cett. *atraque* in Venet. '*Clymnestre* Neap. *Altera Cressæ* in plerisque codd. et edd. vetustis, quod ex seq. disticho petitum recte notat Broukh. *Unaque classe* in marg. Voss. 3. *Et fera Cressæ* Vat. 5. *Atraque* in Perr. v. c. Colot. tribus Vat. et Ber.

NOTÆ

52 *Tergeminusque canis*] Cerberus triceps, Inferorum custos ac janitor, qui latratu suo manes terret.

55 *Nam gemina est sedes*] Duplicem esse sedem, seu habitationem, duplicemque umbrarum turbam apud Inferos, piorum nempe et impiorum, significat. De his etiam Tibull. I. 3.

57 *Una Clytæmnestræ*] De Clytæmnestra dictum est ad III. 19. 19. et 20.

58 *Mentitæ lignea monstra bovis*] Pasiphaën Minois, regis Cretæ, con-

Ecce coronato pars altera vecta phaselo,
Mulcet ubi Elysias aura beata rosas:
Qua numerosa fides, quaque æra rotunda Cybebes,
Mitratisque sonant Lydia plectra choris.
Andromedeque et Hypermnestre, sine fraude maritæ,
Narrant historias corpora nota suas.

ginem, vaccæ formam ementita. *En* vero *alia turba delata rate corollis ornata* ad *locum ubi felix* Zephyri *flatus molliter afflat Elysias rosas; ubi citharæ modulantes, et æra rotunda Cybeles, et lyræ Lydiæ mitratis choris resonant.* Ibi *quoque Andromede et Hypermnestra, sine culpa nuptæ, historiam pectoribus suis cognitam*

Albaque in aliis legi scribit Passerat.' *Burm.* *Altera* damnat Lachm. qui reponit *ac rate Cr.*—59 ' *Vecta* unus Reg. unus Colb. Groning. noster 2. neque aliter edd. sinceriores. Invicta est quorund. hominum in fovendis erroribus pertinacia: sed liceat illis per nos impleri glandibus ad saturitatem.' *Broukh.* ' *Parta phasello* Guarn. [Ask.] *Pacta faselo* Palat. 1.' *Barth.* *Festa cor.* Eld. *Parta ph.* in Neap. Exc. Scal. C. Com. Borr. Harl. Leid. 2. tribus Voss. Dorvv. Burmm. Rheg. Venet. 2. Volsci, Aldd. Junt. al. *Vesta* Vat. 2. *Vecta* Perr. v. c. Colot. Vat. 1. Dresd. Fruterii cod. edd. Vicent. Ber. Plantin. 1560. Canter. Douss. B. B. B. L. *Victa* edd. Mur. Rouill.—60 *Effusas* citat Voss. ad Catull. [p. 154.] ex memoria, opinante Barth. ' *Elisas* corrupte in cod. Scal. Mentel. et Dorv. 2. a m. pr. *Elysas* Neap. *Elixas* Ask. *Turba beata* male in C. Com.' *Burm.*—61 ' *Qua queritur ut unda cibeles* Bon. *Qua quærar ut u. Cybelles* Dresd. *Qua querar ut u. c.* Vat. *Qua quærat ut unda Cybelles* Brix. *Quaque errat turba Cybeles* Venet. *Qua quæritur u. C.* Aldd. Colin. cett. *Quaque æra rotunda Cybelles* est e felici στοχασμῷ Turnebi XXIII. Advers. 7. prob. Jos. Scalig. non nominato Turnebo. *Æra incurva* Heins. [Advers. I. 3.] sed *æra rotunda* prætulere B. [B. B. L.] Vulp. Gött.' *Barth.* ' *Nemorosa fides* vitiose in Voss. 3. *Quaque errat turba Cybelles* in Perr. v. c. Vat. 1. 5. Regg. et Voss. 4. a m. sec. ut in Vicent. Ber. Rouill. Gryph. 1573. et Canteri. *Qua quærar ut unda* in Neap. Groning. Leid. 2. Voss. 1. 2. Dorv. 1. meoque 2. *Qua querar ne unda* Ask. *Quæ quærat in unda Cybeles* Colb. In Venet. 2. Rheg. et Volsci *qua querat in unda Cybelles Muratisque sonant.* *Qua quæritur unda Cybelles* Mentel. Aldd. Junt. Colin. Gryph. 1551. et 1561. Antverp. Plant. 1560. et Grasseri. *Qua querar in ida Cybeles* in meo 1. *Qua quæram in unda* Borr. sed *quærit qua buxa* Colot. *Qua buxus et unda* Pont. cod. unde f. non male legi posset *qua buxus et æra Cybebes.* Recept. lect. ex Vat. et Ursin. probavit Lips. Lect. Antiq. II. 20. ut hac forma Cybebes cymbala passim in monumentis antiquis conspiciuntur; et sic in ed. Scal. et Douss. *Ære recurva* Passeratius, quod improbat Gebh.' *Burm.*—63 ' Nostri et Groning. semper scribunt *Hypermestre;* de cujus scripturæ ratione alibi dictum est. *Hypermestre* scribit etiam vetus Horatii interpres Helenius Acro ad III. Od. 11. et Servius ad Virg. VII. Æn. 631. ex Cassio Hemina.' *Broukh.* ' *Andromadesque et Hypermnestræ* male in meo 2. et vs. 67. De scriptura *Hypermnestre* vid. Voss. de Anal. II. 2. p. 662. Hic vero concinnius scribetur *Andromedeque et Hypermnestra.* *Marita* Heins. sed non opus.' *Burm.*—64 ' *Historiæ c. n. suæ* est lectio Scaligeri, cujus liber *pectora* habebat. Sane *pect.* est in Regg. Colb. Groning. ac nostris. Livin. malebat *pignora,*

NOTÆ

jugem significat, quæ simulacro ligneo vaccæ inclusa cum tauro concubuit: De hac dictum est ad Lib. III. 19. 11.

63 *Andromede et Hypermnestre*] Dictum est etiam de Andromede I. 3. 3. et 4. De Hypermnestra autem vide quæ dicta sunt ad II. 1. 67.

Hæc sua maternis queritur livere catenis
Brachia, nec meritas frigida saxa manus.
Narrat Hypermnestre magnum ausas esse sorores;
In scelus hoc animum non valuisse suum.
Sic ortis lacrymis vitæ sanamus amara.
Celo ego perfidiæ crimina multa tuæ.
Sed tibi nunc mandata damus, si forte moveris,
Si te non totum Doridos herba tenet:

referunt. Ista conqueritur sibi livescere maternis vinculis brachia, manusque suas indignas quæ gelidis rupibus alligarentur. Hypermnestra refert ingens facinus sorores suas patrasse, cui suum animum imparem fuisse dicit. Ad hunc modum leti querelis ac flebilibus narrationibus vitæ medemur amoribus: ego dissimulo ac silentio prætereo plures infidelitatis tuæ injurias. Jam vero tibi hæc *peragenda committo*, oroque, *si forsan* adhuc tu mei cura *tangeris, si te totum* omnino *non cepit*

---

quod et Schotto placuit II. Observ. 57. Mihi videtur sana esse membranarum scriptura.' *Broukh.* '*Pect.* Bon. Dresd. et edd. meliores, etiam Ed. pr. bene. *Corp.* præferre videtur Vulp. sed et tentat legere *sua.*' Barth. '*Historiæ noceant* Mentel. *Corp.* ex suo cod. Scaliger. Pro *nota* vitiose in Dorv. 1. *nocte. Pect.* a meis codd. et edd. priscis firmantur. Markl. conj. *historias, pect. nota, suas. Tempora* tentavit Ayrm. *Fœdera* Heins. Vulp. per *corp.* intelligebat summam gestorum; vel legend. *suam:* male. Mihi præplacet *historiæ pignora n. suæ.*' Burm. 'Unice vera lect. habenda est *historias corp. n. suas.*' Kuin. 'Quid, si melius distinguendo rem conficimus? Scribe *Andromedeque et Hypermnestre s. f. maritæ Narrant, historiæ pect. n. suæ.*' Lachm. *N. historiæ pect. n. suæ exhibent* B. B. B.—65 'Ita conjecerat olim Lips. et Scaliger, ex vitiosa scriptura *Hæc summa æternis.* Eorum divinationem firmat cod. Groning. in quo plane ita perscriptum: et merito recepit Gebh.' *Broukh.* '*Hæc summa æternis* lect. vulg. edd. vett. et codd. plerorumque, etiam Guarn. Dresd. *Sua m.* lectio unice vera habend. est, frustra repugnante Livin.' *Barth.* Vulgatam lect. defendit Burm. —67. 68 '*Sorores: In sce.* sic legitur et interpungitur in codd. et edd. vetustis, sed Heins. Advers. I. 3. p. 24. volebat *isse sorores In scelus:* sed distichum hoc sanum esse existimo. *Non violasse* perperam in Heinsian.' *Burm. Hic an.* suspicatur Heins.—69 '*V. sanamus:* hoc sane falsum est, secundum theologiam poëticam. Noli dubitare quin legend. *solamur*, quodque se Passerat. in quibusdam libb. reperisse testatur: tamen vulgata defendi posse videtur ex I. 10. 17.' *Broukh.* '*Hic mortis* Heins. idem vult quoque, *saciamus*, quod in Cod. Palat. invenit Gebh. *Sanamus* plurimi libb. etiam Dresd. *Solamur* receperunt Vulp. Göt. Cod. Guarn. alio ordine legit: *m. vitæ lacry.* Pro *vitæ* Posth. *in te* habet.' *Barth. Satiamus* ex Palat. profert Gebh. [cf. s.] quod etiam in duobus Vatt. ut *saciamus* ex v. c. in marg. ed. Ald. notaverat Perr. prævalet tamen ap. me plurium codd. numerus, in quibus *sanamus*, ut in ceteris omn. Mss. quorum Excerptis utor, Regg. Colb. Mentel. Ask. Borr. Groning. Leid. 2. tribus Voss. Dorvv. meis: et quicquid est antiquarum edd. Hanc igitur script. vet. reddendam censui: sed hac curatione non absolvitur loci ægri medicina: lectionem, *mortis lacrymas*, et *vitæ amores*, provenisse arbitror a sciolo glossatore, acumen in oppositione *mortis* et *vitæ* quærente. Heins. conjecerat *Sic ortis l.* Markl. tentabat *v. sanamus amara.* Mihi videntur hæc ita restitui posse: *Sic* (vel *Hic*) *mortis l. veteres s. a.*' Burm. *Mortis* dant B. B. B. L. *Solamur* B. B. *Amores* B. B. B. L.—70 *Cælo* male, judice Burm. in vetustis edd. *Cælo* Ald. 1. *Cedo* Ask. *Calleo p.* Dorv. 2. *Car-*

Nutrix in tremulis ne quid desideret annis
  Parthenie: patuit, nec tibi avara fuit.
Deliciæque meæ Latris, cui nomen ab usu,
  Ne speculum dominæ porrigat illa novæ.
Et quoscumque meo fecisti nomine versus,
  Ure mihi: laudes desine habere meas.
Pelle hederam tumulo, mihi quæ pugnante corymbo
  Mollia contortis alligat ossa comis.
Pomosis Anio qua spumifer incubat arvis,
  Et nunquam Herculeo numine pallet ebur,

Chloridos gramen; ne aliqua re egeat in ætate senili altrix mea *Parthenie: aperto erga te semper fuit animo, neque tibi fuit avara. Et Latris mea voluptas, quæ nomen habet a ministerio, ipsa novæ heræ ne præbeat speculum. Et quotquot omnia nomine meo finxisti carmina, da flammis in meum honorem: ne diutius præconia mea retineas. Amove a sepulcro* meo *hederam, quæ mihi inimicis baccis teneros cineres implicitis ramulis alligat. Qua parte pomis consitus Anio agris frondosis illabitur, Herculeoque numine nusquam ebur squalet, hos versus me dignos in memine* l.—71 *Hæc t.* Heins.—72 *Et te* idem. *Colchides* Perr. v. c. Vat. 1. 2. Demster. ad Rosin. Antiq. II. 10. et ad Claudian. I. in Ruf. 133. quod jam ante eum Volscum et Beroald. occupasse notavit Broukh. sed rejecit. *Claridos h.* Ask. *Chlorides* Borr. Leidd. tres Voss. Dorvv. *Sed te n. l. Colchides* ed. Volsci. *Cloridos* Burm. 2. et pr. edd. vel *Chloridos*, ut Ald. Junt. Colin. et seqq. *Derides* cod. Scal. Heinsian. Posth. quod prætulit Broukh. *Colchides* esse in Heins. v. c. observat Cant.—74 *Parthenia po.* Burm. 2. et ed. Volsc. *Parthenia po.* Guarn. *Petuit* Neap. Dresd. Vat. 5. Mentel. Borr. Heinsian. Leid. 2. tres Voss. Dorvv. et edd. priscæ, in quibus etiam *sibi avara.* Ask. *potuit*, in quo in *teneris* vs. sup. *Amara* Perr. v. c. duo Vat. Venet. ap. Barth. *Petuit nec sibi a.* Reg. 1. *Sibi av.* Brix. *Amara* Reg. 2. quæ defendi posset, inquit Burm. ex Ov. Ep. XVIII. 115.—75 *Latrix* Leid. 2. Voss. 1. 3. Dorv. 1. Burmm. *Lathis* Reg. 1. *Lacrymis* 2. quod etiam est in Mentel. Venet. 2. *Latrys* Volsc. *Lathris* Ber. sed *Latris* recte, judice Burm. in Aldd. Junt. Colin. Ed. Mur. Rouill. Gryph. ceterisque. *Ab u. est* omnes libb. sed Broukh. *est* deleri jubet.—76 *Nec s.* Leid. 1. *Porriget* Mentel. *Illa meæ* Reg.—77 *M. nomine* pro *m. nomini* dictum notat Voss. de Analog. II. 10. et sic Schopp. Instit. Gramm. p. 133.—78 Heins. conj. *U. tibi.* Sed forte melius erit, ait Burm. si interpungimus *Ure, tibi l.*—79 '*Velle* Heins. et Passerat. conj. *Fluvio* corrupte in Borr. Heinsian. *Multo* Voss. 4. Sed *Pelle* non solicitandum. Conjeceram aliquando: *pallente c.* sed nunc magis arridet, *pungente c.*' Burm.—80 '*Mollia*, vel *molli*, perperam, in variis codd. *Cum totis..comis* male in Mentel.' *Idem.*—81 *Ramosis..pomifer* est lectio omnium libb. *Pomosis..spumifer* est ex emendat. Broukh. probata quoque Bentleio ad Hor.

NOTÆ

72 *Herba*] H. e. veneficia, seu philtra, ac pocula amatoria, ex herbis confecta.

74 *Parthenie*] Nutricis Cynthiæ nomen, quæ Propertio semper benigna fuit ac benefica.

75 *Deliciæque meæ Latris*] Latris Latine est serva, seu famula, a verbo λατρεύειν.

81 *Pomosis Anio*] De fluvio Aniene pomifero, vide annotat. ad III. 16. 4.

82 *Herculeo numine pallet ebur*] Ti-

Hoc carmen media dignum me scribe columna,
Sed breve, quod currens vector ab urbe legat:
Hic Tiburtina jacet aurea Cynthia terra:
Accessit ripæ laus, Aniene, tuæ.
Nec tu sperne piis venientia somnia portis.
Cum pia venerunt somnia, pondus habent.
Nocte vagæ ferimur: nox clausas liberat umbras;
Errat et abjecta Cerberus ipse sera.

dia columna exara, eosque paucos, quos vector propere veniens ab urbe facile legat: *Hoc in tumulo Tiburtino sepulta quiescit Cynthia formosissima*: illa *accessit decus ripæ tuæ*, o *Anio. Neque tu aspernare somnia immissa per bonas portas: quando pia somnia sese* dormienti *obtulerunt, firma sunt et vera. Per noctem vagantes huc illuc erramus: nox liberos facit manes* per diem *occlusos; vagatur quoque Cerbe-*

Od. I. 7. 13. '*Pomosis* pulcherrime restituit Broukh.' *Lachm.*—82 *Nomine* Guarn. Mentel. Voss. 1. aliique. Ad marg. ed. Ald. conj. Heins. *Qua niveum H. n.* sed *nunquam pallet e.* minime tentandum, dicit Burm. *Fallit e.* Mentel.—83 *Hic c.* Vat. Posth. Bon. Guarn. Dresd. Borr. Heinsian. Leidd. tres Voss. Dorv. 2. Ask. et pr. edd. *I carmen* correxit Heins. *Non c.* Dorv. 1. *Dignum m.* Voss. 3.—84 *Sed breve* in omn. codd. et edd. *Sed bene* Græv. *Currus v.* Guarn. Borr. Heinsian. Voss. 1. 4. Unde f. leg. conj. Burm. *Curru v.* vel *vectus*. In Dorv. 1. *victor*. *Lector* 2. a m. pr.—85 *Tiburtina jacet hic* vel *hac* Regg. Voss. 4. Dorv. 2. a m. pr. et Burm. 1. *Hac* Dresd. *Tiburna jacet hac* Mentel. Voss. 1. Posth. *Tiberina j. hac* Leid. 1. *Si Tiburina j. hac.* Colb. *Hac Tyburtina* Borr. *T. j. hic adrā* Ask. *Sed T. j. hic* Neap. Burm. 2. *Tyburina j. hac* Venet. 2. *T. j. hic* Vicent. et Beroald. *Hac Tiburnia* Ald. 2. Brix. *Hac Tyburtina* Ald. 1. Junt. Colin. In ceteris *Hic Tiburtina*: quæ vera lect. est inquit Lachm. 'Nam scripti omn. in hac vs. corrupti sunt.'—86 *Laus et Amans* Neap. Voss. 1. *L. Aniene* Burm. 2.—87 *Vehementia* Voss. 1. male, ut judicat Burm.—89 *Vage f.* Burm. 2.—93 *Nec*,

NOTÆ

bur Sabinorum oppidum fuit, Herculi sacrum, summa aëris clementia commendatum, adeo ut etiam cœlum Tiburtinum diceretur olim rebus præstare candorem præstantissimum, eburque ibidem nunquam squalere. Sil. Ital. 'Tiburis aura Pascit ebur.' Martialis IV. 62. 'Tibur in Herculeum migravit nigra Lycoris, Omnia dum fieri candida credit ibi.'

85 *Hic Tiburtina jacet*] Epitaphium est quod sibi poni ac scribi in columna poscit Cynthia.

86 *Ripæ laus, Aniene, tuæ*] Sepulta videtur Cynthia in agro Tiburtino ad ripam fluminis Anienis, ubi etiam alios innuere videtur fuisse sepultos, dum dicit tumulum Cynthiæ fore auctarium gloriæ Anienis, qui dictus est et Anienus, i, sicut et Anio, enis.

87 *Nec tu sperne piis venientia somnia portis*] Duas esse somniorum portas veteres esse dixerunt, corneam, et eburneam; quarum cornea, veris, bonis, et piis, eburnea vero falsis est somniis assignata. De his somniorum portis Virg. Æn. VI. sub finem, Macrob. in somn. Scipionis, Hom. Od. XIX.

Luce jubent leges Lethæa ad stagna reverti:
Nos vehimur: vectum nauta recenset onus.
Nunc te possideant aliæ: mox sola tenebo.
Mecum eris, et mixtis ossibus ossa teram.
Hæc postquam querula mecum sub lite peregit,
Inter complexus excidit umbra meos.

rus ipse relicta sera. Leges Inferorum *præcipiunt* nos adveniente *die redire ad Lethæas paludes. Nos portamur: navita* vero *numerat vectores. Jam te fruantur aliæ, propediem* ego te *una possidebo: mecum versaberis, commistisque* meis *ossibus ossa* tua *premam. Ubi* vero *ista mecum mæsta voce locuta est umbra* Cynthiæ, statim *per meos amplexus dilapsa est.*

male, Dorv. 1. et Burm. 2. ut ipse Burmannus censet. *Ne te* Neap.—94 *Mœstis* Dorv. 2. Ask. *O. feram* conj. Heins.—95 '*Sub voce.* Omnes omnium libri, cum edd. primis, *sub lite:* quod verum erat, nec debuit mutari: prima labes ab ed. Beroaldina est.' *Broukh.* '*Sub voce* Ed. pr. adeoque Beroaldo injuriam facit hic iterum Broukh. *Lite* tamen habent Vat. Posth. Palatt. C. Com. Bon. Guarn. Dresd. et editt. Brix. Vulp. Göt. cum Broukhusian.' *Barth. Lite* etiam Reg. Colb. *Sub voce* Leid. 2. Dorv. 1. Vicent. Aldd. Junt. Colin. Rouill. Gryph. ceteræque. *Lite* probabat Heins. *S. luce* Ask.

NOTÆ

92 *Vectum nauta recenset onus*] H. e. Charon umbrarum lustrat numerum, easque recognoscit, ne forsan aliqua desit. Virg. Æn. VI. 'Omnemque suorum Forte recensebat numerum.'

ELEGIA VIII.

DE CYNTHIA.

Disce, quid Esquilias hac nocte fugarit aquosas,
Cum vicina novis turba cucurrit agris.

Accipe cur nocte præterita fugerint udæ Esquiliæ, quando plebe finitima per pra-

De sacro annuo draconis in laudem Cynthiæ Dresd. 'Hanc elegiam primæ edd. in duas distribuunt partes, quarum primæ inscribitur titulus: *De Cynthia et Dracone:* altera inchoatur a vs. 29. *Phyllis A. &c.* præfixa epigraphe: *De magno Cynthiæ amore erga se.* Ita enim habetur in Venet. 2. Vicent. Rheg. et Beroald. et in Regg. Colb. Borr. aliisque codd. [altera in Dresd. *De concubitu suo cum Theia et Phillide.*] Eadem primæ partis inscriptio est in seqq. edd. sed secunda hunc præfert titulum: *Deprehensum Prop. cum Phyllide et Theia amicis a Cynthia vapulasseque ab ea omnes vehementer:* sic enim in Aldd. Junt. Colin. Rouill. Gryph. aliisq. In Leidd. autem, tribus Voss. Dorvv. et meis præfigitur: *De concubitu suo cum Philide et Teia, et qualiter sit deprehensus.* Sed illa superioribus connectenda esse recte monuerunt Canter.

Lanuvium annosi vetus est tutela draconis,
Hic, ubi tam raræ non perit hora moræ,
Qua sacer abripitur cæco descensus hiatu,
Qua penetral; (virgo, tale iter omne cave!)

dia mea discurrit. Lanuvium veteris est serpentis antiqua tutela, eo in loco in quo temporis occasio rarissima non sinitur effluere, qua parte religiosus descensus in obscuram speluncam præceps, quo puella descendit, (tam periculosæ viæ te committens

Nov. Lect. v. 3. et Lips. Var. Lect. II. 18. Jamque in ed. Volsc. una tantum eleg. fuit exhibita, ut in Perr. v. c. Vat. 1. 2.' *Burm.*—1 *Exquil.* edd. vett. *Agitarit* Heins. emendabat: quod probat Burm. Kuin. tamen improbat.—2 '*Meis aura.* Recte Scaliger *novis* reduxit, quod agnoscunt omnes libb. quanquam nec istud *meis* recens est, cum in pr. edd. legatur: deinde *turba* legi debet, non *aura*, quod in nullo libro reperitur.' *Broukh.* '*Meis* Regg. Colb. Voss. 4. Venet. 2. Rheg. Volsc. Aldd. Junt. Colin. Rouill. Gryph. aliæ; quod retinet Passerat. *Novis* in Vat. 5. Mentel. Groning. Dresd. Palatt. C. Com. et aliis codd. ut in Vicent. et Beroald. et huic lectioni favent codd. in quibus vitiose *nobis* scribitur, ut in Voss. 1. Borr. Heinsian. et aliis.' *Burm.* *Aura* Scaligeri reprobant Burm. et Barth.—3 *Lavinium* Dresd. '*Laminium* Burm. 2. Venet. 2. Rheg. *Lanuinum* in ed. Volsc. et corruptius *Iannhuinum* Ask. *Lanuvii* Perr. v. c. [Brix.] *Lanuvio* corr. Heins. Sed proba lect. *Lanuvium.*' Burm. *Dragonis* Posth.—4 '*H. u. tam raræ* est lect. vett. membranarum, teste Broukh. quam etiam Guarn. et Dresd. exhibent, quamque etiam Veneta ap. Bronkh. servavit, et illa, quæ Venetam anno præcesserat. In mea Venet. est *tartareæ*, quod joculare somnium Beroaldi vocat Gebh.' *Barth.* *Hic tibi tartareæ* Vat. 5. *Tartareæ* etiam in marg. cod. Regii, Dorv. 1. Vicent. *Tænariæ* legebat Heinsius in Not. Prop. p. 753. *Tardatæ* conjicit Aur. Sed *tam raræ* Perr. v. c. Colot. Vat. 1. 2. Groning. Heinsian. Voss. Leidd. Rheg. Volsc. Rouill. Canteri, aliæ, et hanc lect. præferunt Broukh. et Vulp. *Parit ora* Voss. 1. *Perit ora* Heinsii cod. *Nox p.* Ask. *Ora* etiam Dorv. 2. Burm. 1.—5 '*Q. satus* Palat. 1. *Obripitur* Leid. 2. Voss.

NOTÆ

1 *Disce quid Esquilias*] Apud Lanuvium Latii oppidum draco quidam olim colebatur, qui cibis a virginibus porrectis vescebatur, adeo ut escas ab iis quæ castæ et illibatæ non essent nusquam acciperet. Ad visendam illam superstitionem, relictis domibus, Esquiliarum incolas turmatim concurrisse narrat, atque etiam illuc se contulisse Cynthiam curru vectam cum luxurioso comitatu significat. Esquiliæ vel Exquiliæ, unde et mons Esquilinus et porta Esquilina, urbis Romæ regio, ubi habitavit Propertius. Vide annotat. ad III. 23.

3 *Lanuvium annosi*] Lanuvium, Latii quondam oppidum ad viam Appiam, 16. milliaribus ab urbe distans, in agro Laurente, nunc pagus *Indovina* vocari dicitur.

4 *Hic, ubi tam raræ*] Alii legunt *Hic, ubi Tartareæ*, cum Beroaldo, qui illam lectionem excogitavit, cum antea legeretur *Hic, ubi tam raræ.* Somniavit enim Beroaldus per specum illum Lanuvinum, in quo draco coleretur, descensum esse ad Inferos, nec ullam esse horam quin animæ illac in Orcum descendant. Nos vero lectionem antiquam sequimur; temporisque moram dici 'raram' putamus, quod nimirum raro spectaculum superstitionis illius videre liceret.

Jejuni serpentis honos, cum pabula poscit
Annua, et ex ima sibila torquet humo.
Talia demissæ pallent ad sacra puellæ,
Cum tenera anguino creditur ore manus.
Ille sibi admotas a virgine corripit escas:
Virginis in palmis ipsa canistra tremunt.
Si fuerint castæ, redeunt in colla parentum;
Clamantque agricolæ, Fertilis annus erit.

omnem adhibe cautelam,) quando draconis famelici cultus anniversaria postulat alimenta, profundoque e specu vibrat sibila. Ad hujusmodi sacrificia virgines demissæ contremiscunt, quando earum *manus stulte serpentino hiatui committitur. Iste* draco *sibi a puella allatas escas rapit: ipsi* vero *calathi trepidant in manibus puellæ. Si fuerint* illæ virgines *illibatæ, in amplexus parentum recurrunt, conclamantque*

---

3. Dorv. 2. *Abrapitur* Voss. 1. *Aripitur* Dorv. 1. *Arripitur* in meo 1. Corrupte in Ask. *Q. socer obrepitur.* Heins. conj. *Q. patet abruptus;* quod mihi valde blanditur.' *Burm.*—6 '*Qua penetrat virgo*, et sine sign. parenth. est librorum lect. etiam Bon. Dresd. et edd. vett. omn. quam Passerat. ac Gebh. ita probant, ut verba, *tale i. o. c.* parentheseos signis includant; Scaliger vero ineptam vocat, et *penetral*, emendat, parenthesin autem incipit a voce *virgo:* id quod Broukhusio Vulp. et Götting. ed. probatum fuit. Passeratius quoque tentabat *Quæ penetras virgo talo iter, omne cave. Hac penetrat* Heins.' *Barth.* *Q. penetrat* omn. librorum auctoritate reponit Lachm. Nostram lect. dant B. B. B.—7 *Lavini* Heinsian. *Quo p.* Ask.—8 *Ex una* Neap. Voss. 1. 4. Dorvv. Burmm. Venet. 2. Rheg. Volsc. Brix. *Eximia* Leid. 1. quod venit ex voce junctim scripta *exima*, ut in Ask. pro *ex ima*, ut est in editis, Vicent. Ber. Aldd. Junt. Colin. Rouill. ceterisque.—10 'Libri *Q. temere:* melius Scaligeri liber *tenera:* quod tamen Gebhardo non potuit placere, reponenti ex C. Com. *tremera.* Certe in nostro 1. legitur *Q. tremere.* Pro *anguineo* in nostris, et Groning. *anguino:* quod verum puto, et video expressum in Venet. Ald. Colin.' *Broukh.* *Anguineo* Ed. pr. et Venet. ap. Barth. *Temere* Regg. Colb. Leid. 2. Voss. 1. 3. Dorv. 1. An *trepide* voluerint librarii? quærit Burm. qui addit, 'Id certe melius quam *tremera.* *Anguineo* male Vat. 5. Leid. 2. Voss. 3. 4. a m. s. sed *anguino* bene, in aliis codd. et meis: et sic semper scribend. nam metro alterum adversatur. Male igitur *anguinea ore* in Beroald. Vicent. Douss. *Anguino* Volsc. Junt. Ed. Mur. aliæ.' *Tremere* defendit Lachm. *Tenera* dant B. B. B.—11 *In v.* Ask. *Colligit e.* Vat. 5. Dorv. 1. Burm. 2. ut in prima legi notat Vulpius, quod tamen in nullis aliis vetustioribus reperi, dicit Burm.—14 *Clamant agricolæ* Groning. *Clamatque a.* Venet. 2. et Vicent. *Clamante a.*

NOTÆ

9 *Demissæ pallent puellæ*] In speluncam illius draconis descendebant per funem demissæ puellæ, pavebantque vehementer cibos illi manu porrigentes.

13 *Si fuerint castæ*] Si illibatæ ac intactæ viris essent puellæ, quæ escam draconi porrigebant, ex earum manu cibum sumebat, incolumesque ad parentes redibant, pudicæque omnibus habebantur: sin autem impudicæ, illas aversabatur ac infestabat.

Huc mea detonsis advecta est Cynthia mannis:
  Causa fuit Juno, sed mage causa Venus.
Appia, dic, quæso, quantum te teste triumphum
  Egerit, effusis per tua saxa rotis:
Turpis in arcana sonuit cum rixa taberna,
  Si sine me, famæ non sine labe meæ.
Spectaclum ipsa sedens primo temone pependit,
  Ausa per impuros fræna movere locos.
Serica nam taceo volsi carpenta nepotis,
  Atque armillatos colla Molossa canes;

coloni: Felix et abundans erit annus. Illum in locum amica *mea Cynthia attonsis equuleis delata est:* hujus itineris *causa fuit Juno, sed* multo *plus Venus.* O via *Appia, dic, oro, quam magnum triumphum egerit, te arbitra et conscia, emisso per lapides tuos curru: quando magnum personuit jurgium in occulta taberna, licet absque me, non* tamen *absque damno existimationis meæ. Ipsa insidens conspicienda* in *prima temonis parte suspensa erat, audax* etiam *per immunda loca habenas* equorum *immittere.* Ego *enim silentio prætereo sericos currus glabri* illius *ganeonis, canesque Molossos collaribus armillatis vinctos; qui farcimina ac miscellanea*

conjicit Bronkh.—15 ‘*Detorsis* Voss. 1. *Dentosis* Dorv. 1. Borr. *Setosis* conj. Heins. *Advecta* rectius Vat. 2. Mentel. Groning. [Dresd.] ut emendaverat Dous. P. *Devecta* Scal. *Mannis* recte a Beroald. restitutum est. *Ab annis* Neap. Vat. 1. 2. Mentel. Borr. Heinsian. Ask. Harl. Leid. 2. tres Voss. mei. [Bon. Guarn. Dresd.] ed. Venet. 2. Vicentina, Rheg. Volsc. [Brix. Mureti.] *Advecta est C. ab annis* Colb. Reg. sed in marg. alia manus ascripsit *mannis*: et ita etiam emendatum est in Aldd. Junt. Colin. Gryph. reliquis, nisi quod in ed. Ronill. et Antverp. Plantini *ab annis* excusum fuerit. *Mannis* quoque conj. Frut. et Livin.’ *Burm.* *Avecta est* dant B. B. B. L.—17 *Et t.* Ask.—19 *Aricina* Gebh. e vet. libro, non male, judice Barth.—20 *Nec sine me* Leid. 1. *Desine me* Voss. 1. *Sed sine me* Mentel. *Nec sine me f. nec s.* Guy. recte improbante Heinsio, judicibus Barth. Burm. *Tuæ* Vat. 5.—21 *Spectaculum* plerique codd. *Spectandum* Scal.—22 *Jocos* Exc. Mod. Leid. 2. Dorv. 2. Venet. 2. Rheg. Volsc. ut ad marg. libri sui conj. Markl. *Cocos* Ask.—23 ‘Multum variant libri. *Suriga non tacto* Franc. 1. *Sirigu non*

NOTÆ

15 *Mannis*] Manni sunt equi parvi, quos vulgo *bidets* Gallice vocamus. Vet. interp. Horatii in Epod. IV. ‘Manni,’ inquit, ‘equi sunt parvi, quos vulgo burdones seu buricbos nominamus.’ Idem in Epist. I. 7. ‘Mannis, parvis equis, buricbis.’

16 *Causa fuit Juno*] Apud Lanuvium Juno Sospita religiosissime colebatur, ipsique ritus pascendi draconis dicatus erat; unde simulavit Cynthia se religionis causa Lanuvium carpento vectam accessisse, cum revera libidinis ac stupri causa illud iter suscepisset; quemadmodum et supra dixit Poëta consuevisse Cynthiam suos frequenter ab urbe excursus specie religionis prætexere. Vide II. 32.

17 *Appia*] Viam Appiam testem appellat, quasi esset oculata ac rationalis, et non muta. Fuit autem Appia via sic dicta ab Appio Claudio, qui eam lapidibus stravit ab urbe Roma per Campaniam Brundusium usque.

Qui dabit immundæ venalia fata saginæ,
  Vincet ubi erasas barba pudenda genas.
Cum fieret nostro toties injuria lecto,
  Mutato volui castra movere toro.

ad impuram saginam præbebit, cum ipsius *turpis barba detonsas malas ac mentum superaverit. Cum tam sæpe nostro toro inferretur injuria, ego castra alio in loco*

tacto Borr. *Siriga nam capto* Franc. 2. Reg. 1. Colb. hic tamen in marg. exhibet simul: *Serica non taceo. Syrigana tacto* Bon. *Siriganam tacto* Dresd. *Serica nam taceo* Reg. 2. quæ lectio vera est, ad quam Beroaldus solo ingenio pervenerat. *Syrica* placebat Salmasio Exercit. Plin. p. 40. *Histrica* Heins. *Volsci* Dresd. Brix. *Nepoti* Bon. Brix.' *Barth.* '*Sic auriga trahit volsi c. nepotis* Cod. Pont. *Si rogat amphracta vel si c.* Colot. Vat. 1. Alii Vatt. *Sirnia num cepit*, *Siriga nam tacto*, vel *Siriga non tacto*. In Ask. *Sirringa nam tracto vesci*. In Harl. *Stringam tracto volsci. Siriga nam rapto* Scal. *Serica nam capto Volsci* Groning. *Siriga .. nepoti* Neap. *Siriga nam tacto* Leidd. Voss. 1. 4. *Siringam tracto* Voss. 3. *Siriganam tracto volsci c. nepote* Dorvv. Vicent. *Volsci* Leidensis 2. Voss. 3. Dorv. 2. *Si regat amphracta vulsi* Volsc. Turneb. Advers. VIII. 2. et Scaliger emendabant *Striga, nam capto*. Recte vero in altera ed. sententiam Scaliger mutavit, et Beroaldi emendationi acquievit.' *Burm.* '*Serica nam taceo.* Hoc non est verum: si quis alius felicior verius quid ex monstrosis codicum scripturis eruerit, non invidebo.' *Lachm.* *Volesi* vel *Volusi* mallet Cant. cum Passerat.—25 *Qui dabat* Voss. 1. 4. '*Fata* habent omn. libb. atque ita jam olim Beroaldus, Turneb. Scaliger, Passerat.' *Broukh.* *Facta* Dorvillianus 1. Vicent. *Farta* Vat. 5. Aldd. Junt. Venet. ap. Barth. Colin. Gryph. 1551. Antverp. Plantini, Grasseri, et Dousæ. *Farcta* Volsc. *Immuni arenæ* legit Heins. Not. Prop. p. 754. Recte, judice Burm. *venalia fata*, ut in Neap. Mentel. Reg. 2. Colb. Ask. Harl. Borr. Dresd. Groning. Leidd. Voss. Dorv. 2. Burmm. Venet. 2. Rheg. Ed. Mur. Rouil. Gryph. 1573. et Cauteri.—26 *Vincit* Ask. *Crassas* Bon. Brix. Vicent. Rhegiensis.—27 'Bononiensis cod. no-

NOTÆ

23 *Serica carpenta*] Locus hic corruptus videtur, quem Beroaldus sanavit, ut potuit; qui tamen conviciis ob id oneratur a Scaligero et aliis, qui nihil tamen melius quam sua etiam somnia attulerunt. Carpentum autem vehiculi genus est ad pompam excogitatum, unde et dicitur currus Pompaticus.

Volsi nepotis] Volsi, seu vulsi, cinœdi, molles, ac effœminati, 'nepotes' dicebantur, quibus pili ad voluptatem et libidinem vellebantur, ut glabri fierent.

24 *Colla Molossa canes*] Molossi populi fuerunt Epiri, quorum regio dicta est Molossia, quæ quondam præstantissimos alebat canes, qui et eodem quo gens ipsa vocabulo Molossi dicebantur.

25 *Qui dabit immundæ*] Sensus est: Mollis ille ac vulsus nepos, qui nunc in deliciis est Cynthiæ, cujus curru nunc vehitur, cum hispidam barbam, quæ identidem renascetur, mentumque ac genas occupabit, radere incipiet, nec amplius glaber esse vulsusque poterit, vel efficietur fartor, vendetque farcimina helluonibus, qui saginæ tantum vivunt et abdomini; vel familiæ gladiatoriæ suam operam locabit, miscellaneaque alendis gladiatoribus præparabit; vel etiam fiet gladiator, ut habere possit unde se turpissimo victus genere saginet.

27 *Cum fieret nostro, &c.*] Narrat

Phyllis Aventinæ quædam est vicina Dianæ,
  Sobria grata parum; cum bibit, omne decet.
Altera Tarpeios est inter Teïa lucos,
  Candida; sed potæ non satis unus erit.
His ego constitui noctem lenire vocatis,
  Et Venere ignota furta novare mea.
Unus erat tribus in secreta lectulus umbra.
  Quæris concubitus? inter utramque fui.
Lygdamus ad cyathos, vitrique æstiva supellex,
  Et Methymnæi Graia saliva meri.

ponere decrevi. Quædam Phyllis habitat juxta ædem *Dianæ Aventinensis*, quæ *sicca parum placet, potu vero jucundissima omnino est. Alia est Teïa*, quæ *in nemore Tarpeio manet, pulcherrima, verum* illa *vino madida uno non erit contenta.* * * *Lygdamus* erat *a poculis, atque* etiam nobis *supellex æstiva vitri, vini-*

---

vam ab hoc disticho Et. incipit, quod et Livin. facit. In Guarn. et Dresd. hoc distichon præcedentibus adhuc adjicitur, sed a vs. 29. incipit Elegia alia. Eodem in vs. 29. etiam novam faciunt Eleg. Brix. Cant. et Venet. Sed duas has Eleg. in unam conjungendas evincit ratio ipsa, et dudum monuere Gronov. in Obs. et Broukh.' *Barth.*—28 *Multato* Leid. Voss. 3. Dorv. 1. *Mulctato* cod. Scal. Voss. 4. Palatt. C. Com. Bon. Guarn. Dorv. 2. Burmm. Ald. 1. Junt. Colin. et Gramseri. *Voluit* Neap. Guarn. duo Vatt. Borr. Ask. Leid. 2. tres Voss. Dorvv. Burm. 1. *Mutato voluit* Groning. Dresd. Vicent. Rheg. Volsc. *Multu rato voluit* Vossianus 1. *Volui* Beroaldus. —29 *Philis Av. q. e. amica D.* Bon. Heinsian.—30 *Quum dabit* Dorv. 2.—31. 32 *Inter est* Neap. *Inter Tarpeios est altera Theia lucus*, (exscribit Kuin. *locus.*) Dorv. Burm. 1. Heins. legebat *lucos Condita* vel *Cognita*. *Potis* Dorv. 1. *Erat* 2.—33. 34 *Linire* Venet. 2. Brix. Volsc. *Venire* Neap. *F. notare* Dorv. 1. Burm. 2.—35 *In secta* Dresd. *Hedra* vult Guy. sed rejicit tanquam ineptum Heins. et substituit *umbra* Advers. p. 24. '*Ternis s.* Francius; sed quomodo *herba?* quam lect. interpretibus olim probatam miror. An legendum *secreto horto?* vel *arvo?* Sed præstat cum Heinsio *umbra*.' Burm. *Herba* dant B. B. B. L.—37 '*Vitrique:* sic optime emendatum a Scalig. pro vitiosa scrip-

NOTÆ

quomodo, Cynthiæ dolos, stupra, fastusque pertæsus, vocaverit ad cœnam Phyllidem Teïamque meretrices, et quomodo discumbens inter illas fuerit a Cynthia furente deprehensus.

29 *Phyllis Aventinæ Dianæ*] Hæc Phyllis nomen est cujusdam meretriculæ, quæ juxta Dianæ Aventinæ ædem habitabat. Templum porro Dianæ in Aventino monte constructum fuisse a Servio Tullo referunt, Varro lib. IV. de L. L. Dionys. Halic. lib. III. Tit. Liv. lib. I. P. Victor in 13. regione urbis. Martial. VI. 64. 'Laudat Aventinæ vicinus Sura Dianæ.'

31 *Tarpeios inter Teïa lucos*] In Tarpeio monte, ubi fuit olim Tarpeium nemus, Eleg. 4. habitavit Teïa.

34 *Venere ignota*] Amore et amplexu nondum experto et insolito, illis scilicet scortis noctem minus asperam reddere, sed hilarius traducere cupiebat Propertius.

Furta novare] Adulteria scortationesque instaurare; quod etiam Tibullus sibi non fuisse insolens, nec displicuisse testatur: 'Nota Venus furtiva mihi est.'

Nilotes tibicen erat, crotalistria Phyllis,
  Et facilis spargi munda sine arte rosa.
Nanus et ipse suos breviter concretus in artus
  Jactabat truncas ad cava buxa manus.

que Methymnæi sapor Græcus suberat. O *Nile, tuus tibicen erat*, aderat et *Phyllis, quæ crotalis sonabat, rosæ quoque jucundæ spargique sine ordine faciles abundabant. Nanusque ipse in exigua sua membra contractus breves manus agitabat ad*

torum et edd. lect. *utrique:* quod in omn. meis vett. codd. Excerptis, [etiam Dresd. Guarn.] extat. *Uterque extiva* corruptius in meo 2. *Idem.*—38 *Est Methymnei* Colb. *Græca s.* Exc. Scal. Borr. Groning. Heinsian. Ask. Harl. Leidd. tres Voss. Dorv. 2. Palatt. duo, Bon. Guarn. Venet. 2. Rheg. Volsc. *Grata s.* Colb. 1. Dorv. Burm. 2. Vicent. Beroaldina, Aldd. Junt. Colin. Ed. Mur. Rouill. Gryph. Canteri, aliæ, quod e loco Plin. XXIII. 1. licet retineri posse notet Passerat. cum Palmerio, tamen *Graia* probat, et sic Guy. Livin. Heins. et ad marg. ed. Rouill. Dous. P. *Græca salina* Dresd. *Methumei* Ask. *Methinnei* Borr. *Methinei* Burm. 1. *Grata s. cadi* affert I. Bapt. Pius ad Lucret. IV. 642.—39 '*Nilotes* est Scaligeri restitutio, vel *Niletes:* cum in codd. et edd. vetustis legatur *Nile tuus.* Recte *Nilotes* receptum est. In Vatt. legitur *Hile* vel *Ille*. Sed male Scaliger emendabat *c. Philis.* Vulgata tamen *Phyllis* mihi suspecta. Latet f. aliud fœminæ nomen, an *Phidis* pro *Philis:* quod in nonnull. codd. an *Phryne?* Pro *crotalistria* in Perr. v. c. Colot. et duob. Vatt. *choropsaltria.* [Dresd. *eboralistria.*] Neap. Mentel. Regg. Colb. Groning. Borr. Heinsian. et edd. antiqq. *choralistria.* Ask. *chorolostra.* *Coralistria* Dorvv. mei. *Chorolistria* Leid. 1. *Coloristria* Voss. 3. Sed verissime *crotalistria* emendavit Turneb. Advers. VIII. 18.' *Burm.* '*Nilotes* est ex emend. Scal. verissima; Broukhusio, Vulpio, et Götting. probata. *Philis* est e Scaligeri emend. felicissima, Broukh. Vulp. et Götting. editori recepta.' *Barth.* '*Phyllis* non videtur verum: Burmannus probabiliter corrigit *Phidis.*' Lachm. *Philis* dant B. B. Nostram lect. habent Burm. Lachm.—41 'Omnes libb. miro consensu, *Magnus et:* primus autem Beroaldus bono judicio restituit *Nanus.* Scaligero, *curvatus* reponenti pro vulg. *concretus*, non facile assentior. Ego in octo codd. *concretus* reperi: quam elegantem lect. validis rationibus defendit F. Gronovius Observ. in Script. Eccles. Cap. 19. Barthio in Animadvers. ad Papinium scribend. videbatur *Nanus et insuetos brevior.*' Broukh. '*Magnus* Posth. Bon. Guarn. Dresd. Brix. *Nanus* bono judicio restituit Beroaldus. *Contractus* Guy.'

NOTÆ

37 *Lygdamus ad cyathos*] Lygdamus illis in epulis Propertio, cujus erat famulus, ceterisque convivis pocula ministrabat.

38 *Methymnæi Graia saliva meri*] Methymnæum vinum dictum est a Methymna, Lesbi insulæ civitate, ex qua oriundus fuit Arion citharœdus insignis, quem in mare dejectum delphinus sustulit, et in portum Tænarium incolumem devexit. In agro Methymnæo optimum olim ac pretiosissimum nascebatur vinum. Virg. Ge. II. 'Non eadem arboribus pendet vendemia nostris, Quam Methymnæo carpit de palmite Lesbos.'

39 *Nilotes* [*Nile, tuus*] *tibicen*] Per Nilum, Ægypti fluvium, significat Ægyptium adfuisse tibicinem; per fluvios enim sæpius poëtæ gentes gentiumque regiones designant; ut II. 33. 'Cum Tiberi Nilo gratia nulla fuit.' Constat autem conviviis adhiberi tibicines apud antiquos consuevisse.

Crotalistria Phyllis] Olim, sicut etiam nunc, ad crotalorum sonitum saltabant veteres.

Sed neque suppletis constabat flamma lucernis;
  Recidit inque suos mensa supina pedes.
Me quoque per talos Venerem quærente secundos,
  Semper damnosi subsiluere canes.
Cantabant surdo; nudabant pectora cæco.
  Lanuvii ad portas (heu mihi!) solus eram;
Cum subito rauci sonuerunt cardine postes,
  Et levia ad primos murmura facta lares:

concavam tibiam. Verum nec constans erat et certa flamma lucernis oleo etiam suffuso oppletis; mensa quoque inversa cecidit in sua fulcra. Cumque ego semper *per tesserarum jactus faustos Venerem exquirerem, damnosi canes semper emicuerunt. Surdo canebant, sinus* suos *nudabant cæco; heu me! solus eram ad Lanuvii portas; cum repente rauco cardine janua strepitum edidit, parvaque murmura ad primos*

Barth. *Magnus* Regg. Colb. Borr. Ask. Leidd. tres Voss. Dorvv. Burmm. Venet. 2. Vicent. Rheg. Volsc. *Neimus* Neapolitanus. *Mimus* Ald. 1. Junt. Colin. Grasseri. *Nanus* Ald. 2. Ed. Mur. Rouill. Gryph. Plantinianæ, Canteri, et reliquæ; et sic legi in Voss. 4. testatur Oudendorp. ad Suet. Tib. 61. p. 447. *Concretus* est in Regg. Colb. Ask. Dresd. et reliquis, cum priscis edd. Voss. ad Pomp. Melam III. 8. p. 295. *curvatus* cum Scaligero probasse videtur. *Concretus in antro* Voss. 1.—42 *Luctabat* Dresd.—44 *Recidit* libri vett. etiam cod. Dresd. recte, judicibus B. B. *Decidit* Vulgg. etiam Græv. 'Perperam in multis codd. et edd. *Decidit*, et pejus *Reddit et* Voss. 4.' *Burm.*—45 *Secundo* Neap. Voss. 1. 4.—46 *Clamosi* Ask. Dresd.—48 'Heins. in Ep. ad Græv. Syllog. T. IV. p. 326. conj. *Laneus ad potas hei*: male. Neque placet alia ejus conjectura ed. Ald. ascripta: *Ludibrium ad potas*, vel *Jam nihili ad potas*. Servetur ergo recepta lectio: id tantum addam, pro lect. *solus*, f. legend. *totus*.' Burm. *Lavini* Dresd. *Gallus eram* vult Guy.—49 *C. subiti ærato* conj. Heins.—50 'Pro *primos lares*, ex Ov. Am. I. 6. 48. legi posset *ad primas fores*. In Borr. Heinsian. *canes*, forte *ad fidos canes*. Conjeceram præterea pro vulgari, *Et levia*, *Nec levia* ut in Colot. Vat. 1.' *Burm.*—51 *Tum t.*

NOTÆ

43 *Flamma lucernis*] Sinistrum omen malignæ flammæ, quæ non eadem manebat. De omine lucernæ dictum est Eleg. 3. vs. 60.

45 *Per talos Venerem quærente*] In conviviis suis veteres talos adhibebant, quorum jactu regem convivii magistrumque bibendi sortiebantur, cui Veneris jactus obvenisset. Horat. Od. I. 4. 'Nec regna vini sortiere talis.' Et Od. II. 7. 'Quem Venus arbitrum Dicet bibendi?' Plures autem erant talorum jactus: canis, senio, Chius, vulturius, Venus, &c. Omnium vero felicissimus talorum jactus erat Venus. Suet. in Aug. 71. 'Talis jactis, ut quisque canem, aut senionem miserat, in singulis talis singulos denarios conferebat, quos tollebat universos, qui Venerem jecerat.'

46 *Damnosi canes*] In omni jactu canes Propertio contingebant, qui 'damnosi' dicuntur, quod qui canem jecerat, aliquid conferebat, nihil vero tollebat.

Nec mora, cum totas resupinat Cynthia valvas,
  Non operosa comis, sed furibunda, decens.
Pocula mi digitos inter cecidere remissos;
  Pallueruntque ipso labra soluta mero.
Fulminat illa oculis, et, quantum fœmina, sævit;
  Spectaclum capta nec minus urbe fuit.
Phyllidos iratos in vultum conjicit ignes:
  Territa vicinas Teia clamat aquas.
Lumina sopitos turbant elata Quirites;
  Omnis et insana semita voce tonat.

larem. Statimque etiam *Cynthia, non multo cum labore comta, sed decenter furens ac formosa, fores omnes evertit. Calices e manibus mihi* metu *resolutis exciderunt, labia quoque ipso vino remissa* jam *palluerant. Cynthia fulgurat oculis*, *et* tantum *furit quantum* potest *mulier: neque minus ei fuit horrida facies quam urbis captæ. Insanas manus in Phyllidis faciem injicit; Teia* vero *metu perculsa vicinas aquas magno clamore poscit. Elata lumina Quirites somno sepultos perturbant, totaque via voce tumultuosa insonat. Istas* fugientes *discerptis capillis, ac*

Dorv. 1. Burm. 2. Posth. et Ed. pr. *Quin* Ask. *Motas* vel *emotas valvas* malebat Heins.—52 *Comis* in omn. codd. et edd. vetustis. *Comas* Græcismo Prop. correxit et edidit Broukh. quod reprobant Barth. Kuin. et Lachm. *Comas* dant B. B. B. *Comis* habet Lachm.—53 *Recidere* Dorv. 1. Burm. 2.—54 *Palluerant* Guarn. prob. Guy. *Palluerunt* volunt Livin. et Broukh. quod et Dous. F. in sua ed. expressit. *Palluerantque* edd. vett. *Spisso mero* Heins. *Palluerantque* dat Lachm. *Palluerunt* habent B. B. B.—56 *Spectandum* Borr. Burmm. *Fui* Heins. auspicabatur, et sic exhibet Palat. 1.—57 '*Ungues* Colb. Groning. Palatt. [Dresd.] ut et edidit Broukhusius: et sic Vicent. Ber. Ald. 2. Mureti, Rouill. Gryph. Canteri, Antverp. Plantini, Douss. nec male; at *ignes* prætuli cum Scalig. jubente etiam majori codd. et edd. antiqq. numero, sic enim in Vat. 1. 5. Mentel. Exc. Scal. Borr. Heinsian. Voss. [Guarn.] etiam in Groning. marg. sed eadem manu, ut in marg. Reg. et Colb. pro varia lect. [Brix.] Venet. 2. Rheg. Volsc. Ald. 1. Junt. Colin. Grasseri. Idque jubet vs. sq. Quare *ignes* e cod. Vat. etiam probat Lips. dissentiente licet Heinsio in Advers. I. 3. p. 24. et Not. Prop. p. 754.' *Burm.* Gebh. annotat in Palat. membr. initio *ignes* extitisse. *Ungues* malebat Passerat. non sine ratione, censente Broukh. *Ungues* dant B. B. *Ignes* Burm. Lachm.—58 *Vocabat* Borr. Heinsian. Vat. Guarn. Leid. 1. et pro varia lect. 2. tres Voss. Burm. 1. *Petebat* Vat. 5. Dorv. 1. Burm. 2. quæ glossemata sunt, inquit Burm. *Clamabat* Reg. Dresd. et Ber. Pro *aquas* in Dorv. 2. a m. pr. *eves*. In Perr. v. c. *anus* quod probabat Heins.—59 Novi, inquit Burm. qui *Murmura* hic conjecerat pro *Lumina*, sed *elata* melius ad *Lumina* referuntur. Passerat. dubitat, an *allata* vel *illata* legend.—60 'Pro *nocte sonat* cum Fruterio et Passerat. legend. *voce s.* et sic Heins. idque merito præfert Heyne ad Tibul. Obs. I. 3. 20. *Tonat* Vat. 5. Leid. 2. Ceterum hoc distichon præcedenti anteponend. videtur.' *Burm.* *Nocte s.* tuentur Broukh. Vulp. et dant B. B. B. L.—

NOTÆ

56 *Spectaclum capta*] Cynthiæ non minus horrida fuit facies, quam urbis captæ.

Illas, direptisque comis, tunicisque solutis,
  Excipit obscuræ prima taberna viæ.
Cynthia gaudet in exuviis, victrixque recurrit,
  Et mea perversa sauciat ora manu:
Imponitque notam collo, morsuque cruentat;
  Præcipueque oculos, qui meruere, ferit.
Atque, ubi jam nostris lassavit brachia plagis,
  Lygdamus ad plutei fulcra sinistra latens
Exuitur, geniumque meum prostratus adorat.
  Lygdame, nil potui; tecum ego captus eram.
Supplicibus palmis tum demum ad fœdera veni,
  Cum vix tangendos præbuit illa pedes,
Atque ait: Admissæ si vis me ignoscere culpæ,
  Accipe, quæ nostræ formula legis erit.

vestibus discinctis, prima, quæ sese offert *taberna in semita cæca admittit. Cynthia* vero *spoliis lætatur, ac hostibus fugatis cursim* ad me *revertitur, faciemque meam improba* sua *manu graviter vulnerat, cervicique* meæ *morsus imprimit, ac dentibus impressis cruore* me *conspergit, maxime vero ocellos, quasi digniores sint, appetit. At postquam brachia* sua *verberando nos defatigarit, Lygdamus ad lævum columen plutei prostratus vestibus spoliatur, et meum genium supplex veneratur.* Cui ego: O *Lygdame, nihil valui* pro te; *ego tecum fui deprehensus. Vix tandem pacis conditiones ultro precantibus manibus petii, vix autem Cynthia pedes suos attingere me permisit, dixitque: Si cupis me tibi crimen commissum condonare, audi quibus conditionibus legis forma, quam tibi dabo, constabit. Tu nec comtus deam-*

61 *Illam* male, judice Burm. in Mentel. Exc. Mod. Borr. Voss. 1. 3. Guarn. et duobus Heinsian. *Illaque* Vossianus 4. *Illa* Dorv. 1. Vicent. Sed *Illas* recte, ut idem Burmannus censet, in reliquis codd. et edd. vetustis. *Direptis* contra Passerat. *disruptis* emendantem, vindicat Gebh.—62 *Accipit* Ask.—63 Hæc est lect. cod. Posthiani, et Ed. pr. in aliis est *Cynthia in exu. g.* Corrupte, dicit Burm. *exiguis* Voss. 1. *Eximiis* Brix. Venet. 2. Rheg. Volsc. *Exequiis* Voss. 4. in quo et 1. *excurrit.*—64 'F. scripserat poëta *E. m. formosa s.* id certe præferrem, si a cod. aliquo firmaretur; quam *præversa* cum Guy. vel *prærosa* aut *vesana manu* cum Heinsio.' *Burm.*—65 *Morsusque* Dorv. 1. —66 *Quid m.* Ask. Heins. Advers. I. 3. p. 24. et Not. Prop. p. 755. conj. *petit.*—67 *Laxavit* Bon.—68 '*P. frustra* corrupte, Vat. 5. Venet. 2. Rheg. Volsc. *Fusca* Neap. Vat. 1. 2. [Guarn. Dresd.] Exc. Scal. Leidd. Voss. 1. 3. Dorvv. et mei, cum Vicent. *Fusca s. latens* Perr. v. c. Mentelianus, Heinsian. [*Frusta* Brix.] *Fulcra* corr. Beroald. *Jacens* est in iisdem edd. ante Beroaldi, Aldd. Junt. Colin. Gryph. Grasser. Douss. *Latens* Colot. 1. Vat. Mentel. Groning. Heinsian. ceterique codd. et Passeratii cum ed. Beroaldina, Vicent. Mureti, Rouill. Canteri, Antverp. Plantini, quod præstat. *Cadens* vitiose Voss. 3.' *Burm.*—69 *Eruitur* Neap. Passerat. Dresd. quod probabat Guy. et Heins. *Protractus* Neap. Dresd. quod non ineptam lect. vocat Burm. Lachmannus tamen non accipiendum ducit.—70 *Tunc ego* Dorv. 1.—71 *Cum d.* Voss. 1. *Venit* Mentel. Groning. Dresd. Guarn. tres Voss. Dorvv. Burman.—72 *Cui v.* Colot. Vat. 1. 2. Exc. Scal. Heinsian. tres Voss. Dorv. 1.

NOTÆ

69 *Exuitur*] Vestes deponere cogitur, ut nudus cædatur.

Tu neque Pompeia spatiabere cultus in umbra,
  Nec cum lascivum sternet arena forum.
Colla cave inflectas ad summum obliqua theatrum,
  Aut lectica tuæ sidat aperta moræ.
Lygdamus in primis, omnis mihi causa querelæ,
  Veneat, et pedibus vincula bina trahat.
Indixit leges: respondi ego, Legibus utar.
  Riserat imperio facta superba dato.

bulabis in porticu Pompeia, et quando arena per forum scortis infame spargitur, vide, ne caput detortum convertas in summum theatrum, vel lectica aperta ad moram tuam sudet. Ante omnia, Lygdamus, totius mihi tecum *jurgii causa, vendatur, compedesque geminos ferat.* Has *leges dedit ; ego respondi : Legibus* istis *parebo.*

Burmm. *Quoi v.* Bon.—75 '*In herba* male Voss. 1. F. legend. *lentus* in x. quod libro suo ascripserat Francius.' *Burm.*—76 *Et* emendat Livin. non male censente Barth. si ad sequentia trahas totum versiculum. *Sternit* Exc. Scal. Groning. Heinsian. Voss. 1. 4. Lips. de Amphith. cap. 14. conjungit vs. minorem cum seqq. legitque *Et c. l. sternet a. forum, Colla :* et sic Dous. P. in Schediasm. Succid. ad Prop. p. 72.—77 '*Ad summi o. theatri* Guy. merito improbante Heinsio.' *Burm.* *Oblita* Bon.—78 'Lips. legebat I. Elect. 19. *sit adoperta:* id quod sensum facit vix intelligendum. Palmerius autem *sidat aperta:* rectum hoc et probum, modo scribas cum nostris et Borrichiano, *operta.*' Broukh. *Sudet* Posth. Bon. Dresd. edd. vett. *Studet* Vat. *Aperta* Dresd. *Operta* Guarn. *Se det operta* Heins. '*Sudet* in omn. fere codd. et edd. antiqq. quibus accedunt Ask. Leidd. Voss. 1. 3. Dorvv. mei : quam lect. rejecto Lipsio, qui correxerat *sit adoperta*, tuetur Passerat. et *aperta* præfert. *Tua sidat operta mora* legebat Dorleans ad Tacit. p. 188. Markl. in libri sui marg. ascripserat *se det :* etiam *se det* conj. Gruterus *operta* probans. *Sidat aperta* mihi præferend. videtur: quod legitur etiam in Ask. Dorvv. meo 2. et pr. edd.' *Burm.* *Sidet* Neap. *Aperta* idem et Bon. '*Aperta* scribas an *operta* nihil interest.' Lachm. *Operta* dant B. B. B. L.—80 *Veniat* Leid. 2. Voss. 3. *Venerat* Borr. Leid. 1. Voss. 1. 4. Burm. 1. *Venerit* Dorv. 1. Burm. 2. et priscæ edd. *Trahit* Voss. 1. *Veneat et in p.* Groning. *Aut p.* Frut.—81. 82 '*Respondi ego : legibus utor.* *Risit ab . . rato* Heins. Advers. p. 548.' *Barth.* '*Legem* Dorv. 1. meus 2. sed *leges*

NOTÆ

Geniumque meum adorat] Mihi per genium meum supplicat, ut ipsi contra Cynthiæ furorem subveniam.

75 *Tu neque Pompeia spatiabere in umbra*] Pompeiam porticum significat, ubi deambulare solebant Romani, de qua vide quæ dicta sunt ad II. 32. 11. 12. &c.

76 *Lascivum forum*] In quo nimirum sæpius non deerant nequitiæ fomenta. Ovid. Art. I. 'Et fora conveniunt (quis credere possit?) amori, Flammaque in arguto sæpe reperta foro.'

78 *Aut lectica*] Nolo, inquit Cynthia, ut oculos convertas ad summum theatrum, ubi fœminæ sunt; nolo etiam ut lecticarii tui sudent in via diutius te detinente morantes.

79 *Lygdamus in primis*] Vendatur ante omnia Lygdamus, qui solus in causa est cur tam sæpe de te conquerar ; is enim pellices istas ad te vocavit et adduxit ; et, ut meretricum amplius in posterum non possit esse perductor, habeatur in compedibus.

Dein quemcumque locum externæ tetigere puellæ,
Suffiit, et pura limina tergit aqua:
Imperat et totas iterum mutare lacernas;
Terque meum tetigit sulfuris igne caput.
Atque ita, mutato per singula pallia lecto
Et spondis, toto movimus arma toro.

Risit superbiens legibus impositis. Deinde omnem locum, quem Phyllis et Teia attigerunt, fumigat, mundaque aqua ostium abluit: jubet etiam omnes mutare penulas, et ter caput meum sulfurea flamma lustravit. Sicque demum mutato toro per omnes stragulas respondi; totoque cubili arma posuimus.

præstat. Interpungere malim: *respondi ego, l. utar:* vel cum Heinsio, [cf. s.] *respondi, en l. utur:* et minoris vs. initio scribend. opinor *Risit at. Tacta s.* Dorv. 1. Pro *dato* Francius *novo:* citra necessitatem.' *Burm.*—83 '*Quæcunque* est in vulgg. sed *quemcunque* habent scripti teste Broukh. et sic quoque Dresd. *Quacunque* Guyeto placebat.' *Barth. Hesternæ* Dresd. *Quecunque* Leid. 2. et tres Voss. h. e. *Quæcunque* ut Venet. 2. Rheg. Volsc. Ald. 1. Junt. Colin. et Grasseri. *Quacunque* Heins. ad oram ed. Ald. sed *quemcunque* Vicent. Ald. 2. Beroaldina, Mureti, Rouill. Gryph. Canteri, Plantini, et Douss.—84 'Libri fere *Sufficiat pura:* alii, quos edd. primæ sunt secutæ, *Sufficit et pura:* unde Beroaldus sagaciter correxit *Suffiit:* quod ipsum legitur in Colbertt. inque uno Reg. nam alter *Sufficit* habebat. Volscus invenerat *Suffocat*, quod immutavit in *Sufficit.*' Broukh. '*Sufficat* Palat. membr. *Sufficiat* Palat. 1. Bon. Guarn. *Sufficit et* C. Com. Dresd. *Suffiit* correxit Beroaldus sagacissime.' *Barth. Suffiit* vere emendatum est. *Sufficit et* ex Pontani libro ascripsit Perreius: ita et Venet. 2. Rheg. *Sufficat et* Neap. *Sufflat et* Vat. 1. *Suffuat et* 2. et Dorv. 2. in cujus marg. *fumicat. Suffocat et* Vat. 5. Leid. 2. Dorv. 1. meus 2. *Sufficiat* Mentel. Borr. Groning. tres Voss. et meus 1. *Suffuciat* Ask. Jam Volscus monuit pro *Suffocat* emendand. *Suffiit*, vitio typi editum *Sufficit*. [cf. s.] Scaliger cod. sui scripturam *Suffocat* male defendit. Heins. ad Ov. F. II. 23. *Suffit et hinc* affert: sed ad F. v. 675. legit *Suffiit, et p. l. sparsit a.* Mox *lumina* male Mentel. Ask. Leid. 2. tres Voss. et meus 1.' *Burm.* '*Suffiit* verissime Beroald. Vicentiæ impressum est *Suffocat*. Neap. *Sufficat. p.* non *Sufficat et p.* [cf. s.]' *Lachm.*—85 *Lotas* Heins. ad Petron. cap. 30. et in Not. Prop. p. 117. *Lustrare* conj. Broukh. prob. Markl. Potius *lotas i. mundare* legend. censet Burm. *Lucernas* Neap. Reg. Colb. Groning. Ask. et alii codd.—87 *Ad quæ* Voss. 4. *Ast ita* Bon. *Mundato* Heins. *Per stragula* idem.—88 *Despondi* Guy. *Respondi et t. solvimus* vulgg. omn. '*Et sp. et t. movimus* est ex emendat. Heins. probata Broukh. Vulp. et Gött. editori. *Toto* vel *noto* Heins. *Loto* Dous. P. ascrip-

NOTÆ

83 *Dein quemcumque locum*] Quasi contactu suo locum polluissent puellæ Propertii convivæ, illum lustrare ac purgare aggreditur Cynthia.

85 *Mutare lacernas*] Vestes quoque mutare Propertium Cynthia jussit, quasi pollutæ quoque fuissent.

86 *Terque meum caput*] Ter quoque Propertius ipse sulfurea flamma lustratur a Cynthia. In lustrationibus autem ac religionibus maximam vim habere sulfur veteres crediderunt. Tibull. I. 5. 'Ipseque ter circum lustravi sulfure puro, Carmine cum magico præcinuisset anus.' Ulysses etiam Od. XXII. post interfectos Penelopes procos domum suam igne et sulfure lustrasse ac purgasse scribitur.

serat. In Perr. v. c. et Neap. *Despondi et tuto*: sed *Respondi et toto s.* Leidd. tres Voss. Dorvv. mei, et sic omn. edd. vetustæ. Puccius emendavit *Despondi et tuto s.* Pocchus notaverat hanc variantem: *In sponda et t.* et fortasse ita legend. suspicatus erat. Ferrarius habebat *Descendi*. Markl. legebat *Et spondis, t. m.* vel potius retinebat *solvimus*. Patruus meus (Burm. P.) conj. *Respondere novo protinus*.' Burm. 'Recepi emendationem Markl. *Et spondis*, cum hæc lect. proxime accedat ad scripturam vett. codd. et facile appareat, quomodo ex hac scriptura lect. reliquæ oriri potuerint.' *Kuin.* '*Et sponda*, Heinsii felicissimam, ut appellat, restitutionem exosculari sese Broukh. scribit. Non pudebat igitur rei obscœnæ impudica verba addidisse. Præterea *sponda* et *torus* otiose copulantur, cum alterutrum sufficiat. Codd. scripti *Respondi et t. solvimus*. Vitiose quidem *Respondi*, quod corrigat cui libuerit: sed recte puto *solvimus*.' Lachm. *Et sponda* dant B. B. B. L.

ELEGIA IX.

DE HERCULE, ET MORTE CACI.

AMPHITRYONIADES qua tempestate juvencos
Egerat a stabulis, o Erythia, tuis,

Quo tempore Amphitryoniades boves tuos, *o Erythia, a præsepibus tuis abegerat*,

De Hercule inscribitur in Reg. Colb. et priscis edd. *Hercules* Burm. 1. *De Hercule et morte Caci* Borr. aliique codd. edd. Aldd. Junt. Colin. Renill. Gryph. aliæ. *De Hercule et Cacho* pro *Caco* Burm. 2.—1 *Amphitryonides* Mentel. Heinsian.—2 *O Erythee* in omn. fere codd. Vat. 5. Palatt. C. Com.

NOTÆ

1 *Amphitryoniades*] Sic dictus est Hercules patronymicôs ab Amphitryone patre, cujus revera filius fuit ex Alcmena, licet ejus originem propter rerum gestarum magnitudinem ad Jovem nonnulli retulerint. Narrat autem hac Elegia Propertius quomodo Cacum abigeum occiderit Hercules. Hæc porro sic habet historia. Cum occiso Geryone Hercules ex Hispania rediret, in agro Latino, ubi postmodum condita Roma est, constitit, ut boves, quos abducebat, via fessos quiete et pabulo læto reficeret. Cacus autem pastor, Aventini montis incola, viribus ferox, quem tricipitem fuisse fingunt Ovidius et Propertius, octo boves pulchritudine eximios noctu prædatus abegit, eosque cauda aversos, ne furtum vestigiis deprehenderetur, in antrum suum pertraxit. Tum Hercules, cum gregem perlustrasset oculis, ac partem abesse numero sensisset, ad proximam speluncam perrexit, si eo forte vestigia ferrent, quæ ubi omnia foras versa vidit, nec in aliam partem ferre, incertus animi ex loco infesto agere porro armentum cœpit. Verum cum præter speluncam actæ boves, quædam ad desiderium relictarum, ut fit, mugissent, reddita inclusarum ex Caci spelunca boum vox Herculem convertit, quem cum ad speluncam accedentem Cacus aditu prohibere conaretur, clava percussus occubuit, bovesque suos Hercules recepit. Rem quoque cum

Venit ad invictos, pecorosa Palatia, montes,
  Et statuit fessos fessus et ipse boves,
Qua Velabra suo stagnabant flumine, quaque
  Nauta per urbanas velificabat aquas.
Sed non infido manserunt hospite Caco
  Incolumes: furto polluit ille Jovem.

accessit ad indomitos colles, Palatia herbosa, ibique *fatigata* itinere *armenta fatigatus etiam ipse jussit consistere, eo in loco quo fluvius* Tiberis *per Velabra exundabat, et navita per undas mediam per urbem labentes vela faciebat. Verum* boves *salvi ac tuti non fuerunt a latrone Caco hospite; qui Jovem* etiam ipsum *latrocinio vio-*

....

Dresd. Guarn. Mentel. Exc. Scal. Heinsian. Voss. 1. 4. Dorv. 1. *Erythea* Vat. 1. *Erythree* Leid. 2. Voss. 3. *Eritee* Groning. *Erythræ* Burm. 2. *Erythrææ* Vat. 2. Venet. ap. Barth. *Erichthee* Venet. 2. Brix. Rheg. Volsc. *Erythræa* Ber. Aldd. Colin. Mureti, cett. *O Erythæa* corrigebat Scaliger. *Ora Erythea* Heins. Not. ad Prop. p. 756. *Erythia* legend. esse recte monuit Turneb. Advers. XXIII. 7. judice Burm. *Erithrea* Ask. *Erythea* exhibent B. B. B. L.—3 *In adductos* Francc. C. Com. Voss. 1. 4. *V. et adductos* Groning. *In aductos* Voss. *Et adjunctos* Dorv. 1. Burm. 2. *In adjunctos* Voss. 3. Dorv. 2. *Et ad victos* Neap. Dresd. Colb. *In avectos* Ask. *Ad invictos* in omn. edd. priscis. *Venerat in victos*, vel *Venit ut ad victos*, aut *Venit in evictos* Heins. Advers. II. 6. p. 253. *Pecorosa* Ask. Leid. 2. Dorvv. Burm. 2. aliique codd. et edd. priscæ. *Pcosa* Leid. 1. sed *nemorosa* Vat. 5. Borr. Heinsian. cett. '*Nemorosa* Broukh. ex Heinsiano recepit: ceteri *pecorosa*, quod Vulpius recte tuetur. Porro *ad invictos* impressi omnes: repono *ad eductos*.' Lachm. *Nemorosa* dant B. B. B.—4 *F. ut ipse* Franc. *Fessus boves* corr. Markl.—5 *Sua frangebant flumina, quoque* Dresd. *Et qua V. suo frang. fl.* Mentel. *Et qua libra* Leid. 1. *Quamve libra* Burm. 2. *Stagnabat* Dorv. 2. Burm. 2. *Frangebant flumina* Colb. *Flumina quoque* Neap. Leid. 1. *Quoque* etiam Voss. 1. 4. Dorvv. Burm. 2.—8 '*Locum* edd. vulgg. Brix. Venet. Aldd. Scaliger e libris recte reposuit (id. censet Broukh.) *Jovem*.' Barth. quam lect. etiam agnos-

NOTÆ

nostro Poëta narrant T. Liv. Lib. I. Virg. Æn. VIII. Ovid. Fast. I. Dionys. Halic. Lib. I.

2 *Erythia*] Alii legunt, *Erythræa*, alii *Erythea*. Insulam esse dicunt ad extremam Hispaniæ oram, in mari Gaditano sitam, non procul a Gadibus, in qua tanta aëris benignitas fertur, ut homines pariat pæne immortales. In hac insula regnasse dicitur Geryon, cujus armenta abegit Hercules.

3 *Pecorosa Palatia*] Palatinum montem significat, quem etiam supra Eleg. I. vs. 3. dicit incoluisse Evandrum.

5 *Velabra*] Velabrum, de quo diximus in annotat. ad Tibull. II. 5. locus in urbe fuit juxta Aventinum montem, qua quondam Tiberis fluens ratibus trajiciebatur, ut testatur Tibull. loco mox laudato: 'At, qua Velabri regio patet, ire solebat Exiguus pulsa per vada linter aqua.' Dicitur autem duplex fuisse Velabrum, majus et minus. Ibidem postea factum est rerum venalium macellum. Horat. Serm. II. 3. 229. 'Cum scurris fartor, cum Velabro omne Macellum, Mane domum veniant.'

7 *Hospite Caco*] Cacus Vulcani fuisse filius dicitur. Hunc fuisse Evandri servum scribit Servius in Æn. VIII.

8 *Polluit ille Jovem*] Hospitalem,

Accola Cacus erat, metuendo raptor ab antro,
  Per tria partitos qui dabat ora focos.
Hic, ne certa forent manifestæ signa rapinæ,
  Aversos cauda traxit in antra boves,
Nec sine teste Deo: furem sonuere juvenci:
  Furis at implacidas diruit ira fores.
Mænalio jacuit pulsus tria tempora ramo
  Cacus; et Alcides sic ait, Ite boves,
Herculis ite boves, nostræ labor ultime clavæ,
  Bis mihi quæsitæ, bis mea præda boves.

lavit. *Accola erat Cacus, prædo ex horrida spelunca* ad furandum exire solitus, *qui per ora tria edebat voces tergeminas.* *Iste, ne indicia aperta manifesti furti deprehenderentur, abductos cauda juvencos in speluncam abegit.* *Deoque ipso teste, boves abigeum prodiderunt; statimque* Hercules *iratus raptoris januam evertit.* *Occubuit Cacus tria capita Mænalio ligno percussus, ac* deinde *ita Alcides est locutus:* O *tauri Herculis, meæ clavæ labor extreme,* o *tauri iterum mihi acquisiti, iterumque* a *me cum certaminis periculo parti, abite; longoque boatu vestro agros boaries*

cunt Perr. v. c. Colot. Dresd. Vat. 1. 2. 5. Regg. Groning. Exc. Scal. cett. et ita Lips. Antiq. Lect. II. 20. probante Heins. Not. Prop. p. 576. *Joris* C. Com.—9 *Ingens* C. Vat. 5. *Insula* Neap. Reg. Dresd. Colb. Mentel. Posth. Ask. Voss. 1. 4. Dorv. 2. Burmm. Venet. 2. Rheg. Volsc. ineptissime, cens. Barth. *Accola* legend. recte monuit Schrader. Emend. p. 178. inquit Burm. quod unice firmatur ex Livii loco, quem affert I. 7. '*Incola* impressi: certe Volscus quoque in Not. agnoscit, quanquam a. 1488 in textu dederit *Insula*. Sed *accola* volebat Schrader. non recte.' *Lachm.* *Metuendus* Bon. *Incola* habent B. B. B. L.—10 *Petitos* Ask. *Quæ d.* Mentel. An f. legend. quærit Burm. *quod d.* *Sonos* est in libb. plerisque. *Focos* Groning. Voss. 1. 4. et ita Palmerius, Gebh. et Broukh.—11 *Sic ne* Borr.—12 '*Adversos* male Dorv. 1.' *Burm.*—14 *F. at* Guy. Heins. *In placidas* Borr. Burm. 1. *Ira boves* Dresd. —16 '*Eja ait* vel *ite, ait, ite b.* Heins. sed propius f. vestigiis vulgatæ *Sic ait*, quæ corrupta videtur, insisteret, si legeretur: *Alcides, hinc, ait, ite b.*' Burm.—17 'Totum hoc distichon deest in Dorv. 2. *Scis mihi* vitiose in nos-

NOTÆ

qui fidem jusque jubet hospitibus servari.

15 *Mænalio ramo*] H. e. clava, quæ Mænalia dicitur, quasi sit excisa e Mænalo Arcadiæ monte. Pausanias autem in Corinth. Herculem scribit abscidisse clavam suam ab oleastro quem ad Saronidem Achaiæ paludem invenisset.

16 *Alcides*] Sic dictus est Hercules ab Alcæo, avo paterno.

17 *Labor ultime clavæ*] Ad istud nimirum tempus: nam primus Herculis labor fuit Leo Nemeæus, 2. Hydra, 3. Aper Erymanthus, 4. Cerva Mænalia, 5. Stymphalides, 6. Diomedes Thraciæ rex, 7. Stabula Augiæ, 8. Taurus Cretensis, 9. Antæus, 10. Geryonis boves, pro quibus Geryonem Cacumque interemit, 11. Cerberus, 12. Aurea Mala. De his vide Apollodor. Lib. II.

18 *Bis mihi quæsitæ*] Boves enim illæ iterum fuerunt ab Hercule partæ cum labore ac certaminis periculo; primo quando cum Geryone, deinde cum Caco congressus est.

Arvaque mugitu sancite boaria longo.
  Nobile erunt Romæ pascua vestra forum.
Dixerat, et sicco torquet sitis ora palato:
  Terraque non ullas fœta ministrat aquas.
Sed procul inclusas audit ridere puellas.
  Lucus ab umbroso fecerat orbe nemus,
Fœmineæ loca clausa Deæ, fontesque piandos,
  Impune et nullis sacra retecta viris.
Devia puniceæ velabant limina vittæ;
  Putris odorato luxerat igne casa:

sancta sacraque posteris *facite. Nostra pascua Romæ forum erit insigne.* Sic *locutus est*, cumque *sitis* ipsius *os arido palato cruciaret, et nullos fontes pinguis humus suppeditaret, audiit e longinquo fœminas occlusas ridere. Lucus* ibi *arboribus in gyrum consitis nemus effecerat, locus* erat *septus fœmineæ Divæ* sacer, *et aquæ expiandæ*, si vir inde bibisset, *nullisque maribus sacra impune revelata. Purpureæ fasciæ secreta limina tegebant ac ornabant; tugurium parvum vetustate caducum*

tro 2. *Bis mihi præda* Voss. 1.' *Idem.*—19 *Armaque* Dorv. 1. male, judice Burm. *Sancita* Vat. 5. *Sanate* Voss. 1. 4. *Bovaria* Vat. 5. Neap. Exc. Mod. Leid. 2. Voss. 1. 3. Dorv. et Burm. 2.—20 '*Erunt*, pro vulg. *erit*, scribend. videtur: id quod me monuit Francius: ego autem, ut fit, in cursu scribendi præterieram imprudens.' *Broukh.* '*Erit* in plerisque codd. et edd. antiqq. recte *erunt*. *P. nostra* in omn. fere antiquis edd. et Voss. 4. quod arreptum e codd. scriptura *vostra*, ut in Borr. nam *vestra* recte Colot. Neap. Vat. 2. 5. Mentel. Dresd. Reg. Colb. Groning. et reliqui codd. ut Ed. pr. Vicent.' *Burm.* *Erit* defendit Lachm. Nostram lection. habent B. B. B.—21 *Torquet* Palat. 1. C. Com. duo Broukhusii libb. Guarn. Frut. v. c. Neap. Vat. 2. 5. Ask. Leidd. tres Voss. Dorvv. Burmm. sed *torret* Dresd. et omn. edd. priscæ: quod tuetur Broukh. et Barth. glossema redolet, inquit Kuin.—22 *Fera* Dorv. 1. *Festa* Groning. *Fæda* al. observ. Broukh. *Fissa* Guyeto placebat. *Fæda* legisse Auratum notavit Dous. *Ministret* Voss. 1. Dorv. 2. a m. pr. et Burm. 2.—24 *Lucus at* vel *ubi* Heins.—26 *Impune n.* Guarn.—27 *Lumina* Borr. Heinsian. Leid. 2. Voss. 1. 3. Burm. 2. Ed. Mur. *Mitræ* Vat. 5. et Dorv. 1. in quo *velabat l. mitræ.* *Vitæ* Leidd. *Vitræ* Burm. 2.—28 *Thu-*

NOTÆ

19 *Arvaque boaria*] Hæc ait Propertius, quasi Forum Boarium, quod Romæ fuit, ab Herculis bobus, qui quondam in eodem loco pasti fuerant, nuncupatum fuisset.

24 *Lucus ab umbroso*] Lucus est locus arboribus consitus religionis causa, nemus vero voluptatis. Plures autem arbores in luco nemoris speciem effecerant.

25 *Fœmineæ loca clausa Deæ*] 'Dea fœminea' dicitur Bona Dea, a cujus sacris viri arcebantur, adeo ut etiam in ejus templum cuiquam viro ingredi non liceret. Unde Tibull. 'Sacra Bonæ maribus non adeunda Deæ.'

27 *Devia*] Limina templi Bonæ Deæ 'devia' vocavit, quia erant secreta, et remota a via publica et multitudine populari.

Puniceæ vittæ] De vittis templorum vide annotat. ad Eleg. III. superiorem, vs. 16. sicut nunc ornantur templa floribus et sertis; sic etiam

Populus et longis ornabat frondibus ædem;
Multaque cantantes umbra tegebat aves.
Huc ruit, in siccam congesto pulvere barbam,
Et jacit ante fores verba minora Deo:
Vos, precor, o luci sacro quæ luditis antro,
Pandite defessis hospita fana viris.
Fontis egens erro, circaque sonantia lymphis:
Et cava suscepto flumine palma sat est.

collucebat flammis odoriferis: fanumque populus patulis ramis decorabat, ac umbra densa argutas canorasque occultabat volucres. Illuc Alcides *præceps fertur*, multo *pulvere ad* ipsius *aridam barbam congesto, et ante januam voces Deo indignas emittit. Oro vos, o* puellæ, *quæ* in *sancto nemoris recessu luditis, aperite vestrum hospitium homini lasso.* Ego *aquæ indigens vagor, et his in locis resonant fontes* cum murmure labentes, *et* tamen *aqua* mihi *cava* tantum *manu hausta sufficit.*

ris o. conj. Heins.—29 *At* vult Guy.—31 *Huic r.* Exc. Mod. *Congesta* quidam libri, teste Bronkh. *Congestam* Dresd. *Comesto* Palat. 1. *Congesta* Neap. Voss. 1. Dorv. 1. Burmm.—33 *Lucis* in variis codd. et edd. priscis. *Qui lud.* Voss. 3. Dorvv. Burm. 1. *Sacra quæ l. umbra* Guy.—34 '*Ostia vestra* quidam libb. ap. Bronkh. *Hospita vestra* plerique: Posth. Palat. Dresd. edd. Brix. Venet. Aldd. Colin. *H. tesqua* Ed. Mur. *Tesca* ed. Plantin. a. 1560. *H. jura* C. Com. *H. vana viis* Bon. et Ed. pr. *H. vana* etiam Lips. in vetustis membr. invenerat, ut de emendatione Scaligeri *fana* reponentis dubitandum non sit.' *Barth.* '*H. tesqua* Perr. v. c. qui notaverat, in aliis legi *tecta*, sic certe in Colot. Vat. 1. 2. *Vana viis* Neap. Ask. *Ostia vestra* Regg. Colb. Borr. Heinsian. *H. vestra* Leid. 1. *Vina* Leid. 2. Voss. 3. *Viis* etiam Leid. 2. tres Voss. Dorvv. *H. vana* Voss. 1. 4. Dorv. 1. Sed unde satis infeliciter hariolabatur legendum *h. nana* i. e. parva. Quis vero Propertio *nana* pro *parva* obtrudi vellet? In scriptura *vana* est vera lectio *fana*, *f* in *v* mutata, probante Passerat. et Heins. Advers. I. 3. p. 26. *H. tesqua* vel *tesca* ex Varrone et Festo placuerunt Gebhardo, nec rejecit Passerat. sed recte Bronkh. notat, non amare Prop. vocabulis uti rancidis et obsoletis.' *Burm.*—35 '*Circa resonantia* vult Livin. *Circoque* i. e. circumeo, habet Scaliger et cum eo Bronkh. sed sane non amat Noster vocabulis uti rancidis atque obsoletis, quomodo bene Bronkh. monuit. *Per rura son.* vult Heins. Adv. p. 26.' *Barth.* '*Circoque s.* Scaligeri et Bronkh. manifesto vitiosum. *Circansque* etiam conj. Scaliger. In novem codd. et edd. vetustis est *circa* quod verum esse ascripsit Markl. Forte in ultima litera vocis *circa* latet prima alterius vocis, quæ exciderit, ut olim scriptum fuerit *circantra* et legend. *circum antra s.* In Ask. corrupte *egens ferro.*' Burm. '*Circoque* Scaliger, infelici conatu. Recte Burmannus obnititur, ipse tentans, *circum antra s.* Nobis interim placet codices sequi consensu exhibentis *circaque s.*' Lachm. *Circoque* dat Burm. *Circaque* Barth. et Lachm.—36 '*Sed cava*, aut *Vel c.* malim. *Fulmine* et omissa voce *palma*, vitiose in meo 1. *Flumina* in edd. priscis.' *Burm.*—37 '*Sus-*

NOTÆ

olim templorum limina et aræ decorabantur. Virg. Æn. IV. dicit templum in tectis Didus fuisse, 'Velleribus niveis et festa fronde revinctum.' Tibull. I. 1. dicit corollas ac flores ad fores templorum pendere consuevisse.

Audistisne aliquem, tergo qui sustulit orbem?
  Ille ego sum: Alciden terra recepta vocat.
Quis facta Herculeæ non audit fortia clavæ?
  Et nunquam ad notas irrita tela feras?
Atque uni Stygias hominum luxisse tenebras?
* * * * *
Quod si Junoni sacrum faceretis amaræ,
  Non clausisset aquas ipsa noverca suas.

An ad aures vestras pervenit illius fama, qui mundum dorso gestandum suscepit? En ipse ego adsum: tellus monstris purgata Alciden me *nominat. Quis nescit Herculeæ clavæ præclara facinora? ac sagittas nusquam inanes adversus feras? unique* illi *mortalium Stygias umbras illuxisse?* [*Admittite* hunc ut hospitem: *ægre mihi humus ista putet.*] *Si* vos *sacrificaretis infensæ* mihi *Junoni, ipsa* licet *noverca* mihi *suos fontes non negaret. Si vero* vestrum

tinet Mentel. Heinsian. Pro *tergo* mallem *collo*, si per membranas liceret.' *Idem.*—38 Pro *recepta* in Neap. *suscepta:* et in Dresd. *defensa*, ex glossa, contra metrum.—39 Pro *audit* in Voss. 3. *sentit*, unde f. censente Burm. melius legeretur *sensit.*—40 *Natas* Brix. et Aldd. cum cett. unde facit *notas* Broukh. ex Hor. II. Ep. 1. 11. probante Vulp. *Varias* Ed. pr. et Venet. *Vastas* C. Com. et Voss. *Vatas* Neap. quod Bronkhusii emendationi favet. *Stratas* emendat Heins. Advers. p. 27. *Vastas* Cant. '*Notas* ex conjec. edidit Broukh. cui favet scriptura corrupta Voss. 2. 4. *novas*, cum in plurimis codd. ut Leidd. Voss. 3. Ask. Dorv. 2. legatur *natas*. *Varias* Vat. Reg. et Dorv. 1. quod non displicebat Marklando. Sed recipienda videtur Vat. 1. Voss. 1. et C. Com. lectio *vastas*, quam adjuvat Neap. in quo *vatas:* atque ita Passerat. et Schrader. Emend. p. 91. In meo autem cod. 2. *vacuas* et in marg. pro varia lect. *notas*.' Burm. *Notas* etiam præfert Knin. *Natas* rectum esse ait Lachm. sed *notas* dant B. B. B.—41 *Homini* Neap. Bon. Guarn. Dresd. Mentel. Colb. Borr. Groning. Leidd. tres Voss. Dorvv. Burm. *Cessisse t.* conj. Heins.—42 'Lacunam hic vult relinqui Scaliger, cum idem vs. mox sequatur. In Bon. Guarn. ed. Brix. legitur ut infra vs. 66. recurrit: *Accipit hæc:* sed in Dresd. *Accipit? hæc.* In edd. Aldd. Colin. Mureti, cett. *Accipite h.* *At posthæc* Heinsii et Ferr. libb. Sic emendandum ac retinendum suadet Cant. hunc vs. *Accidit. ac f.*' Barth. 'Lacuna sic suppletur in Colb. Heinsian. Leidd. tribus Voss. Dresd. [cf. s.] Dorv. 1. et meo: *Accipit hæc*, qui vs. occurrit infra vs. 66. *Accipite hæc* Borr. Groning. Leid. 2. Voss. 3. Dorv. 2. ut in priscis edd. *Accipit hic festo* Dorv. 1. *Accipit hic fesso* in meo 2. *Accipe hæc* Ask. *Accipit et* Neap. *At post hæc* Perr. v. c. Colot. Vat. 1. 2. *Accipite hunc* legebat Livin. Francius suppleri posse ascripserat hoc vs. *Oraque tergemini conticuisse canis:* non male, si a cod. quodam confirmaretur.' *Burm.* 'Codices subjiciunt versum huic loco non aptum, qui recurrit infra 66.' *Lachm.*—43 *Quid si* Vat. 1. Voss. 1. Guarn. et sic Heins. Advers. p. 27. *Feceritis* Voss. 3. *Quid si* pro-

NOTÆ

39 *Quis facta Herculeæ*] Res suas preclare gestas adeo claras et illustres esse dicit, ut nulli ignotæ esse debeant.

44 *Ipsa noverca*] Notum omnibus est odium Junonis in Herculem, quam ipse vocat 'novercam,' quia filius Jovis, cujus uxor et Juno, credebatur

Sin aliquam vultusque meus, setæque leonis
Terrent, et Libyco sole perusta coma;
Idem ego Sidonia feci servilia palla
Officia, et Lyda pensa diurna colu.
Mollis et hirsutum cepit mihi fascia pectus;
Et manibus duris apta puella fui.
Talibus Alcides: at talibus alma sacerdos
Puniceo canas stamine vincta comas:

aliquam facies mea, ac pellis leonina villis horrens, crinesque mei *Libyco sole tosti metu percellunt; ipse ego Sidonia veste* indutus *expleri servilia ministeria, Lydaque colu pensa in diem* heræ reddenda carpsi: *strophium quoque puellare mihi sinum hispidum conclusit, ac manibus* licet *callosis, decens* tamen *ac venusta, ministerioque conveniens, fui puella. Hæc* dixit *Alcides: sed hæc* vicissim verba retulit *sancta sacerdos* Bonæ Deæ *purpureis vittis caput habens redimitum:*

bat Lachm.—45 *Aliquem* Regg. Exc. Scal. Borr. Leidd. tres Voss. Dorvv. Burmm. '*Aliquem* Palatt. et edd. Brix. ac Venet. Pro *Sin* tamen *Sic* habet Ven. 1.' *Barth.* Per 'Ven.' forsan intelligend. Venet. 1500. et per 'Ven. 1.' Venet. 1493. *Septæque* Dorv. 1. *S. præusta* Scal.—47 *Palma* Voss. 3. *Symonia* Neap. —48 '*Lydo . . . colo* scripsisse Propertium ait Vossius I. Analog. cap. 31. et sic Bon. Guarn. Dresd. Reg. Borr. Groning. Francc. contra Prisciani regulam. *Lyda . . colu* nihilominus tuetur Bronkh. *Lydia . . colo* Venet. *Lydio . . . colo* Brix. *Lydo . . . colo* Aldd. Colin. cett. *Lyda* Ed. Mur.' *Barth.* *Lyda* defendit Burm. quod dant B. B. *Lydo* probat Lachm.—49 '*C. me* Heinsian. Pro *cepit* Heins. conj. *sepsit*, mallem *cinxit*, ut Francio etiam placebat.' *Burm.* *Cepit* tamen probat Kuin.—50 Heins. emendabat *A. tabella fuit*, improbante Bronkh. Posset legi, inquit Burm. *acta tabella fuit*, qui etiam conj. *Nec m. d. apta quasilla tuli:* sed tamen hac emendatione non opus videtur, censet Kuin. cum ex ipsa orationis serie facile appareat, per *puellam* quasillariam intelligend. esse.—51 '*Et t.* Voss. 4. Groning. Dorvv. unde, ultima litera ex præcedenti *Alcides* repetita, scribend. videtur, *sed t.*' Burm.—52 Pro *canas*,

NOTÆ

Hercules. De isto novercali Junonis in Herculem odio, vide Ovid. Metam. IX. Virg. Æn. VIII. Senec. Tragic. in Herc. Fur.

45 *Setæque leonis*] Leonis Nemesi, quem occiderat, pellem pro tegumento gestabat Hercules, et clavam pro telis et armis. Unde Apuleius in Apolog. 'Hercules neque una pelle vestitior fuit, neque uno baculo comitatior, et præter hæc duo nihil aliud gerebat, nudusque peregrinabatur.'

47 *Sidonia palla*] Veste muliebri purpurea. Palla quippe genus est vestis muliebris, quæ dicitur Sidonia, quia apud Sidonem, Phœniciæ urbem, pretiosa purpura tingebatur. De qua II. 16. 'Quare ne tibi sit tanti Sidonia vestis.'

48 *Lyda colu*] Significat Hercules se quondam servilia ministeria exhibuisse inter ancillas Omphales, Lydorum reginæ, cui propter amorem serviens lanificium, colum, aliosque cultus fœmineos et officia, mulieris instar, exercuisse dicitur.

51 *Alma sacerdos*] Bonæ Deæ sacrificia solummodo per virgines Vestales fieri consuevisse testatur Cic. Orat. de Haruspic. respons.

Parce oculis, hospes; lucoque abscede verendo:
  Cede agedum, et tuta limina linque fuga.
Interdicta viris metuenda lege piatur,
  Quæ se summota vindicat ara casa.
Magno Tiresias aspexit Pallada vates,
  Fortia dum, posita Gorgone, membra lavat.
Di tibi dent alios fontes: hæc lympha puellis
  Avia secreti limitis una fluit.
Sic anus: ille humeris postes concussit opacos;
  Nec tulit iratam janua clausa sitim.

Abstine, o advena, ab aspectu sacrorum nostrorum, *et absiste venerando* maribusque metuendo *luco: recede igitur, foresque* sacras *secura* tibi *fuga relinque.* Illa *ara, quæ in ædicula in secessu posita sese* ipsa *asserit, maribus prohibita, horrenda gravissimæ pœnæ sanctione expiatur*, si violata fuerit. *Vates Tiresias ingentem Palladem vidit, dum corpus invictum, deposita Gorgone*, fonte *ablueret. Superi tibi donent alias aquas: fons iste aquæ reconditæ in recessu sepositus solis fœminis manat. Hæc* ait *vetula. Alcides umbrosas fores humeris diruit, neque ostium obstructum sustinere potuit impetum* ipsius *sitientis; sed ubi sitim jam epoto fonte*

in Dresd. *flavas.*—53 'Ita in omn. codd. et edd. legebatur ante Broukh. qui ex sola tantum conjectura sua edidit: *l. age cede v.* repetitione quidem non invenusta, sed quam emendationem in Notis proponere, quam textui inserere, præstat. Markl. quidem conjecerat etiam *age cede*, sed simul ascripserat, verius esse *absiste*, ut Virg. Æn. vi. 259. quod valde placet.' *Burm. Age cede* recep. Vulp. Gött. etiam dat Barth. *Abscede* habent Burm. et Lachm.—56 *Qua se* Guarn. Dresd. et edd. Brix. Aldd. Colin. cett. *Quæ sese admota v. a. sera* vel *immota, semota s.* Heins. Advv. p. 27. Broukhusio præplacet vulgata.—57 '*Magnam* Bon. Dresd. Brix. Venet. Aldd. cett. *Magno* tamen etiam in vetustis libb. legi testes sunt Passerat. ac Gebh. et veram hanc lect. jam olim sagaciter restituerant Lips. ac Dous. P.' *Barth. Magnam* improbant Burm. et Lachm.—60 '*Liminis* Palat. 1. Dresd. Aldd. cett. meliores libb. magno numero exhibent *limitis. Fluit* quoque legend. cum Frutерio et optimis libb.' *Barth. Fluit* probabat Heins. *Secretis* Dorv. 1.—61 *Hæc a.* Hein-

NOTÆ

53 *Lucoque verendo*] Maribus metuendus erat iste lucus, quia sacra illa nullis viris erant impune visa.

56 *Vindicat ara*] H. e. quæ sese tuetur adversus virorum oculos, unde in recessu et in solitudine est posita.

57 *Tiresias*] Probat Bonæ Deæ sacrorum conspectum esse viris exitiosum, exemplumque affert Tiresiæ, qui dicitur excæcatus, quod Palladem nudato corpore se lavantem aspexisset. Unus autem Propertius inter Latinos scriptores unum inter Græcos secutus Callimachum dixit Tiresiam fuisse excæcatum a Pallade. Reliqui namque omnes, tum Græci tum Latini, auctores Tiresiam oculis orbatum fuisse dicunt a Junone; cui quidem Jupiter: 'pro lumine ademto Scire futura dedit, pœnamque levavit honore.'

58 *Posita Gorgone*] H. e. exutis armis ac ægide, in qua Pallas Gorgonis caput gestabat.

At postquam exhausto jam flumine vicerat æstum,
Ponit vix siccis tristia jura labris:
Angulus hic mundi nunc me mea fata trahentem
Accipit: hæc fesso vix mihi terra patet.
Maxima quæ gregibus devota est Ara repertis,
Ara per has, inquit, Maxima facta manus,
Hæc nullis unquam pateat veneranda puellis,
Herculis eximii ne sit inulta sitis.
Sancte pater, salve, cui jam favet aspera Juno:
Sancte, velis libro dexter adesse meo.

restinxit, vix exsiccatis labiis, leges tulit puellis *amaras. Hic angulus mundi jam me fata mea trahentem recipit; ista tellus ægre me fatigatum admittit. Ara* illa *Maxima, quæ invento armento dicata est; Ara* illa *Maxima, ait, istis manibus* meis *constructa* est. *Ad istam* aram sacram *nullæ unquam fœminæ adeant, ne Herculis egregii sitis maneat impunita. Salve, sancte parens, cui nunc benigna est et æqua Juno,* quondam *iniqua et infensa:* o *Dive, libello meo favere digneris. Quod igitur viribus* suis *et virtute mundum*

---

sian.—63 '*Liquerat æs.* Dorv. 2. a m. pr. sed *vicerat* tuentur ea, quæ notavit Bentl. ad Horat. Ep. II. 1. 6. p. 620.' *Burm.*—64 Pocchus dat *vis* pro *vix* et ita corrigebat Puccius.—65 '*Hinc mundi* Groning. *Vix me* legit Wakker. in Amœnitt. literar. cap. 12. p. 106. sed *vix*, ter hac ipsa repetita voce, ab ipso auctore scriptum dubito.' *Burm.*—66 *Accipito* Heins.—67 Pro *quæ* Pocchus annotat *qua*. *Quæ et g.* Voss. 4. *Maximaque* Burm. 1. Pro *repertis* Burm. malit *receptis*.—69 '*Veneranda* omnes libb. antiqui et excusi: sed Broukh. palmariam, uti vocat, correct. Heinsii *temeranda* in textum recep. cum Vulpio et Gött. mihi religio esset scriptori cuidam vel literam obtrudere.' *Barth.* *Temeranda* ascripserat Heins. et dat Barth.— 70 *Hercule exterminium nescit* Voss. 1. Burm. 2. sed in quo *nescit*. *Herculis extremum* Dorv. 1. *Herculii ext. minium nescit* Neap. *Hercule exterminium nescit* Voss. *Herculis externi* Heins. in Not. Prop, p. 757. vel *Herculis æternum* Advers. I. 3. p. 28. *Eximii* cett. libb. tuitus est Passerat. Certe, dicit Burm. pro *eximii* melius conveniret *invicti*, si codd. adjuvarent.—71. 72 *Cum jam* Voss. 1. Pro *inesse*

NOTÆ

67 *Maxima Ara*] Hercules interfecto Caco dicitur aram constituisse, quæ semper dicta est Maxima, ut testatur etiam Virg. Æn. VIII. 'Hanc aram luco statuit, quæ Maxima semper Dicetur nobis, et erit quæ maxima semper.' Erat autem illa ara ad ædem Herculis Romæ in Foro Boario; ubi nimirum olim Hercules eam dicitur exstruxisse, ut testatur Ovid. Fast. I. 'Constituitque sibi, quæ Maxima dicitur, aram, Hic ubi pars urbis de bove nomen habet.'

69 *Hæc nullis pateat puellis*] Ab hac Ara Maxima voluit Hercules arceri mulieres, quod olim ipsi sitienti negavissent aquam. Macrob. Saturnal. I. 12. 'Mulieres in Italia sacro Herculis non licet interesse, quia Herculi, cum boves Geryonis per Italiæ agros duceret, sitienti respondit mulier, aquam se non posse præstare, quia fœminarum Deæ celebraretur dies, nec ex eo apparatu viros gustare fas esset. Propter quod Hercules facturus sacrum detestatus est præsentiam fœminarum.'

71 *Sancte pater*] Invocat Herculem,

Hunc, quoniam manibus purgatum sanxerat orbem,
Sic Sancum Tatiæ composuere Cures.

sanctum purumque a monstris reddiderit Hercules, *ideo Tatiæ Cures* ipsum *sanctum constituerunt.*

Guy. ex codd. Passeratii malebat *adesse.*—73 *Hunc* Borr. Colb. Groning. Bon. Leid. 1. Voss. Dorv. Burm. 2. *Hinc* Heins. *Senserat* Guarn. Reg. Leid. 2. Dorvv. Ask. et priscæ edd. *Sanxerit* Heinsian. *Sanxerat* Bon. Dresd. cum sex libb. scriptis Broukhusii, et ita jam Beroaldus correxerat.—74 *Sic sanctum tacia c. manus* ed. Brix. '*Hic Sancum* Heins. *Sanctum Tatiæ* in omn. fere codd. et edd. antiqq. quibus consentiunt Leidd. tres Voss. Dorv. 1. meus 2. *Tatiæ manus* Colb. et Reg. 2. *Sanctum Tatiæ c. cures* Ask. *Composuere manus* meus 1. Leid. 1. *Curæ* Dorv. 2. a m. pr. *Tatii Cures* verissima lect. est, quanquam Scaligero, qui legit Tatii, adversatur Passerat. qui *Tatiæ* præfert.' *Burm.*

NOTÆ

quem vocat patrem, quia nimirum Deus credebatur; Dii namque vulgo hoc nomine vocantur honoris causa. Jupiter dicitur Deorum pater, Tarpeius pater; Mars etiam dicitur pater III. 4. 11. Africus etiam ventus dicitur pater Eleg. 3. superiore.

Cui jam favet Juno] Quia nempe post mortem Hercules factus est Deus, Junonique reconciliatus, cujus etiam filiam Heben in cœlo dicitur uxorem duxisse.

74 *Sancum*] Sancti veteribus dicti sunt omnes Dii, sicut Deæ sanctæ. Significat autem Poëta titulo peculiari sanctum fuisse dictum Herculem, quod terrarum orbem sanctum et purum a monstris effecisset. Hunc autem, 'Sangum' seu 'Sancum' dixerunt olim Sabini, quem Romani sanctum pronuntiaverunt. Festus in verbo 'propter viam' ait: 'Propter viam fit sacrificium, quod est proficiscendi gratia, Herculi, aut Sanco, qui scilicet idem est Deus.'

Tatiæ Cures] Scaliger legit, *Tatii*, populumque ponit pro urbe; Cures enim præcipua urbs Sabinorum, in qua Tatius regnavit.

ELEGIA X.

QUARE JUPITER FERETRIUS DICTUS.

Nunc Jovis incipiam causas aperire Feretri,
Armaque de ducibus trina recepta tribus.

Ego jam aggrediar varias nominis *Jovis Feretrii rationes explicare, et arma*

Qualiter appelletur Jupiter Feretrius inscribitur hæc El. in Borr. *Quare Jupiter sit dictus Feretrius* Dresd. Burm. 1. ut fere in priscis edd. *De Jove Feretrio*

NOTÆ

1 *Nunc Jovis*] Unde Jupiter Feretrius cognominatus sit hac Elegia docet Propertius. Alii sic dictum a feriendo putant, alii a ferendo: utrumque admittit Poëta.

Feretri] Acronem Cæninensium du-

Magnum iter ascendo; sed dat mihi gloria vires.
Non juvat ex facili lecta corona jugo.
Imbuis exemplum primæ tu, Romule, palmæ
Hujus, et exuviis plenus ab hoste redis,
Tempore quo portas Cæninum Acronta petentem
Victor in eversum cuspide fundis equum.

trina de tribus ducibus capta. Arduam ac difficilem viam ingredior; at gloria mihi robur addit ingenii; *non delectat corona e clivo leni ac molli decerpta.* O *Romule,* tu ipse *exemplum instituis istius primæ victoriæ, spoliisque onustus ab hoste reverteris, qua tempestate victor equum immittis in prostratum hasta* tua *Ceninensem*

Burm. 2.—4 *E facili* Neap. Groning. Palatt. C. Com. Guarn. Ask. Leid. 2. tres Voss. Dorvv. Burm. 2. *Læta* Heinsian.—5 *Induis* Perr. v. c. Vat. 1. 2. Dorv. 1. Burm. 2. *Imbuere* Colot. *Omnibus ex.* Heinsian.—6 '*Eximio* Reg. quinque libb. Broukh. ap. Guarn. et Dresd. bene: eandem lect. confirmat *exuvio* quod in suis Passerat. invenit, nec multum recedit ab *eximio*, quod et edd. Brix. et Venet. præferunt.' *Burth.* *Exuvio* Borr. Ask. Voss. 1. Dorvv. *Ex vivo* Neap. *Eximio* Leidd. Voss. 3. 4. Groning. Burm. 1. et antiquæ edd. 'Quæritur,' inquit Lachm. 'utro modo legendum sit: *et eximio* vel *et exuvio*. Illud Broukhusio placebat: ego hoc præstare judico.' *Exuviis* dant B. B. B. —7 *Ceninum* Brix. Venet. Aldd. cett. *Cæninum* Guarn. *Cæninum* scribi jubet Broukh. *Acronta* legunt duo Broukhusii libri cum Posth. Palat. membr. C. Com. Borr. et sic Passeratii libri, et Ed. pr. Brix. et Venet: Vulpius *Acrona* cum Aldd. ceterisque prætulit. '*Cecinum* Voss. 1. 4. Dorv. 1. *Ceninum* in meo utroque: sed rectius cum diphthongo scribi, monuit Broukh. Pro *Acrona* recte *Acronta* Broukh. prætulit, quod firmatur a Neap. Mentel. Exc. Scal. aliisque codd. et priscis edd. In Voss. 3. corrupte *Acheronta*. *Potentem* in meo 2. *Petentes* Dorv. 1.' *Burm.*—8 *Nec versum* Neap. Voss. 1. 4.

NOTÆ

cem in prælio propria manu cum Romulus obtruncasset, spolia ex eo relata ferculo ad id facto in Capitolium detulit, ibique templum Jovi consecravit, quem Feretrium nuncupavit, in eoque templo spolia illa regia appensa collocavit, auctorque fuit posteris, ut eo capta ex hostibus spolia opima deferrent. Hæc est origo templi, quod primum omnium Romæ dedicatum est, ut testatur Livius lib. I. et in quo omnia opima spolia debebant offerri. Opima porro spolia illa nuncupata sunt, quæ regibus vel ducibus hostium in prælio sua manu cæsis detraherent duces, et in templo Jovis Feretrii suspenderent. Bina tantum post Romulum inter tot annorum bella opima parta sunt spolia, adeo rara decoris ejus fortuna fuit. Prima Acrone interemto Romulus obtulit; secunda Cornelius Cossus, Tolumnio Hetrusco occiso; tertia Claudius Marcellus, obtruncato Virdomaro Gallorum rege, suspenderunt. Nec alii, dum Romanum stetit imperium, opima spolia leguntur retulisse.

5 *Imbuis exemplum*] Exemplum instituis quo posteros doces quid sit faciendum ducibus Romanis, dum occisis propria sua manu hostium ducibus victores spolia reportabunt.

7 *Cæninum Acronta*] Acron dux seu rex fuit Cæninensium, quo quidem duce, propter raptas virgines Sabinas, iidem Cæninenses in agrum Romanum irruerunt, quibus occurrens cum exercitu suo Romulus regem ipsum Acronem prælio prostratum obtruncatumque armis spoliavit,

Acron Herculeus Cænina ductor ab arce,
Roma, tuis quondam finibus horror erat.
Hic, spolia ex humeris ausus sperare Quirinis,
Ipse dedit, sed non sanguine sicca suo.
Hunc videt ante cavas vibrantem spicula turres
Romulus, et votis occupat ante ratis:
Jupiter! hæc hodie tibi victima corruet Acron.
Voverat, et spolium corruit ille Jovi.
Urbis, virtutumque parens sic vincere suevit,
Qui tulit aprico frigida castra lare.

Acronem ad portas urbis *accedentem.* O *Roma, limitibus olim tuis terror erat* ille *Acron Herculeus arcis Ceninensis dux. Iste*, temere *ausus sperare exuvias ex humeris Quirini, ipse præbuit, verum suo* ipsius *cruore madidas. Romulus istum aspicit torquentem hastilia ante latas turres, votisque prius ratis* ipsum *invadit.* O *Jupiter, Acron victima hodierna die tibi mactabitur. Ubi votum nuncupaverat, statim ille Jovi troparum occubuit. Ita pater urbis ac virtutis consuevit* hostes *debellare, qui, quamvis haberet tepidam mollemque domum, algida tamen castra mili-*

Ask. Dorv. 2. Burm. 2. Palat. 1. C. Com. Bon. Guarn. *Nec versus* Vat. *Et inversa* Dorv. 1.—9 *Herculeis* Brix. *Cæcina* Guarn.—10 *Hector e.* Scal.—11 '*Quirinis* in quibusdam esse ait Broukh. nostri nihil mutant.' *Barth.* '*Quirini* perperam in omn. fere codd. et edd. priscis: sed recte *Quirinis* in cod. Scal. *A. spoliare* male in Mentel.' *Burm.* *Quirini* dant Barth. Lachm.—13 '*Nunc v.* Borr. Voss. 1. et meus uterque. *Hunc vidit* vitiose in priscis edd. *Librantem* Neap. Exc. Scal. Groning. Voss. 3. 4. Dorvv. et meus 2. in reliquis *vibrantem.*' Idem. *Vibrantem* prætulit Broukh. sed inquit, 'probum utrumque; neque multum hic refert quod cui præferas.' *Librantem* Palat. 1. Bon. et Guarn. *Librantes* C. Com. *Librantem* magis proprium esse inquit Lachm. Nostram lect. exhibent B. B. B.—14 *Ante ratos* Guarn. *Vobis . . . rates* Brix. *Ante vates* Neap. Mentel. Ask. Borr. Leidd. tres Voss, Dorv. 2. Burmm. sed in Burm. 2. marg. *deos* pro varia lect. *Vobis o. a. rates* in priscis edd. sed *votis ratis* vera lect. est, inquit Burm. et dant B. B. B. L. —15. 16 *Hic h.* Heins. quod etiam legend. videtur, censet Broukh. et Burm. '*Spolium: c.* male distinguitur,' Burmannus dicit, 'in meo utroque.' '*Corruet* pro *corruat* auctoribus libb.' *Broukh.*—17 *Virtutemque* Voss. 1. h. e. *virtutumque* ut in Dorv. 1. Burm. 2. quod placebat Markl.—18 *A porco* Neap.

NOTÆ

urbemque Cæninam primo impetu cepit, ac deinde ornatu triumphali Romam reversus Acronis spolia Jovi Feretrio primus omnium consecravit.

9 *Cænina ductor ab arce*] Cænina fuit urbs Latii, non procul a Roma, cujus rex Acron a Romulo est occisus, armisque spoliatus.

13 *Cavas turres*] Scilicet Romanas, quæ intus vacabant capiendis propugnatoribus. De turribus Romanis dictum est III. 21. 'Romanæ turres, et vos valeatis, amici.'

14 *Votis ratis*] 'Rata vota' dicuntur, quæ firma, Diisque probata et accepta sunt.

Idem eques et frænis, idem fuit aptus aratris,
  Et galea hirsuta comta lupina juba.
Picta nec inducto fulgebat parma pyropo:
  Præbebant cæsi baltea lenta boves.
Cossus at insequitur Veientis cæde Tolumni,
  Vincere cum Veios posse laboris erat.
Nec dum ultra Tiberim belli sonus; ultima præda
  Nomentum, et captæ jugera terna Coræ.

tiamque toleravit. Idem eques idoneus erat armis et aratro: cassisque ipsi erat *lupina hispida crista ornata. Neque pelta picturata additis carbunculis coruscabat; tauri mactati suppeditabant baltea flexibilia. Cossus autem sequitur, occiso Tolumnio Veiente, quando magni operis ac laboris erat Veios posse debellare. Nondum trans Tiberim tubæ clangor; remotissima præda Nomentum* erat, *paucaque jugera Coræ*

Aperto Voss. 1. *A prisco* Heinsian.—19 *Equus . . . id. et fuit* Guy. *Id. et fuit* etiam Livin.—20 *Cui g.* Perr. v. c. Colot. Vat. 1. unus scriptus Passeratii. *Stat g.* vult Heins. in Not. Prop. p. 758. *Hirsutis jubis* Groning.—21 *Victa* Heinsian. *Neque in.* Neap. Groning. Ask. Bon. Guarn. Leid. 2. tres Voss. Dorv. 1. Burm. 2. Bronkh. et Ed. pr. *Palma* Borr. Palat. membr. *Flamma* Groning. Voss. 1. 4. *Flama* C. Com. *Flãma* Guarn.—22 *Læsi . . . boves* Dorv. 1. —23 'Distichon hoc sequenti postponitur in pluribus codd. sed illud eo ordine, quo collocavimus, in aliis codd. legi, et legendum esse recte docuit Schrader. Emend. p. 181. *Cossus et inde sequitur venientis* Dorv. 1. *Venienti* 2. *Venientis* etiam Borr. Voss. 3.' *Burm.* *Cossus et* Dresd. *Tolumni* edd. Aldd. et Colin. Sequens distichon hoc loco posuerunt B. B. B.—24 *V. tum V.* Voss. 4.—25 '*Necdum ultra* cett. Varias stationes hoc distichon nactum est in edd. Nimirum in Brix. ac Venet. legitur ante vs. 21. et 22. In Aldinis post illud: *Cossus at ins.* et eodem in loco etiam Vulpii ed. cum Scaligeriana exhibet. Passeratio videtur id collocandum eo loco, quem hic obtinet, et in quem Bronkh. quoque jam recepit, quem Göttingensis editor, ut sæpe, sequitur.' *Barth.*—26 '*Pauca* prætulit Bronkh. quod certe melius quam *parva*, ut in Leid. 2. Voss. 3. sed *terna* Perr. v. c. Colot. duo Vat. et huic lect. favent codd. in quibus *terra*, ut in Neap. Reg. 1. Colb. Ask. Borr. Groning.

NOTÆ

23 *Cossus at insequitur*] Aulus Cornelius Cossus Tribunus militum, (alii Consulem dicunt,) Lartem Tolumnium, Veientium regem, bello propria manu occidit, ejusque spolia secunda opima, ut Romulus ante fecerat, solenni dedicatione Jovi Feretrio obtulit: ut narrat Liv. lib. IV. Causa belli fuit, quod Fidenates, Colonia Populi Rom. ad Lartem Tolumnium, Veientium regem, interfectis legatis Romanis defecerant. Hanc injuriam ut ulciscerentur Romani, bellum Fidenatibus Veientibusque Tuscorum populis intulerunt.

24 *Vincere cum Veios*] Veii civitas fuit Veientium populorum caput, non procul ab urbe Roma. Veios post decennalem obsidionem cepit per cuniculos Camillus. Veiorum rex erat Tolumnius, a Cosso occisus: ut mox dictum est.

26 *Nomentum*] Oppidum fuit Latii, non procul ab urbe Roma; unde Nomentana via, qua Nomentum itur.

Coræ] Cora fuit etiam Latii oppidum exiguum.

Et Veii veteres et vos tum regna fuistis,
Et vestro posita est aurea sella foro.
Nunc intra muros pastoris buccina lenti
Cantat, et in vestris ossibus arva metunt.
Forte super portæ dux Veius astitit arcem;
Colloquiumque sua fretus ab urbe dedit.

jam *expugnatæ*. *Et vos*, o *antiqui Veientes*, tunc *fuistis*, fuistisque etiam vos tunc, o *regna Volscorum*, *ac* in *vestro foro aurea sedes locata est*. *Nunc* vero in vestra ipsa *urbe opilionis otiosi fistula canit*, *et in vestris cineribus ac sepulcris agros metunt* agricolæ. *Casu fortuito ductor Veius ad portæ propugnaculum affuit*, *ac urbis suæ præsidio confisus alloquii* Cosso *potestatem fecit*. *Et cum aries æneo*

Leid. 1. duobus Voss. et Dorv. 1. *Trita* Vat. 1. Reg. 2. unde *trina* Heins. conj. *Terna* probavit Lips. Antiq. Lect. II. *Capta* Mentel. Heinsian. unde Guy. *capta j. pauca Cora* legebat. In Leidd. Voss. 1. 3. et Ask. *choræ*.' Burm. *Terna* etiam Scaliger: quod probat Lachm. *Pauca* dant B. B. B. et defendit Kuin. Posth. *chore*. Brix. et Venet. ap. Barth. *choræ*.—27 '*Et vos t. præda*: ita Groning. Lipsius e Vat. libro legit, *et Volscum regna f.* quod posset facile admitti, si qua extaret memoria vel regni vel regum Volscorum: sed reducenda est in suum l. certissima Beroaldi emendatio, haud quaquam arbitraria, *Et Veii veteres et vos tum regna fuistis*: eam firmant libb. Regii et Colbertini, duo Gebhardi, ac noster 2. exhibente primo, *vos cum regna*; quod etiam in Borr. est.' *Broukh*. *Et veri vet*. Guarn. *Vostum regna* Ed. pr. *Vos Veii v. tum Volscum* volebat Guy. 'Sic legi in Palat. et C. Com. testatur Freinshemius ad Flor. I. 12. 11. ubi etiam vide Rupertum: neque aliter in Leidd. Voss. aliisque codd. habetur. *Et vos quoque r.* conj. Heins. Sed probo et amplector, quod in Voss. 4. legitur, *et Volscum r.* licet repudiaverit Broukh. et ad hanc lect. nos manu ducunt et vestigia præbent codd. in quibus *vos cum*, ut de suo pr. testatur Broukh. et in Borr. Heinsian. An *regna Volscorum* a poëta recte dici potuerint, constabit ex libro Ant. Ricchi de Regno Volscorum, qui II. cap. 3. ita hunc locum affert: *Et Veii v. Volscorum r.* *Volscum regna* affert Fabrettus ad Inscr. Ant. cap. 3. p. 129. Idque etiam probasse videtur Demst.' *Burm*. 'Lectionem *et Volscum r.* ferri posse, non nego: sed vulgarem lect. *vos tum*, tot codd. auctoritate munitam, et commodissimum sensum præbentem, præfero.' *Kuin*. 'Nihil agunt, qui *et Volscum* reponunt de Italorum conjectura. Recte probat Schrader. codicis Groning. scripturam: *O V. vet. et vos tum r. f.*' Lachm.—29 *Læti* in aliis.—30 '*Arma* Guarn. quod ferri non potest.' *Barth*. idem censet Broukh. *Arma* Mentel. Borr. Heinsian. Leidd. Voss. 1. 4. *Ferunt* Dorv. 1. *Metunt*, relicta lacuna,

NOTÆ

28 *Aurea sella foro*] Tanta, inquit, vestra fuit, o veteres Veii, nominis vestri celebritas, tanta majestas, ut magistratus vester, seu dux, seu rex, in aurea sella sedens in medio foro jus diceret. Semper enim fuit fastus regii aurea sella.

29 *Nunc intra muros*] Hujusmodi est illud Nasonis: 'Jam seges est ubi Troja fuit.' Veios autem ita desolatos esse Poëta significat, ut non modo pascant greges suos pastores in Veiorum ruderibus et sepulcris, sed etiam agricolæ in media urbe metant fruges; quia nimirum urbis loca jam erant arva vel pascua.

31 *Dux Veius*] Lartes Tolumnius.

Dumque aries murum cornu pulsabat aëno,
Vineaque inductum longa tegebat opus,
Cossus ait, Forti melius concurrere campo.
Nec mora fit; plano sistit uterque gradum.
Di Latias juvere manus: desecta Tolumnî
Cervix Romanos sanguine lavit equos.

cornu mœnia subrueret, et vinea prolixa labores militares cuniculosque ad mœnia conductos protegeret, Cossus dixit: Honestius est viro *magnanimo* in *planitie decertare. Neque* ulla *datur mora,* confestim *uterque astat in campo paratus ad pugnam. Superi Latinas manus adjuverunt; amputatum Tolumni caput Romanos*

deest in Heinsian.—32 *Factus* Leid. 1. *Fractus* Bon. Mentel. unde Heins. legebat *C. sua fractus ab u. d.*—34 *Vinea qua ductum* C. Com. Bon. Guarn. Colot. Neap. Borr. Ask. Leid. 1. tres Voss. Dorvv. Burm. 2. et sic legebat Schrader. quod probat Burm. *Vinea qua ind.* Burm. 1. aliique codd. *Cogebat* Reg. *Regebat* Voss. 1. Burm. 2.—35 'Recte, puto, Broukh. et Markl. conj. *Fortis.*' Lachm. *Fortes* e Markl. exscribit Burm. *Concurrite* Bon. Borr. Burm. 1.—36 '*Pleno* conjiciebat Lips. et operose astruit Heins. Not. Prop. sed *plano* librorum tuetur Broukh. *Plano . . . gradu* Brix. et Venet. quod tuetur Gronov. ad Liv. 4. 12. ut *sistit* ponatur pro *sistitur*.' Barth. *Sit* Leid. 1. Burm. 1. *gradu* in plerisque codd. et edd. antiqq. *N. mora: se pleno s. u. gradu* legebat Guy. *Figit u. gradum* conj. Markl. *Plano . . . gradu* probat Editor Elect. Eton. Minor. p. 188. et *gradum* ab aliis reponi improbat. *Gradum* veram esse lect. dicit Kuin. et probat Lachm.—37 *Defecta* Venet. 1. ap. Barth. *Decepta* Guarn. Leid. 1. Voss. 3. a m. sec. *Decerpta* Voss. 4. '*Columni* vitiose meus 2. in cujus marg. ad *Latias manus* legebatur *al. Romuleas*: sed quæ glossa est: unde tamen quis f. emendare posset, *Romuleas juvere manus Di, secta, &c.* sed minime id opus est.' *Burm.*—38 *L. agros* Guy.

NOTÆ

33 *Dumque aries murum*] Aries machina fuit bellica, qua veteres ad subruendos urbium muros utebantur. De ariete hæc habet Isidor. XVIII. 11. 'Arieti nomen,' inquit, 'species dedit, eo quod cum impetu impingitur in murum, in modum arietum pugnantium. Validæ enim ac nodosæ arboris caput ferro vestitur, eaque suspensa funibus multorum manu ad murum impellitur, deinde retrorsum ducta impetu majore destinatur, sicque crebris ictibus concussum muri latus cedit, cavatumque irrumpitur, ac fenestram facit.'

34 *Vineaque*] Vinea quoque est instrumentum bellicum, seu machina, quam sic describit Veget. IV. 15. 'Vinea e lignis tenuioribus est machina compacta, alta pedibus octo, lata pedibus septem, longa pedibus sexdecim. Hujus tectum munitione duplici tabulatis trabibusque contexitur; latera quoque viminibus sepiuntur, ne saxorum telorumque impetu penetrentur. Extrinsecus autem, ne immisso concremetur incendio, crudis ac recentibus coriis vel centonibus operitur. Complures autem vineæ sic factæ junguntur in ordinem, sub quibus obsidentes tuti ad subruenda penetrant murorum fundamenta.' Hæc porro ultima Vegetii verba recte explicant locum hunc Propertii, 'Vineaque inductum longa tegebat opus;' cum nimirum plures vineæ simul junctæ tegunt obsidentes milites, quo possint ad murorum fundamenta subruenda penetrare.

Claudius Eridanum trajectos arcuit hostes,
Belgica cui vasti palma relata ducis
Virdumari: genus hic Rheno jactabat ab ipso,
Nobilis e tectis fundere gæsa rotis.

eques cruore tinxit. Claudius hostes transmissos a Rheno prohibuit, quando ab ipso *reportatus est clypeus Belgicus Virdomari, ducis ingentis, qui sè originem ab ipso Rheno ducere gloriabatur,* quique *insignis* erat *in vibrandis e sublimi curru*

non male, judice Burm.—39 *C. a Rheno* Dresd. Brix. Venet. ap. Barth. Aldd. Colin. Mureti; sed Broukh. recepit Guyeti emend. *Cl. Eridanum;* quod et Vulp. et Göttingensis editor fecere; cum Passeratius maluisset, *Eridano.*—40 *Belgica cum* habent omn. libb. Broukhusio inspecti. *Bellica* Palat. membr. teste Gebh. *Belligera* cod. Scaligeri, qui inde faciebat *Belligerans v.* Guy. quoque tentabat reponere *Gallica* vel *Celtica cum;* demum vero etiam *Belgica* defendit. *Cui* pro *cum* legit Broukh. cum Casp. Barthio, *Palma* est in Groning. utroque Broukh. Borr. et Dresd. veteri scriptura pro *parma. Parma relicta* Scal. v. c. *Palma* Mentel. Heinsian. Voss. 3. *Belgica cum* retinet Lachm. *Cui* dant B. B. B.—41 '*Vircomani* Dresd. *Uricomanii* Brix. *Vis Romani genus* Guarn. *Romani* etiam Posth. *Virtomani* Scal. aliique ex Heinsianis complures, ut et *Britomani: Virdomati* Voss. *Virdomari* Venet. Aldd. Colin. Mureti, cett. Heinsius subveretur, ne hoc nomen ex glossa in Propertii contextum irrepserit, legitque: *Indomitum g.* Adv. p. 29. *G. hic Brenno* liber Passerat. in ceteris nihil tale.' *Barth.* '*Britomani* Perr. v. c. Vat. 1. 2. *Virtomani* Neap. Ask. *Virdomati* Borr. Heinsian. *Vertomani* Leid. 2. Dorv. 2. *Uncomani* Voss. 1. Dorv. 1. cum meo 2. in cujus marg. *Butomani* pro var. lect. *Virdomari* Leid. 1. Voss. 3. *Viridomarus* Serv. ad Virg. Æ. VI. 856. *Virdomarus* scribend. censet Fabric. ad Orosium IV. 13. *Virdoniarus* corrupte in Inscript. ap. Sponium in Miscell. Erud. Antiq. p. 243. et *Virdomarius* in eadem Inscript. ap. Murator. T. II. p. 870. 3. *Virdumari* in aliis Marmoribus.' *Burm.*—42 '*Mobilis* Guarn. *Erepti* idem cum Vat. *Et rectis* Dresd.

NOTÆ

37 *Dii Latias juvere manus*] 'Latias manus' dicit Cornelii Cossi, qui nimirum Romanus ac Latinus cum Tuscorum rege decertabat.

39 *Claudius Eridanum* [*a Rheno*] Claudium Marcellum consulem designat, qui Viridomarum, Gallorum Insubrium ducem, prælio vicit occiditque, ac tertia opima spolia ex eo relata Jovi Feretrio obtulit; quod quidem nemini Romanorum postea contigit. Non potest autem intelligi, quod hic dicit Poëta, de Rheno illo flumine, qui Germaniam a Gallia disterminat, cum nondum ad Rhenum imperii sui fines Claudii Marcelli temporibus protulissent Romani; cum nec etiam pugna illa, qua cæsus occubuit Viridomarus, pugnata sit ad Rhenum, sed cis Padum ad Clastidium, dum ceteri Gessatæ Galli obsiderent Acerras, ut scribit Plutarch. in Marcello. Non igitur legendum est *a Rheno*, sed potius *Eridano*, ut recte legit Passeratius; vel Propertius hoc in loco intelligendus est de Rheno illo Italiæ fluvio, qui ex Apennino monte ortus per Galliam Togatam fluens, agrumque Bononiensem ipsamque Bononiam irrigans, supra Ferrariam in Padum seu Eridanum influit. De hoc Italiæ Rheno Silius Italicus lib. VIII. 'Parvique Bononia Rheni.'

40 *Belgica*] Pro, Gallica, posuit; vel legendum est *bellica*.

41 *Virdumari*] Viridomarus ille fuit rex seu dux Gallorum, vel potius

Illi virgatis jaculantis ab agmine braccis
Torquis ab incisa decidit unca gula.
Nunc spolia in templo tria condita. Causa Feretri,
Omine quod certo dux ferit ense ducem:
Seu quia victa suis humeris huc arma ferebant,
Hinc Feretri dicta est ara superba Jovis.

jaculis. Ipsi, cui virgatæ erant braccæ, ex agmine spicula vibranti torquis inflexa ex amputato collo decidit. Igitur ista *tria spolia in templo servata, causa seu ratio* sunt nominis istius *Feretrii, quia* nimirum *ratis votis dux ducem gladio feriit; vel quia* duces illi *suis humeris illa spolia victis* detracta Jovi *ferebant; inde dives* illis spoliis *templum Jovis Feretrii nuncupatum est.*

Erectis Venet. Brix. Aldd. cett. unde recte Lips. ac Livin. *e lectis rotis. Cæsa* Guarn. et Brix. *Gessa* Venet.' *Barth. Mobilis* habet vet. cod. ap. Pocchum et Perreium.—43 '*Jurgatis* Guarn. *Jaculatis* Dresd. *Jaculati* lib. Passerat. unde ipse refingit *jaculanti* prob. Heins. *Jaculantis* liber Scal. scriptus, quod Broukh. Vulp. et Gött. ed. placuit. *Ab inguine* Dresd. cum cett. et edd. vulgg. quod Casaub. defendit ad Pers. Sat. v. 4. *Ab agmine* Franc. 1. Borr. Groning. Guarn. *Bracis* Dresd. *Bracchis* Brix. Venet. *Brachis* Aldd. *Braccis* Colin.' *Barth.* '*Jaculatus* Leid. 2. *Jaculatis* Voss. 4. Burm. 1. *Jaculanti ex ag.* Perr. v. c. duo Vatt. Heins. ad Ov. M. vi. 311. legit *I. v. jaculanti ex inguine*, vel pro *Illi* substituit, *Spicula* ad oram ed. Ald. *Velantibus inguina b.* laudat Passerat. *Velantibus* agnoscunt etiam collationes Colotii. '*Jaculanti ex ag.* fecerunt Itali: sed nos verius ita: *Jaculanti ut ab ag.* Nam *ab inguine* nolim scribi cum Italis.' *Lachm. Braccis* dant B. B. B. L. et probat Kuin.—44 *Invisa* Brix. Venet. ap. Barth. *Manu* Posth.—45 *Hæc s.* Voss. 1. Burm. 2. *Feretur* Heinsian. *Tua* pro *tria* Dresd.—46 Heins. corr. *Nominis, ut c.* vel *Nominis, exerto.* Pro *Omine* etiam *Crimine* Voss. 1. Dorv. 1. Pro *certo* est *circo* Dorv. 1. *Ense latus* Scal. *Ante ducem* in antiqq. edd. sed *ense* Perr. v. c. Neap. Colot. Dresd. duo Vatt. Borr. alii. Heinsii correctionem confirmat ejusdem Perr. cod. et Vat. 2. in quibus *Nominis.*—47 '*Quis v.* Leid. 1. *Seu quod* Dresd. *Hæc a.* in omn. f. codd. sed *huc* recte a Broukh. emendatum: vel *huic* cum Heinsio.' *Burm. Huc* tamen improbat Lachm. qui *Hæc* legit.—48 *Sic F.* Heins.

NOTÆ

Gessatarum, qui populi fuerunt Galliæ Togatæ, quæ Æmilia dicta est, quorum olim regio fuit ubi nunc Bononia, Forum Cornelii, Ravenna, &c.

42 *Gæsa*] Vocabulum est Gallicum, significatque hastam, seu grave aliud telum, quod vulgo vocant *une pique, ou une hallebarde, ou pertuisane.*

43 *Virgatis braccis*] A longis braccis dicta est Gallia Braccata.

45 *Causa Feretri*] Feretrius est dictus Jupiter, vel a ferendo, quod ad ipsum ferantur spolia illa opima, vel a feriendo, quod ferire sit occidere. Scaliger vero putat Feretrium dictum a feretro pompæ triumphalis.

ELEGIA XI.

AD PAULUM.

DESINE, Paule, meum lacrymis urgere sepulcrum.
  Panditur ad nullas janua nigra preces.
Cum semel infernas intrarunt funera leges,
  Non exorato stant adamante viæ.

O mi *Paule, cessa fletibus tuis tumulum meum fatigare,* quandoquidem *nullis votis ac querelis aperitur atra porta. Quando semel Tartarea jura subierunt manes, clauduntur exitus adamante, quem nemo potest exorare. Quamvis te precantem re-*

Epigramma Corneliæ Pauli uxoris Guarn. *Epigramma C. ux. P.* Dresd. *Epigramma in Paulum* in exemplari Ms. membranaceo Venantii Lupacchini et Burm. 1. *Ad Paulum* Borr. Burm. 2. Colot. et pleræque edd. vetustæ. *Cornelia maritum alloquitur* in libro Pocchi, Perr. v. c. Vat. 1. 2. *Cornelia ad Paulum maritum* Ber. *Cornelia Paulo* in edd. Mureti et Plantinianis.—2 ' Kopp. Obs. cap. 12. huc transfert vs. *Nempe tuas l.* puto, ut *lacrymæ, lacrymis* jungantur, *preces, precibus:* quæ nimis severa lex esset et iniqua: unde hæc transpositio jam V. D. suspecta fuit in Biblioth. Philol. Gött. T. I. p. 380.' *Barth. Nigra,* alias *dura* vel *dira,* L. Lat.—3 'Ordo hujus et adhærentium distichorum, quem exhibui, est in omn. codd. scriptis et edd. Scaligeriana antiquioribus, quæ pariter ac codd. in tota hac elegia ne vs. quidem loco moverunt. Hæc, de quibus agimus, disticha Scaliger ipse intacta reliquit. Sed Barth. Advers. XLIV. 26. sic constituebat: *Cum s. &c. Nempe t. &c. Te l. &c. Non ex. &c.* Francius autem et Bronkh. ita: *Te l. &c. Nempe t. &c. Cum s. &c. Non ex. &c.' Burm.* 'Ex mente Kopp. sequitur distichon: *Te licet, &c. Panditur, &c.* Inde porro tertium locum occupat distichon, *Cum s.* At *Nempe* manifesto refertur ad vocem ejusdem distichi *licet:* neque ego unquam infeliciorem transpositionem vidi.' *Barth.* 'Burm. in Not. ad Lotich. T. I. p. 305. emendabat *sedes:* quod etiam adstruit Schrader. emend. p. 181. atque ita olim Heinsius, sed postea recte improbavit.' *Sant.* Beckius Commentat. I. de interpretatione scriptt. vett. ad sensum veri et pulchri, &c. p. 47. versus ita ordinandos censet: *Desine, P. &c. Nempe t. &c. Quum s. &c. Non ex. &c. Te l. &c. Panditur ad, &c.*—4 '*Non exoratæ* Palat. Bon. non male; sed ad sensum parum interest. *Non exorando* Frut. corrigebat, citra necessitatem.' *Barth.* ' Pro *viæ* Heins. Not. Prop. conj. *fores* vel *feræ,* quod postea recte damnavit, nam *viæ* non

NOTÆ

1 *Desine, Paule, meum*] Sub nomine et persona Corneliæ, præmaturo fato vivis exeptæ, scripta est hæc epistola ad L. Æmilium Paulum, censorem, maritum; quem monet ut a lacrymis, querelis, et fletibus sibi temperet, utpote nihil profuturis, ipsique filios, quos omnes reliquit superstites, commendat. Hæc porro Cornelia fuit filia Scriboniæ, quæ nupsit Augusto, eique filiam Juliam genuit. Unde constat Juliam, Augusti filiam, et hanc Corneliam ex eadem matre Scribonia fuisse sorores, ut infra declarabitur.

2 *Janua nigra*] Inferorum ostium nullis lacrymis aut votis patet.

4 *Non exorato stant adamante viæ*] Leges Inferorum sunt irrevocabiles; ubi semel extinctus est homo, Inferos-

Te licet orantem fuscæ Deus audiat aulæ,
  Nempe tuas lacrymas littora surda bibent.
Vota movent Superos: ubi portitor æra recepit,
  Obserat umbrosos lurida porta rogos.
Sic mœstæ cecinere tubæ, cum subdita nostrum
  Detraheret lecto fax inimica caput.

giæ nigræ Deus intelligat, ripæ scilicet surdæ fletus tuos et querelas absument. Dii *tantum superi donis, sacrificiis, ac precibus flectuntur,* non inferi: *cum semel vector accepit naulum, janua nigra luridos manes occludit. Id tristes tubæ significarunt, dum tæda infesta supposita corpus meum rogo subducebat. Quid mihi*

---

solicitandum docet epig. Alcæi Anthol. III. p. 408.' *Burm.*—5 '*Me l.* Borr. *Fuscæ* ap. Mirand. et in omn. codd. et edd. antiqq. *Furvæ* conj. Heins. Not. Prop. et ad Ov. M. III. 273. recepissem hanc emendat. si vel unus cod. addixisset, prop. enim dicitur de rebus inferis.' *Idem.* *Furvæ* probat Broukh. et Barth. *Fuscæ* dant Burm. et Lachm.—8 *Herbosos*, quod edidit Broukh. est in Burm. 1. Groning. Mentel. Borr. Neap. C. Com. Palatt. duobus, Venet. 2. Rheg. Volsc. Aldd. Junt. Colin. Gryph. Scalig. Grasseri, Wechel. *Erbosos* Guarn. *Umbrosos* habent Bon. Voss. 1. Burm. 2. Dorv. 1. Perr. v. c. Vat. 1. 2. Vicent. Beroald. Mureti, Rouill. Plantin. Dousa. et Passerat. legitur etiam inter variantes Pocchi et Minturni: emendarunt ita etiam Puccius Dous. P. et Markl. quorum hic præterea legebat: *Obsidet um. l. Parca locos*, vel *Pœna*. *Locos* defendit Schrader. Emend. p. 183. *Chorus* volebat Kopp. et olim Heins. ut primo *goros*, dein *roges* scripserint librarii. Hemst. malebat *domos*. *Obsecrat* Lup. *Umbrosos rogos* probat Kuin. *Herbosos* defendit Lachm. et 'unice veram esse' dicit: dant etiam B. B.—9 Distichon hoc duobus seqq. postponit Kopp. quod improbat Burm. *Sat* pro

NOTÆ

que adiit, ipsum non amplius fata ad superos remeare sinunt, viæque mortuorum animas coërcent claustris adamantinis, h. e. invictis et insuperabilibus, irremeabiles. Finguntur autem Inferorum portæ esse adamantinæ, utpote quarum durities frangi non possit. Virg. Æn. VI. 'Porta adversa, ingens, solidoque adamante columnæ.'

5 *Fuscæ Deus aulæ*] Pluto Inferorum rector, et noctis arbiter.

6 *Littora surda*] Ripæ scilicet fluminum Inferorum, quæ non modo surdescunt, sed etiam omnium rerum oblivionem faciunt, ut Lethe.

7 *Vota movent Superos*] Significat Infernos Deos esse inexorabiles, Deosque tantum superos posse votis ac precibus flecti vel exorari.

Portitor æra recepit] Vector Charon, qui cymba sua fato functorum animas ad Inferorum sedes transmittere fingitur a Poëtis, cui pro vecturæ pretio solvi quoque dicunt naulum; unde et mortuis solebant in ore nummum tradere, ne apud Inferos velut inopes errarent; ut ait Virg. Æn. VI. 'Hæc omnis, quam cernis, inops inhumataque turba est.'

9 *Mœstæ cecinere tubæ*] Funeribus divitum adhiberi consuevisse tubas significat, quemadmodum et funeribus pauperum tibias adhibebantur.

10 *Detraheret lecto fax*] Rogum intelligit, quem ultima fax subjectis ignibus incendebat.

Quid mihi conjugium Pauli, quid currus avorum
  Profuit, aut famæ pignora tanta meæ?
Num minus immites habui Cornelia Parcas?
  En sum, quod digitis quinque levatur onus.
Damnatæ noctes, et vos vada lenta paludes,
  Et quæcumque meos implicat unda pedes,

Pauli connubium, quid majorum triumphi, vel tam magna monumenta meæ existimationis ac nominis profuerunt? An ego *Cornelia minus sævas experta sum Parcas? Ecce* ego *sum pondus* illud, *quod unica manu sustinetur.* O vos *sontes tenebræ, vosque,* o *stagna* Stygia *aquæ inertes ac pigræ, ac qualiscumque aqua quæ plantas*

Sic legit Dous. P. *Sic* vero defendit Barthius XLIV. Adv. 26.—12 *Proficit* Dorv. 1. *Thalami p. t. mei* vel *formæ* vult Heins. *Sanctæ* habent Lup.—13 *Non m.* in omn. codd. etiam Dresd. Bon. Venet. 2. Rheg. Volsc. Beroald. 1500. ab Avantio curata, etiam Pocchus pro *Num* notat *Non*. *Num* tamen Groning. Vicent. Beroald. Aldd. Junt. Colin. Gryph. Mureti, Rouill. Plantin. aliæ. *Habui* edidit Scaliger: quod ejus Excerptis, uno tantum confirmatum est, et receptum a Raphelengio, Passerat. et Broukh. reliqui *habuit*, sed *habui* jam emendaverat quoque Puccius; quod etiam 'sine dubio verum esse' dicit Lachm.—14 *Et s.* Brix. Venet. ap. Barth. Aldd. Gryph. prob. Scal. *Ipsum quæ* Dresd. *En* sine auctoritate est, judice Cantabr. editore. *Et s. legatur* Palat. 1. C. Com. Guarn. unde Gebh. *Cornelia..Ipsum, quod d. q. legetur, onus?* improbante Broukh. '*Et sum* codd. tantum non omn. et edd. pleræque. Solus Groning. isque non sine litura *En*, quod prima in textum recepit Rouill. et recte quoque extat in Plantin. Rapheleng. Passerat. et Bronkh. idem probant Guy. et Frnt. *Ipsum* Colb. Codd. fere omn. *legatur:* quod probat Heins. sed *levatur* Groning. meus 1. et edd. antiqq. omn. Vossianus sextus biblioth. Leidensis n. 81. habet *legetur*, unde lubens legerim *levetur*.' Burm.—15 *D. o noctes* profert Pocchus.—16 Schrader. Emend. p. 183. conj. *ulva*, quam conj. probat Burm. ad Lotich. T. I. p. 363. Vulgatam tamen tuentur loca Virgilii G. IV. 480. et Æ. VI. 439.—17 '*Immutata* unde in

NOTÆ

11 *Quid currus avorum*] Majorum suorum triumphos intelligit: oriunda quippe erat de gente Cornelia, ex qua duo Scipiones Africani cognominati Romam triumphantes ingressi sunt, ut testantur Polybius et Livius.

13 *Num minus*] Ostendit nihil sibi profuisse nobilissimi sui Pauli conjugis ex Æmiliorum gente illustrissima conjugium, nec etiam majorum suorum Scipionum triumphos; nec ideo sese Parcas expertam fuisse minus sævas, fataque minus dura, quam si ex humili loco fuisset nata, viroque obscuro nupsisset.

14 *Digitis quinque*] Significat se in pulverem cineresque esse redactam, adeo ut facile una manu possit sustineri aut gestari; ut II. 9. 'Maximaque in parva sustulit ossa manu.' Ovid. Metam. XII. 'Jam cinis est, et de tam magno restat Achille Nescio quid, parvam quod non bene compleat urnam.'

15 *Damnatæ noctes*] Sermonem convertit ad infernas tenebras paludesque Stygias, sese innoxiam insontemque periisse protestata.

Immatura licet, tamen huc non noxia veni:
  Det pater hic umbræ mollia jura meæ.
Aut siquis posita judex sedet Æacus urna,
  In mea sortita vindicet ossa pila.
Assideat frater, juxta et Minoia sella, et
  Eumenidum intento turba severa foro.

meas coërcet; quamvis præmaturo funere elata ante tempus, nihilominus in hunc locum insons descendi: rex Pluto manibus meis leges imponat benignas. Vel si revera *aliquis Æacus quæsitor sedet apposita urna, contra meum corpus educta sorte pila judicium ferat.* Consiliarii *adsint* ejus *fratres*, et *circa Minois thronum grex*

Rapheleng. 1592. malum pedem intulerit, ignoro, nam prior R. 1587. agnoscit *immatura*. Dousarum igitur non sponte illud editioni obrepsit. *Tamen hic* Borr. Heinsian. sed in ceteris *huc*.' Burm. *Immutata* Græv.—18 *Da p.* Guarn. *Hic* in pr. edd. exaratum est, teste Broukh. *Hinc* volebat Dous. P. atque Barth. *Huic* est in membr. *Deprecor huic* placet Kopp. p. 156. *Det* est in Franc. 1. Groning. Mentel. et edd. omn. *Dat*, sive *Da*, superscripto *Et*, Voss. 3. 4. *Dat* Borr. *Et* Leid. 2. *Huc* Groning. *Huic* Heinsian. Mentel. Exc. Mod. Regg. Borr. et in edd. Scalig. et Broukh. quod et Markl. probat. *Hinc* Pucc. *Hic* probat Burm. quod est in Voss. 1. Burm. 2. Dorvv. Colb. Ask. in edd. omn. quæ ante Scaligerum prodierunt, nec Scaligero obsecuti sunt Raphelengius, Grasserus, Passerat. Gebh.—19 *At si* affert Nestor in Vocab. p. 150. quod volebat Græv. in Ep. ad Heins. T. IV. Syll. p. 224. *Nam si* idem p. 217. *Si quid* Heins. conjecisse videtur ex epistolis Grævii ibid. 224. Distichon hoc postponit sequenti, versibus quoque commixtis inter se, Kopp. Pro *Æacus* idem legit *æquior*.—20 'Non satis scio, si Latine dici possit *judicare in ossa*: sed noster 1. *vedicat* habet, leviter corruptum ex *vindicet*; quod integrum legitur in Groning. et Borr. id Palmerius ac Passeratius jure vulgatæ prætulerunt.' *Broukh.* *Is mea* Heins. *Sortito* Dresd. *Sortitam v. o. pyram* Heins. Advers. p. 30. *Vindicet* Guarn. *Judicet* Broukh. 2. Dresd. et edd. antiqq. Brix. Venet. ap. Barth. Aldd. cett. Kopp. legit; *Me mea sortitus vindicat o. lapis*. *Me* Leid. 1. Dorv. 2. *In meo* Lup. *Sortitus* Leid. 1. *Vindicet* Exc. Mod. Leid, quod probat Burm. *Sortitam pyram* vel *sortita pyra*, emendationem Heinsii, improbat Græv. qui ipse tentat *sortitus v. o piæ*, vel *sortito*. Tentabat etiam Heins. *Is . . . o. pila* quod probant Burm. Lachm. sed nostram lect. dant B. B. B.—21 *Assideat* Heins. cod. *justa* in duobus vel tribus. Inter *justa* et *Minoia* Vat. 1. 2. interserunt *et*, omittuntque in fine hexametri, ubi et deest in Groning. Dorv. 2. Mentel. Regg. Burm. 2. et edd. quæ Scaligerianam præcesserunt. In ultima tamen sede habent *et* Dorv. 1. Heinsian. Voss.

NOTÆ

18 *Pater umbræ*] Pluto, qui dicitur 'pater' quia Deus: Dii nimirum vocantur patres honoris causa.

19 *Æacus urna*] Æacus Jovis filius, judex Inferorum. Vide annotat. ad Eleg. II. 20. 30. Urna porro designat sortitionem, qua judicum nomina, atque etiam suffragia, in urna versabantur. Horat. Od. II. 3. 'Omnes eodem cogimur; omnium Versater urna.'

20 *Sortita pila*] Alludit ad consuetudinem Romanorum, qui sorte causas ordinabant, ac sortitione nomina judicum in pilis seu calculis et tabellis inscripta ducebant.

21 *Assideat frater* [*Assideant fratres*] Æaci sint assessores ac consiliarii ejus

Sisyphe, mole vaces: taceant Ixionis orbes:
Fallax Tantaleo corripiare liquor.
Cerberus et nullas hodie petat improbus umbras,
Sed jaceat tacita lapsa catena sera.

tetricus Eumenidum appareat *foro attento*. O *Sisyphe, careas gravi* tuo *onere*: *quiescant Ixionis rotæ*: tuque, o *fugax aqua, a Tantalo comprehendaris. Sævus etiam Cerberus hodierna die nullos invadat manes, abjiciantur que silentes catenæ.*

Mentel. Perr. v. c. Bòrr. edd. Scaligeri, et quæ post eum prodiere. Ap. Pocc. inseritur *et* inter *intento* et *turba*. Puccius eam in fine longi vs. collocaverat. *Minoida sellam* vet. cod. ap. Minturnum, Colot. Vat. 1. Groning. Burm. 1. quod receperunt Mur. Canter. et probarunt Kopp. Heins. Dorvillius, et Græv. T. IV. Syllog. p. 224. Heins. etiam Advers. p. 414. sui cod. lect. laudat: *juxta et Minoida sella*. *Minoia s.* Mentel. Dorvv. cod. Scal. et reliqui codd. omnesque aliæ edd. Malim, inquit Burm. *Assideat frater juxta, et Minoia s.* Livin. conj. *Assideant fratres j. Minoia s.* quod se non intelligere dicit Burm. Lectionem Livineii, [cf. sup.] probat, atque in textum recepit Lachm. *Assideant fratres, juxta Minoia sella, et* dant B. B. B. 'Ordo hujus et præcedentis distichi non est mutandus.' *Burm.*—22 'Pro *intento* Exc. Mod. *in toto*. *Foco* pro *foro* Ask. Græv. olim tentaverat *intendat f.* p. 224. T. IV. Syll. sed postea rejecit. *In tanto* conj. Passerat. Nescio an *indicto* substituendum sit.' *Burm.*—23 *Cessent* Perr. v. c. Colot. Vat. 1. 2. et vet. cod. ap. Pocc. et Minturnum, quod placebat Heins. et Græv. T. IV. Syllog. p. 224. *Jaceant* Ferrarii lib. ut et tentavit Heins. Not. Prop. p. 60. *Taceant* in reliquis codd. et edd. quod etiam tuetur Heyn. Addend. ad Virg. T. IV. p. 233.—24 'Aur. hic legebat, indicante Dous. *T. corripere ore*: argute potius, quam vere.' *Broukh.* '*Tantaliæ* Voss. 4. *Tantaleæ* Heinsian. *Tantaleus* Exc. Mod. at præplacet Aurati et Heins. conjectura: *Tantaleo corripere ore.*' Burm. 'Assentior' inquit Lachm. 'Aurato et Heinsio corrigentibus: *T. corripere ore.*'—26 *Sed* Kopp. *Lassa* Posth. Italica script. pro *laxa*, quod est in Guarn. Francii libb. et Ed. pr. 'Koppiersii emendationem *Sed* amplector.' *Burm.* *Laxa* conj. Aur. ad oram ed. Rouill. et probabat Broukh. in altera ed. sed *lapsa* in reliquis edd. et firmatur loco

NOTÆ

fratres, Minos scilicet ac Rhadamanthus. Sic Homer. Od. Λ. alios etiam Minoi assidere facit, qui cum ipso mortuorum causas audiant et judicent.

22 *Eumenidum turba*] Turbam dixit de tribus Furiis Inferorum, quæ et Eumenides dicuntur, quas ante fores carceris Orci sedere refert Virg. Æn. VI.

23 *Sisyphe, &c.*] Sisyphi, Ixionis, ac Tantali pœnas uno versu complexus est III. 5. 'Num rota, num scopuli, num sitis inter aquas.' De Sisypho vero, jugiter saxum volutante apud Inferos, vide quæ dicta sunt ad II. 17.

Taceant Ixionis orbes] De supplicio Ixionis, apud Inferos etiam alligati rotæ, vide quæ diximus ad I. 9.

24 *Tantaleo*] Pro Tantalo, quasi diceretur Tantalus et Tantaleus, per epenthesin, ut Adonis et Adoneus, Ulysses et Ulysseus, Achilles et Achilleus, Tyndarus et Tyndareus, &c. De pœna porro Tantali in Inferis vide II. 17.

25 *Cerberus*] De cane etiam Cerbero, Inferorum janitore, dictum est affatim pluribus in locis, mox vero Eleg. 7. superiore.

Ipsa loquar pro me: si fallo, pœna sororum
  Infelix humeros urgeat urna meos.
Sicui fama fuit per avita tropæa decori,
  Afra Numantinos regna loquuntur avos.

collapsa sponte *sera*. Ego *pro me ipsa dico; si mentior, supplicium sororum, infausta amphora scapulas meas opprimat. Si* vero *nominis celebritas alicui unquam propter triumphos majorum avitos gloriæ fuit, Afra regna Numantinos majores*

Petronii cap. 16. *Et* habent B. B. B. L.—27 '*Loquar* Dorv. 2. Dresd. Lop. ita et conj. Heins. Not. Prop. et probat Grævius T. iv. Syll. p. 224. Pucc. etiam suppeditat *loquar*: Pucc. emendaverat: *loquar* et *fallo*. Dorv. 2. *fallar*, reliqui fere omn. et edd. antiqq. *fallor*: sed Vat. 1. Groning. et Ask. *fallo*, quod primum excusum ap. Mur. quem optimus quisque editor deinde secutus.' *Burm.* *Loquor* dant B. B. B. L.—28 *Una* Ask.—29 '*Per a. trophæa d.* Groning. cum Palat. papyr. ap. Gebh. it. ab initio membr. sed mutatum postea: *per a. decora trophæi*, quod et Dresd. exhibet cum edd. Brix. Colin. Ald. 1. nisi quod hæc *decorat troph.* legit. *Proavita tr. d.* Venet. *Proavito phama d.* C. Com. vitiosissime. *Proavis decorata troparis* Barth. *Proavum dec. t.* Kopp.' Barth. Pro *avita* Exc. Scal. pro varia lect. habent *amæna*. Vet. cod. ap. Pocc. et Minturnum legit: *pevita trophea decori*. Pucc. corr. *pavita decora tropheis*. Ed. pr. *decori trophea*. Exc. Mod. *proavita*, quod et servant Beroaldinæ quatuor: quinta 1520. mutavit in *peracita*, quod in plerisque codd. et edd. vett. et posterioribus legitur. *Trophæa decori* Perr. v. c. Groning. Dorv. Ber. Ald. 2. Mureti, Plantinianæ, Douss. Passerat. Broukh. *Decora trophæa* Dorv. 1. Excerpta Scal. et Vicent. *Decora tropæi* Lop. *Decora trophæi* vel *trophei* Burm. codd. et Francii, Borr. Vat. 2. Mentel. Voss. 1. Vossianus Heinsii, Volsc. Scaligeri et Grasseri ed. cum quibus consentit *decora trophei* Venet. 2. et *decorat trophei* Rheg.—30 'Variant et hic libri. *Era* Bon. *Æra* Guarn. Brix. Aldd. Gryph. Henricpetr. *Vera* Ed. Mur. Colin. Lugd. Grass. *Et N.* C. Com. *Atra* Scal. unde ipse *Afra* restituit, verissime. Sunt et qui *sera* habeant. *Versa* Lips.' *Barth.* '*Afra*, vitium perantiquum a magno Scaligero felicissime sublatum. Nam in bonis libb. *Æra* legitur.' *Lachm.* *Afra* confirmatur a marg. cod. Colb. Probat et Græv. Syll. T. iv. p. 221. *Sera* Burm. 1. Francii, Borr. Vat. 2. et ap. Pocchum alia lectio extat *sera*, alia veteris cod. *vera*, ipse legebat *versa*. *Era* Voss. 4. *Etra* Vossianus cod. Heinsii. *Æra* Leidd. Voss. 3. Exc. Mod. Groning. Mentel. Colb. Reg. Ask. Harl. Ven. 2. Rheg. Volsc. Ald. Auratus conj. *Æra N. prisca l. a.* Vet. cod. Puccii habebat *vera*, ipse legebat *versa*, quod Minturnus etiam annotavit. *Vera* quoque in Dorv. 1. Perr. v. c. Reg. Vicent. Beroald. Plantin. Douss. quod non longe dissidet a Lipsii *versa* Antiq. Lect. iv. 4. Idque ipsum *versa* habent Vat. 1. Colot. margo Perr. v. c. et Vat. 2. *Vestra*

NOTÆ

27 *Pœna sororum*] Scilicet Belidum, seu Danaidum, quæ in Inferis finguntur pertusum in dolium aquam infundere. De his etiam supra dictum est affatim.

30 *Afra Numantinos*] Regna Africana, Carthago nimirum et Numidia devictæ testantur Scipiones dictos fuisse Africanos ac Numantinos. Publius enim Scipio, qui a devicta Africa dictus est Africanus, Hannibalem vicit, urbem Carthaginem subegit, Syphacem regem Numidiæ captum duxit in triumphum. Publius etiam Scipio Æmilianus, qui et Africanus Minor dictus est, Carthaginem delevit, Numantiamque Hispaniæ urbem munitissimam excidit; unde et Afri-

Altera maternos exæquat turba Libones;
Et domus est titulis utraque fulta suis.
Mox ubi jam facibus cessit prætexta maritis,
Vinxit et aspersas altera vitta comas;
Jungor, Paule, tuo, sic discessura, cubili.
In lapide huic uni nupta fuisse legar.
Testor majorum cineres tibi, Roma, verendos,
Sub quorum titulis Africa tonsa jacet;

meos paternos celebrant. Alia multitudo pares facit Numantinis *maternos* avos meos *Libones, ambæque* illæ *familiæ suis titulis claræ sunt ac illustres. Statim atque tædis conjugalibus cessit prætexta, aliaque taniæ innexas crines astrinxerunt, conjungor* tibi, *o Paule, tuum ita thalamum relictura. In isto marmore legar nupsisse uni* tantum viro. *Testes appello majorum* meorum *reliquias*, o *Roma, tibi venerandas, sub quorum titulis*, o *Africa, prostrata fractaque jaces.* Testem quo-

Livin. conj. *Et N.* est in Burm. 2. et Voss. 1.—31 *His æquat* vult Kopp. p. 160. *Ligones* Dresd. et Brix. '*Exæquar* Leid. 2. *Exæquet* Exc. Mod. *Hisce æquat* conj. Heins. in ora ed. Ald. quod an necesse sit, dubito. *Libones* legend. esse monuit Beroald. ita et correxit Pucc. et edidit Volsc. omnesque insecuti; legitur in solo Groning. reliqui codd. omnes, *ligones*, etiam Lap. Ed. pr. Venet. 2. Rheg. Vicent. immo ipse Beroald. in editione 1487. adhuc in textu habet *ligunones*, sed in Not. corrigit, quod receperunt in poëtæ verba posteriores Beroaldinæ. Amicus vetus conjiciebat: *exæquant æra Libones.*' Burm.—33 *Nox ubi* Palat. 1:—34 *Vivat et* Dresd. *Exceptas* Guy. *Adstrictas* Heins. *Asperas* Lips. *Pinxit* Borr. *Vivat* Colb. sed in marg. *vinxit*, quod in reliquorum textu est. *Adspersas* emendarunt Puccius et Minturnus, et invenerant in suis libris Pocc. Ferrarius et Lips. Saltem in Perr. v. c. et Vat. 1. et 2. legitur quoque *Junxit et aspersas.* In reliquis codd. et omnibus edd. sola Broukhusii excepta *acceptas* invenitur. Heins. jam in ora Ald. tentabat *Strinxit et exsperaas*, vel *obnuptas*, vel *inassuetas*, vel et, *Vinxit et adstrictas.*—35 Pro *sic* Reg. Dresd. ed. Rheg. Vicent. Volsci habent *cum.* Pucc. pro *sic*, sive *cum*, emendat, *non;* Leid. 1. et Mentel. *descensura.* 'Codex Vallierianus uno verbo *condiscessura.* Suspicor scripsisse Propertium: *non discessura.* Certe illud *sic* longius petitum, et hoc loco argutius dictum.' *Huschk. in Ep. crit. ad Sant.*—36 *In l. huic* Kopp. p. 160. et Wakkerus p. 108. '*Et lapide* Guy. *Ut lapide* Græv. T. IV. Syll. p. 222. et Heins. Pro *hoc* divinabat *huic* Marcilius ad Horat. p. 91. alii. Amicus eruditus: *In lapide o uni!* Kopp. mavult *legor.*' Sant. Verissima lectio est *huic*, dicit Kuin. 'Nimis ineptum *In l. hoc*, nec defendendum ex iis, quæ ad vs. 8. notavimus. Recte corrigunt VV. DD. *In l. huic.* In vs. præcedente nihil muto. Eleganter tamen Huschk. et ante eum Pucc. *Non discessura* tentaverunt.' *Lachm.*—37 *Verendos* Groning. marg. Colb. et ap. L.

NOTÆ

canus et Numantinus dictus est. Hi porro Scipiones fuerant Corneliæ majores paterni.

31 *Libones*] Corneliæ nimirum mater Scribonia dicebatur, quæ ex Libonum familia et gente oriunda erat. Ex Scriboniorum enim gente erant Largi, Curiones, Drusi, Libones.

36 *In lapide*] In titulo nimirum epitaphii mei marmori inscripto.

Qui Persen proavi simulantem pectus Achillis,
Et tumidas proavo fregit Achille domos;
Me neque censuræ legem mollisse, nec ulla
Labe mea nostros erubuisse focos.

que appello *Perseum, animum Achillis atavi mentientem, ac* illum *proavum* meum, *qui sedes tuas, o Achille, patriamque tuam contudit, me nec censuræ enervasse jura, neque Lares meos ob ullum meum crimen affectos fuisse pudore.* Ego *Cornelia tam*

Lat. In reliquis *colendos*, quod a glossatore profectum videtur, censente Burm.—38 Bon. et Guarn. *affrica tunsa.* *Tunsa* quoque Regg. Franc. 1. Palat. 2. Dresd. cum edd. antiqq. *Tonsa* Mentel. Colb. 2. Franc. 2. Groning. Borr. Venet. 2. ap. Barth. (nam Venet. 1. *tunsa* exhibet,) Aldd. cett. *Musa* Palat. 1. *Tanta* lib. Scal. *Tota* Passerat. conj. *Testa* Verburgius. *Jacet* Heinsian. Borr. et Francio placuerat, et edidit Sant. *Tunsa* etiam in cod. Lup. ap. Minturnum, in Ed. pr. aliisque; sed Avant. in ed. 1500. mutavit in *tonsa*. '*Tonsa jacet* ex Heinsian. et Borr. Santenius recepit, nimio fastidio ceterorum omn. scripturam contemnens: *jaces*.' Lachm. *Jaces* dant B. B.—39. 40 '*Stimulantem* Palat. et C. Com. cum ed. Brix. *Simulantem* Groning. unus Reg. unusque Colb. quæ lect. unice vera est. *Proavo sti. p. Achille* Lips. *Proavo stimulatum pectora A.* Heins. Not. Prop. et Advers. p. 31. *Proavo tabulantem p. Achille* Colvius ap. Broukh. jucunde sane; sed quot capita, tot sententiæ.' *Barth.* 'Suspicor poëtam scripsisse: *Te Perseu, p. simul. p. A. Quique tuas proavo fregit Achille domos;* quod a codd. lectione et orationis contextu proxime abesse videtur. *Persen* est quidem in plerisque codd. et edd. sed *Perseu* in Vat. 1. et sic conjecit Beroald. et editum est in quatuor prioribus Beroaldinis. *Stimulantem* in Lup. cod. qui et *Persem* legit, aliisque. *Simulantem*, quod in aliis codd. extat, primus edidit Beroald.; eum secutæ sunt edd. reliquæ, et *simulantem* e tribus codd. defendit Broukh. et Mod. p. 86. et Pucc. *simulantem* emendavit pro lect. Rheg. *stimulantem*. Pro *Achillis* legitur *Achilli* in Heinsian. 2. Vossiano Heinsii, Burm. 2. In brevi vs. omnes codd. habent *proavo*, ita et ed. Vicent. et Beroald. 1520. *Proavos* legitur in Voss. 4. et Dorv. 2. *Proavus* in uno Groning. et in omn. edd. reliquis. *Proavo* legendum necessarium ob *Achille*, sexto casu. Conj. quoque Heins. in Advers. p. 31. *Quique suo tumidas fregit Achille domos*, vel in Ep. ad Græv. *Quique suo fretus fregit Achille domos.*' Sant. 'Astipulor Heynio ad Virg. Æn. VI. 840. emendanti: *Qui Persen proavi simul. pectus Achillis, Et tumidas proavo f. A. domos:* quam emendationem verissimam, et a me in ordinem receptam, postea quoque probavit Sant.' *Kuin.* '*Proavo* Dresd. Totum distichon pro spurio habet Kopp. 'In fine vs. majoris scribe *Achilli* ex Heinsiano et aliis quibusdam, qua forma Propertius alibi quoque utitur. Cetera ut edita sunt, libris plerisque consentientibus, sensu carent. Nihil unquam verisimilius excogitatum iri censeo, quam quod Sant. voluit *Te, Perseu, proavi s. p. Achilli, Quique tuas proavo.*' Lachm. *Et P. proavi* dant B. B. B. sed in vs. minore: *Quique t. proavus* habent B. B. *Proavo* Burm.—41 In Reg. Harl. editione Vicent. et Beroaldi quatuor est *molisse*. In Dorv. 1. *in ollisse*, unde Markl. formabat *violasse*, quod et Heins. ad oram Ald. et Douss. notaverat, sed hoc deleto substituerat *solvisse*. Dresd. *vidisse*.—42 'Ante Scal. nemo edidit *vestros*, licet

NOTÆ

39 *Et Persen*] Persen, seu Perseum, regem Macedonum, devicit Paulus Æmilius, ac de ipso triumphavit. De hoc dictum est ad III. 3. 8.

Simulantem pectus Achillis] Quia nimirum Perseus sese genus ab Achille ducere mentiebatur. Livius autem scribit Perseum fuisse spurium ac nothum.

Non fuit exuviis tantis Cornelia damnum:
Quin et eram magnæ pars imitanda domus.
Nec mea mutata est ætas: sine crimine tota est:
Viximus insignes inter utramque facem.
Mi natura dedit leges a sanguine ductas;
Ne possim melior judicis esse metu.

magnis triumphis non fui detrimento: immo vero potentis familiæ portio fui exemplo æmulanda. Neque vita mea commutata est in deterius, *omnis est* illa *sine labe.* Nos *illustres viximus inter utramque tædam. Mihi natura leges indidit ductas a sanguine, ut timore judicis proba magis esse non possim. Quæris urna severum de*

hoc reperiatur in ejus Exc. cod. Francii et variantibus ap. L. Lat. Ceteri *nostros*, quod in Groning. Leid. 1. Borr. Colb. Regg. Dresd. Itaque in textum reduxi, cum et majores non vocandi casu invocaverit.' *Burm.* *Vestros* habent B. B. L.—43 *N. fuit* edd. vett. *Non tulit* vult Heins. Burm. 2. et Voss. 2. habent: *Confuit eximii stantis C. damni.* *Fuit* in omn. codd. et edd. præter Scal. in quo *erat*, quod ipse cum Broukh. recepit. *Exuvii stantis* Voss. *Tantis* deest in Mentel. *Damni* Voss. 1. Vossianus Heinsii et Dorv. 1. *Dandum* Voss. 4. Dorv. 2. *Damno* conj. Markl. et Dous. P. Francius suspicabatur Propertium scripsisse: *exuviis damnum C. tantis.*—44 E cod. Groning. Broukh. recepit *erat et*; legitur et ita in cod. Lup. reliqui codd. et edd. *et erat*, et hoc vindicavit Markl. illo Virgilii loco Æ. VI. 778. *Quin et eram* cum Heinsio præfert Burm. et ita emendaverat Pucc. et extat in vet. cod. Pocchi et Minturni. *Erit* V. D. excogitavit ap. Kopp. 'Groning. *erat et*, quod Broukhusio concinnius sonat. Ejus aurium judicium Sant. contemnere non debuit. Ceterum et hoc male facit, quod probat, *et eram.*' Lachm. *Erat et* dant B. B. L. *Et erat* Burm.—45 *Est* in fine abesse potest, judice Kopp. nec habetur in Dorv. 1. nec Vicent. nec Beroaldi quat. prioribus. Eld. conj. *totam Viximus.*—46 *Vinximus* Venet. ap. Barth. 'Non vulgaris notæ Burm. conjectura *insontes*, quam exemplari suo ascripserat.' *Sant.*—47 *Dictas* Groning. et Heins. cui assentiebat Græv. Syll. T. IV. p. 222. sed eum refellit Broukh. Gratius Cyneg. 154. *moresque ab origine ducti.*—48 *Nec possit* Bon. *Ne possim* Venet. ap. Barth. Gryph. Lond. cett. *Nec possim* ed. Bon. Ald. 1. quod probat Kopp. *Ne possem* Vulp. et Gött. quod probat Wakkerus Am. Lit. p. 109. *Nec* Franc. 1. et ed. Brix. in reliquis omnibus *Ne*. Broukh. e sua et Francii conjectura *possum* edidit; quod improbat Editor Elect. Eton. qui ex collatione libri Bodlei. profert: *Ne possim*, ut legitur in Leid. 2. Voss. 3. 4. Burm. 1. Vicent. Beroaldd. Aldd. Muret. Plantin. Scalig. Douss. Grasser. Passerat. Wechel. idque probant Heins. et Græv. Syllog. T. IV. p. 224. *Possis* in Burm. 2. Dorv. 2. Vossiano, Heins. Colb. Dresd. Regg. Ask. Venet. 2. Rheg. Brix. Volsc. unde *Nec possis* Guyeto placebat et Puccio. *Ne possem* in Leid. 1. Groning. quod Livin. probabat. *Ne possem* et *possem* Pocchus annotaverat. (Hæc est exscriptio Kuin. ap. quem similes errores sunt permulti.) *Ne possem* probat Lachm. *Ne possim* dat Burm. *Nec possum* Broukh. *Ne*

NOTÆ

46 *Inter utramque facem*] Scilicet inter facem nuptialem et sepulcralem, h. e. toto nostri connubii tempore. In nuptiis enim tædas sicut et in funeribus adhibere solebant veteres. Ut etiam testatur Ovid. Fast. II. 'Conde tuas, Hymenæe, faces, et ab ignibus atris Aufer: habent alias mœsta sepulcra faces.'

48 *Melior judicis metu*] Boni non peccant virtutis amore; mali vero formidine pœnæ sibi temperant a

Quamlibet austeras de me ferat urna tabellas;
  Turpior assessu non erit ulla meo.
Vel tu, quæ tardam movisti fune Cybeben,
  Claudia, turritæ rara ministra Deæ;
Vel cui, commissos cum Vesta reposceret ignes,
  Exhibuit vivos carbasus alba focos.

me proferat suffragium; nulla reperiatur fœmina, quæ sit mea consuetudine ac familiaritate deterior facta. Aut etiam tu, o Claudia, singularis exempli, famula Divæ turrigeræ, quæ morantem Cybelem exiguo reste traxisti; aut illa, *cui candida carbasus ardentes ignes protulit, cum Vesta focos* ipsi *creditos repeteret. Neque*

possem Barth.—49 *Quamlibet* Livin. *Quamlibet a. demum* Guy. *In me* Kopp. *Qualibet* Heinsii v.c. '*Quilibet* Dorv. 1. et Lup. Codd. f. omnes et edd. habent *Qualibet*. *Quamlibet* probarunt Guy. Græv. Syllog. T. IV. p. 227. Editor Elect. Maj. qui in uno *Qualibet* invenerat, Heins. Adv. p. 32. ubi Exc. etiam Italica sic habere monet, et Schrader. Emend. p. 89. cum ex cod. Pocchus notaverit *Quamlibet*; et *Quamlibet* annotaverit Minturnus, et ita in Cod. Colot. et Vat. 2. extet, et sensus ita exigere videatur; *quamlibet* in textum recepi.' *Burm.* '*Quamlibet* Livin. Libri sinceri omnes *qualibet*: nec quicquam interest.' *Lachm.* *Quamlibet* habet Burm. *Qualibet* dant B. B. L.—50 *Turpior* nititur Heinsian. et Heinsii Vossiano, duob. Dorv. Francii, Burm. 2. Groning. aliis, et edd. omnibus. *Assessu* codd. Guyeti ap. Heins. in Not. p. 760. et Palmerii libro ap. Gebhardum. *Tristior assensu* Pucc. conj. quod inter variantes Pocchi quoque invenio, et *Turpior accessu*. Lup. habet *a sensu*, Minturnus *assessu*. Dorv. 2. *ascessu*. Vat. 1. unus Reg. edd. Beroald. et duo Colot. ap. Heins. T. IV. Syllog. p. 232. *accessu*: sed *ascensu* in duob. Leidd. Voss. 3. 4. Groning. Borr. Vat. 2. Ask. *Assensu* in Voss. 1. Burmm. Francc. Dorv. 1. Venet. 2. Rheg. Vicent. Volsc. Ald. Muret. Scalig. et Grasser. *Tristior* Perr. v. c. *At prior* in Exc. Modii. *Illa* Leid. 2. et Voss. 3. *Tristior* vel *Turpior assessu* probabat Lips. Ant. Lect. IV. 1. *Turpior a sensu* Barth. quem refellit Burm. ad Anthol. Lat. T. II. p. 77. *At prior e sexu* conj. Heins. ad oram Ald. *At prior* probat Græv. Syllog. T. IV. p. 227. 229. *e censu* Grævio memoratum, aliquando Heins. sed delevit. Idem *Strictior* vel *Castior e sexu* vel: *Strictior ad census n. e. ulla meos*: quod defendit in Advers. p. 32. vel, *Strictior at sexus non erit ulla mei*, v. ejus Not. Prop. Advers. et Epp. p. 233. Eld. conj. *Quælibet a. de me f. umbra tabellas, Tristior ad sensum non erit ulla meum.* *Turpior ascensu* Palatt. C. Com. Guarn. '*Assessu* haud dubie verum est, etsi liber bonus agnoscat nullus, sed *assensu* plerique.' Lachm.—51 *Crine* vult Wakkerus Am. lit. p. 109.—52 *Gaudia t.* Guarn. *Rara* omn. libb. *Cara* est ex emend. Heinsii, Broukh. Vulpio et Gottingensi editori recepta.—53. 54 *Vel*

NOTÆ

peccatis. Significat autem se Cornelia propter virtutem ipsam coluisse virtutem.

52 *Claudia, turrtiæ ministra Deæ*] Historiam attingit Claudiæ virginis Vestalis, quæ cum in stupri suspicionem venisset, ut innocentiam ac pudicitiam suam comprobaret, navem cum sacris omnibus et simulacro matris Deum, seu Cybeles, quam multa hominum millia vado Tiberis obhærentem trahere non poterant, cingulo suo sola traxit. 'Dea turrita' dicitur Cybele mater Deum, quæ et Bona Dea, et Idæa mater. De Cybele turrigena vide quæ dicta sunt ad III. 17. 35. 'Vertice turrigero juxta Dea magna Cybelle.'

53 *Vel cui, commissos, &c.*] Designat Æmiliam virginem Vestalem, quæ

Nec te, dulce caput, mater Scribonia, læsi.
In me mutatum quid, nisi fata, velis ?
Maternis laudor lacrymis; urbisque querelis;
Defensa et gemitu Cæsaris ossa mea.
Ille sua nata dignam vixisse sororem
Increpat; et lacrymas vidimus ire Deo.

etiam *te*, o mea *parens suavissima Scribonia, unquam offendi. Quid cupias in me mutatum* fuisse *præter fata? Maternis* ego *commendor fletibus, civitatisque* publico *luctu, ac Cæsaris* etiam *lacrymis plorata* est *mors mea. Ipse* etiam *dolet me mortuam esse sororem dignam filia sua, atque* etiam *conspeximus fletus Deo* per genas

cujus Jason quom veste Guarn. *V. cujus cassos* Livin. Harl. *cujus.* sic et Leid. 2. Voss. 1. 3. 4. Dorvv. Pro *commissos* habent *rasos* Burm. 2. Voss. 1. Vossianus Heinsii, Dorv. 1. *Yasos* Dorv. 2. Leid. 2. *Hyasos* Ask. *Lasos* Voss. 4. *Exstinctos* Harl. Voss. 3. *Latet aliquid,* ascripsit Markl. *Cujus castos* conj. Burm. Pro *alba* est *alta* in marg. Burm. 2.—55 In plerisque codd. est *Strabonia*, ut in Dresd. Lup. Ed. pr. Venet. 2. Rheg. Vicent. et Brix. *Scribonia* tamen in duob. Dorv. quod restituerunt Volscus, Beroald. etiam Pucc.—57 *Ut bisque* Morell. vitio operarum. Pro *querelis* ap. L. Lat. *tumultu.*—58 *Defleta* vulgg. Brix. Venet. ap. Barth. cett. *Defensa* habent octo libb. Broukhusii, cum Guarn. et Dresd. it. Ed. pr. '*Deffensa* Vicent. *Defensa* in omn. codd. etiam Venet. 1. 2. Rheg. et Volsc. 2. tamen in Notis 'emenda, *defleta*,' quod habent Beroaldinæ, Aldd. Muretinæ, Plantinianæ, Douss. al. sed recte *defleta* ejecit Scaliger, et cum eo Broukh. *Defusa* Lips.' *Burm.*—59 Lips. Ant. Lect. IV. 1. præfert lectionem cod. Colotiani: *Ille suam natam indignam vixisse sorore Increpat;* sic quoque legitur in Perr. v. c. Vat. 1. 2. cod. Pocchi, Ferrarii libro, inter Puccii variantes lectiones et vet. cod. Minturni. Wakker. in Amœnit. Lit. p. 110. conj. *sorores.* quod etiam exhibet Palat. Heinsius in Notis tentabat: *Ille sua natam dignam vixisse sorores.*—60 *Esse* edd. vulgg.

NOTÆ

cum olim accusaretur, quod ipsius negligentia Vestæ defecisset ignis, cujus nempe custodiam alteri novitiæ Vestali commiserat, ideoque reprehenderetur quasi rem sanctissimam parum diligenter ac caste tractavisset, Vestam Deam precata est, ut opem sibi ferre vellet, vestisque carbasinæ partem in aram frigidam injecit, quæ repente emicante flamma cœpit ardere. Vide Val. Max. I. 1.

55 *Mater Scribonia*] Corneliæ mater, ut jam diximus, fuit Scribonia, quam uxorem duxit Augustus, ex eaque Juliam filiam suscepit. Scribonia illa, auctore Suetonio in Aug. c. 62. jam nupta fuerat duobus viris consularibus, et ex altero fuerat mater. Unde colligitur Corneliam natam fuisse Scriboniæ ex viro illo consulari ex quo fuit mater.

59 *Nata dignam vixisse sororem*] Dicitur Augustus Corneliæ morti illacrymasse, eamque dignam prædicasse quæ filia sua esset. Soror autem Juliæ fuit Cornelia, quia nimirum ambæ ex eadem matre Scribonia natæ sunt, licet ex diverso patre.

60 *Lacrymas ire Deo*] Augusto nimirum, qui vivus et spirans per adulationem Romanis dictus est habitusque Deus.

Et tamen emerui generosos vestis honores;
Nec mea de sterili facta rapina domo.
Tu, Lepide, et tu, Paule, meum post fata levamen,
Condita sunt vestro lumina nostra sinu.
Vidimus et fratrem sellam geminasse curulem;
Consule quo facto, tempore rapta soror.

manare. Nihilominus etiam merui claros honores vestis; neque præda mea fuit de familia infœcunda. Te, o Lepide, teque, o Paule, meum post obitum solatium, (*mihi* namque *in amplexu vestro clausi sunt oculi,*) *fratremque spectavimus duplicasse sellam curulem, cum creatus sit consul eo tempore quo rapta est soror.* O

Ald. Gryph. *Ire* Dresd. cum melioribus libb.—61 'Pro *Et* vult *Sed* Kopp. Ov. tamen Amor. III. 1. 47. *Et tamen* Heins. in Advers. p. 33. conj. *Et tanti emerui generosos testis honoris*, apud quem in Notis occurrunt quoque, qui *ventris* legerint. *Generosa vestis* arridebat Burmanno et Koppiersio. Mihi placet *stirpis*.' Sant. *Stirpis* improbat Kuin.—62 *Toro* tentat Heins. Advers. p. 33.—63 'Ita ex Groning. recte primus recepit Broukh. ita etiam in Colot. reliqui codd. omn. et edd. plur. *Te . . . te*, quod pendeat a sequenti *vidimus*.' Burm.—64 Pro *vestro* in Ask. *nostro*. In Dorv. 1. *limina*, sed *lumina* in Vossiano Heinsii, Dorv. 2. Mentel. Burm. 2. Exc. Scal. Dresd. Colot. Groning. L. Lat. Vicent. Beroaldd. Scalig. posteriore, Douss. Passer. Broukh. *Lumina* agnoscit quoque Ferrarius, et emendat Puccius. *Lumina vestra* in codd. Fulvii et Mureti ap. Lips. Ant. Lect. IV. 1. *Numina* est in Burm. 1. Reg. Venet. 2. Rheg. Volsc. Ald. Muret. Plantin. Scalig. priore, al. *N̄ie* in Ask. Frut. et Heins. conj. *C. s. nostro nomina vestra s.* Scaliger in pr. edit. in Notis conj. quoque *C. s. vestra lumina nostra manu*, quod fugit Heins. ad Ovid. Trist. III. 3. 44. Grævium p. 227. Francium et Markland. idem tentantes. *Numina* Colin. Gryph. Grasseri.—66 'Pro *facto* Ask. *pacto*. Pro *soror* Harl. *fuit*, unde *fui* tentari queat. Koppiers. proposuit: *Consule quo, festo tempore, rapta soror*. Frut. et Heins. ad oram ed. Ald. conj. *ex tempore*. Editor Elect. Eton. censebat *tempore* glossema esse, et pro eo Heins. in Not. ad Prop. *tu mea* vel, *tu modo*. Idem ad oram ed. Ald. et in Ep. ad Græv. p. 229. 233. Syllog. et Broukhus. toti loco medicinam magis violentam adhibebant: *Consule quo fati crimine rapta soror*.' Burm. Barth. ex Heins. exscribit *C. quo, fato tu mea r. s.* 'Immo *fato* debuit dici,' inquit Lachm. 'vel tale quid.'

NOTÆ

61 *Vestis honores*] Vestem matronalem intelligit, quæ fœcundis matronis concedi solebat apud Romanos, de qua vide Dion. Lib. LV. vel significat matronas Romanas efferri consularibus ornamentis consuevisse, quarum filii vel conjuges magistratus curules gessissent. Vel denique censoriam funus intelligit, quo elata est Cornelia, tanquam Pauli censoris uxor.

63 *Tu* [*Te*,] *Lepide, et tu* [*te*] *Paule*] Filios suos Paulum et Lepidum fratres fuisse significat, licet diversi cognominis. L. Pauli ac Lepidi juvenis, qui conjurarunt in Augustum, meminit Sueton. in Aug. c. 19. Vell. Paterc. Lib. II.

65 *Fratrem sellam geminasse curulem*] Significat Cornelia fratrem suum consulem iterum fuisse renuntiatum tempore quo præmatura morte functa est. Sella porro curulis apud Romanos tribus solummodo magistratibus concedebatur, Ædili nimirum, Prætori, Consuli.

Filia, tu specimen censuræ nata paternæ,
Fac teneas unum, nos imitata, virum.
Et serie fulcite genus. Mihi cymba volenti
Solvitur, aucturis non mea fata malis.

filia mea, *quæ nascendo sortita es dignitatem ac splendorem censuræ paternæ, effice,* ut *meum exemplum secuta, unicum* tantum *maritum habeas.* Vos *etiam longo* liberorum *ordine gentem nostram firmate. Mihi non invitæ* Charontis *solvitur*

Ipse tamen reponit *Consul quo factus.* Nostram lect. dant B. B. B.—67 'In optimis quindecim nostris, vel quorum Excerptis utimur, codd. est *specimen* et in Ed. pr. Vicent. post quam immerito exulavit ab editionibus usque ad Scalig. qui illud restituit, et assensores nactus est Raphelengium, Passerat. et Broukhus. idque antea ex codd. restituendum monuerat Lips. Ant. Lect. IV. 1. et ad Tacit. Annal. III. 4. *Specimen* dant quoque Pocc. et Ferrarius, et restituit Pucc. annotavit quoque Minturnus. In quatuor codd. et edd. reliquis est, *speciem.* Lup. *Filia tu specimen censura nota.* Broukhus. ex Lipsii conjectura recepit *nata,* et ante eum Raphelengius, quod firmant cod. Heinsii, ejusdem Vossianus, Mentel. Groning. Francc. Borr. Colb. Dresd. *Nacta* Voss. 3. duo Dorvv. Harl. Heins. in Not. *Filia, da specimen censuræ nupta paternæ,* vel *pacta.* Sed satius in vulgata acquiescere.' *Burm.* '*Speciem nacta* edd. vulgg. Brix. Venet. Aldd. cett. sed lectionem supra expressam [quæ nostra est] exhibent meliores libb. sat magno numero Vat. Palat. membr. Bon.' *Barth.*—68. 69 'Pro *virum* Markl. legebat *torum.* Hoc autem et duo seqq. disticha Scaliger post vs. 96. trajecit, nulla ratione addita: sed Schrader. hanc trajectionem probavit Emend. p. 184. speciosis additis argumentis: et mox 'Recte Scaliger vs. *Filia tu &c.* in finem carminis rejecit: sed hoc amplius ultimi versus ponendi sunt ante versus, *Nunc tibi.*' Sed non video quare. Salebras omnes, si vulgatum codd. ordinem retineamus, evitabimus.' *Burm.* Totum hoc dist. spurium videtur Koppiersio. 'Locus vexatissimus et haud dubie male affectus. Hoc video quo plura hic immutentur, tanto magis a veritate aberrari.' *Lachm.* Trajectionem Scaligeri sequitur Broukh. nulla tamen ratione addita. Pro *Et* Withofio placuit *Vos* in Encæn. Crit. p. 321. *Fulcire* Voss. 1. quod volebat etiam Heins. ad oram Ald. et in Adv. p. 34. *Fulcito* Græv. T. IV. Syllog. p. 227. 229. 233.—70 *Uncturis* Palatt. C. Com. *Uncturis* .. *meis* Brix. et Lond. *In curis* Dresd. *Solvit venturis* est in marg. Heinsiani libri e quodam cod. cum in alio legatur, *Solvitur, haud ullis.* *Meis* etiam conj. Lachm. 'Editionum ultra viginti et Codicis Groningani lectio est: *Solvitur, aucturis tot mea fata malis.* *Auctoris* Dorv. 1. *Unturis* Exc. Scal. *Juncturis* Heinsian. ut ap. Lips. etiam, ubi alii duo *Solvar juncturis,* unus *Solvit* (quod sane exquisitius, quam *solvitur*) *juncturis.* Cod. Lup. Leid. 1. Voss. 1. 3. 4. Burm. 2. Dorv. 2. Vossianus Heinsii, Exc. Mod. Borr. Ed. pr. Venet. 2. Rheg. Volsc. *uncturis,* quod etiam ex cod. profert Minturnus. *Solvit venturis* habent Vat. 1. 2. Perr. v. c. Pocc. Colot. Alius vero Colotianus ap. Lips. et alius Pocchi cod. vet. ap. Minturnum et Puccius habent: *Solvitur haud ullis stant* (i. constant) *mea fata malis:* quæ Lipsio supposita videbatur lectio. Grævius tamen Syllog. T. IV. p. 230. inde exsculpserat: *Solvitur, haud ullis post mea fata malis.* Idem p. 227. conj. *Solvitur aucturis non mea fata malis.* Heins. in Advers. p. 34. tentabat *ursuris,* et in ora Ald. ubi etiam *aucturis.* Editor Elect. Eton. tentabat: *Solvit, lucturis tot*

NOTÆ

67 *Censuræ paternæ*] Significat Paulum conjugem suum fuisse censorem, cujus dignitatem ac leges ut ad amussim observet sua filia, unum ipsi tantum optat maritum.

Hæc est fœminei merces extrema triumphi,
  Laudat ubi emeritum libera fama rogum.
Nunc tibi commendo, communia pignora, natos:
  Hæc cura et cineri spirat inusta meo.
Fungere maternis vicibus, pater: illa meorum
  Omnis erit collo turba ferenda tuo.
Oscula cum dederis tua flentibus, adjice matris.
  Tota domus cœpit nunc onus esse tuum.
Et siquid doliturus eris sine testibus illis,
  Cum venient, siccis oscula falle genis.
Sat tibi sint noctes, quas de me, Paule, fatiges;
  Somniaque in faciem credita sæpe meam.

phaselus, tot malis fata mea adaucturis. Istud est supremum matronalis decoris præmium, cum nulli obnoxius hominum sermo laudibus exornat manes bene meritos, ac præconio dignos. Jam tibi demum, o Paule, *liberos committo* amborum *nostri pignora communia: ista cineribus etiam* meis *cura impressa ac penitus infixa adhuc vivit.* Tu, licet *pater* sis, *exhibe matris officia: tota* illa meorum liberorum *multitudo cervici tuæ erit gestanda. Postquam* ipsis *lugentibus tua* patris *basia tuleris, adde* etiam *matris. Omnis familia jam incepit esse tuum onus. Si vero aliquid dolebis, ne sint illi præsentes et conscii; quando* vero *accedent* ad te, *oscula dissimula abstersis lacrymis. Sufficiant tibi noctes, o Paule, quas mea causa male habeas, visaque nocturna ita similitudinem meam imitantia ut iis fides habeatur: et*

---

mea fata meis, non infeliciter. Legi quoque fortassis posset: *Solvit, vecturis tot mea fata vadis.* Pro *fata* in Heinsian. et Borr. est *facta.* Pro *malis* Palmerius *bonis* legerat.' *Sant.* 'Conjeceram aliquando *Solvit, adaucturis non &c.* Sed jam in Grævii emendatione, *Solvitur, aucturis non mea fata malis*, acquiesco, quæ facillimum et commodissimum sensum præbet, et a codicum lectione minus recedit.' *Kuin. Tot mea* habent B. B. B. L.—72 Pro *rogum* volunt *torum* Schrader. Emend. p. 184. et Kopp.—76 *Erat* ed. Mur. —77 '*Matrem* Burm. 1. duo Broukh. et ed. Vicent. mr. et *mater* est in codd. pluribus, ut Lup. Dresd. al. *Abice mater* Ed. pr. *Mater* Ven. 2. Rheg. Brix. Volsc. sed elegantior est lectio *matris*, quam Beroaldus in textum recepit, quem reliqui editores secuti sunt; quod mihi quoque faciendum putavi, præsertim cod. Groningano clare *matris* exhibente.' *Burm.*—79. 80 'Pro *Et* volebat *Sed* Burm. *Quid* . . . *eris* ab omn. edd. sed a nullo cod. nisi a Groning. (forte ab Excerptis etiam codd. qui cum edd. consentiebant) confirmatur, reliqui: *quis erit.* Dresd. *eras.* Mox pro *falle* in Voss. 3. *fige*, quod favet Koppiersio, ita ex ingenio refingenti. Burm. conj. *finge.* Sed *falle* bene se habet.' *Id.* —81. 82 '*Sint* in Exc. Mod. Groning. et Vat. 2. quod primus edidit Scaliger, dein Rapheleng. Dousa, Passerat. et Broukh. reliqui codd. et edd. *sunt.* Pucc. emendaverat *sint*, et habet Pocc. *Fatigas* est in Dorv. 1. Burm. 2. et in Vossiano Heinsii. Mox pro *credita* Voss. 3. et 4. præbent *tradita*, quod erat quoque in C. Com. [Guarn.] et juvat optimam Grævii conjectu-

NOTÆ

71 *Merces extrema triumphi*] Post mortem celebritas famæ, ac laudatio in funere, mulieribus est triumphi loco.

82 *Somniaque in faciem meam*] De somniis vivorum formas et figuras imi-

Atque ubi secreto nostra ad simulacra loqueris,
  Ut responsuræ singula verba jace.
Seu tamen adversum mutarit janua lectum,
  Sederit et nostro cauta noverca toro;
Conjugium, pueri, laudate et ferte paternum.
  Capta dabit vestris moribus illa manus.
Nec matrem laudate nimis: collata priori
  Vertet in offensas libera verba suas.
Seu memor ille mea contentus manserit umbra,
  Et tanti cineres duxerit esse meos;
Discite venturam jam nunc lenire senectam;
  Cœlibis ad curas nec vacet ulla via.

quando clanculum ad meam imaginem et umbram verba facies, loquere quasi mihi *ad singula responsum datura. Sive autem limen torum adversum mutaverit, meoque in lecto collocata fuerit noverca privignis insidiosa; o filii, connubium patris comprobate, ac* novercam *patienter tolerate; vestra comitate et obsequio diliniti vincetur. Neque* me *genitricem* vestram *nimium prædicate;* noverca namque *comparata cum priore* uxore Pauli *accipiet libera* vestra *dicta quasi injuriam sibi illatam. Sive ipse* post obitum mei *non oblitus contentus remanserit umbra mea, et tanti meos manes æstimaverit; ediscite jam ex hoc tempore sufferre futuram* patris *senectutem, neque ulla semita vacet ad* illius *cœlibis curas. Quod mihi est ereptum,*

---

ram, *reddita* Syllog. p. 222. 224. T. IV.' *Id.* *Sæpe reducta tuam* emend. Kopp. p. 169. sqq.—83. 84 *Loquaris* Voss. 4. Deinde *tace* in plerisque codd. et edd. ad Beroaldi usque tempora, qui *jace* recipiendo posterioribus editoribus præivit, idque firmatur Groning.—86 '*Pacta* vel *ducta* n. malebat Doct. Anglus, repulsus a Dorvillio Misc. Obss. Vol. II. p. 116. ipse *casta* etiam tentabat, sed *cauta* recte defenditur.' *Barth.* Heins. ad Ald. et Franc. proposuerunt *torva.*—88 In Colb. *nostris,* Leid. 1. *nostri.*—90 *Pertet* Reg. Venet. 2. Rheg. Volsc. quod Heins. in Not. monet factum esse ex *vertet.*—91 Pro *umbra* Kopp. *urna.*—92 *Dixerit* nonnulli, ut Dresd. sed plerique *duxerit.*—93 '*Sentire* omnes script. et editi. Amicus Editoris Elector Eton. excogitavit *lenire*, quod Kopp. et Schrader. Emend. p. 183. probant. Heins. in Not. Prop. et ad oram Ald. *sarcire* vel *sancire*, ut IV. 9. 73. vel *fulcire*, vel *sepire*; neque his deterius puto, quod Wassenbergio in mentem venit: *venturæ jam nunc servire senectæ.*'

NOTÆ

tantibus vide fabulam Ceycis apud Ovid. Metam. XI.

83 *Nostra ad simulacra*] Cum vel imaginem meam alloqueris, vel ad umbram meam verba facies.

85 *Adversum mutarit janua lectum*] Lectum novercalem vocat 'adversum,' quia nimirum fere semper noverca, quæ priori superinducitur uxori, infesta, adversa, et inimica est privignis. 'Adversus' etiam lectus a situ et positione dicitur ille, qui 'genialis' in nuptiis vocabatur, et in aula, seu atrio, e regione januæ collocatus sternebatur.

92 *Tanti cineres duxerit meos*] Tanti me defunctam æstimarit ut cœlebs vivere statuat.

93 *Venturam lenire* [*sentire*] *senectam*] Ex hoc etiam tempore assuea-

Quod mihi detractum est, vestros accedat ad annos.
  Prole mea Paulum sic juvet esse senem.
Et bene habet: nunquam mater lugubria sumsi:
  Venit in exequias tota caterva meas.
Causa perorata est! flentes me, surgite, testes,
  Dum pretium vitæ grata rependit humus!

ad vestros annos adjungatur; ita sobolis meæ gratia Paulum delectat senescere. Et quidem bene est, ego *nusquam vestes funebres mater indui; omnis turba* meorum *funus meum prosecuta est. Causa peracta est.* Vos *qui mortem meam lugetis, testes assurgite, dum mei memor patria honorem* integræ *vitæ* mihi *defert. Cœlum etiam*

Burm. *Sentire* dant B. B. B. L. sed tamen Lachm. inquit: 'Puto recte facere, qui corrigunt *lenire*.'—94 '*Ne* pro *nec* Heins. probante Græv. Syllog. T. IV. p. 227. Forte scripserit: *Cælibis a cura ne vacet ulla dies.* nam *valet ulla vias* Neap. tam Vossii, quam Heinsii manu.' *Burm.*—95. 96 *Est* omittitur in Voss. 3. et Exc. Mod. agnoscitur a Groning. aliisque. *Juvet* habent codd. omn. etiam Lup. Dresd. Ed. pr. Vicent. et Ber. et Broukh. quod probant Græv. T. IV. Syllog. p. 222. et Markland. reliquæ *juvat*. Heins. ad Ald. *Di! juvet*. *Prole meæ* pro proli, Guy. ap. Heins. in Not. *Si juvet* ap. Pocc.—97 '*Et* in edd. omn. et Dorvv. *En* Colot. Vat. 1. L. Lut. quod etiam Passerat. profert; et ita legere Pocc. jubet, nec aliter Minturnus ascripserat. *Si* Lup. Leid. 1. Voss. 4. Burm. 1. Exc. Mod. Groning. Borr. *Sed* Exc. Scal. quod placuit Marklando, Burm. ad Lotich. p. 294. et Schradero p. 184. *At* Koppiersio, omnibus ordinem diversum a nostro secutis. Equidem prætuli '*Et*. Deinde codd. nescio an omnes et edd. quæ Volscum et Beroald. antecesserunt, habent *lubrica* vel *lubricia*, vel *lubrigia sumptum*, sic Ed. pr. Volscus recte edidit *lugubria sumsi*, ut Beroald. et sic reliq. edd. Groning. hic quoque veram lectionem exhibet. *Bene* in Leid. 1. et Borr. repetitur post *habet*: etiam *nunquam* bis legitur in nonnullis codd. et edd. A Burm. 1. et Heinsii *nunquam mater* absunt. In Voss. 1. et Groning. *unquam*. A Scal. Exc. abest *mater*.' Burm. *Si* Vat. C. Com. Guarn. *Sumtum* Guarn. Dresd.—99. 100. Pro *Dum* in Borr. *Cum*. Lup. *rependat*, sed *rependet* Burm. 1. Borr. Pro *me* Heins. ad Ald. scribebat, *jam*. Pro *vitæ* Heinsius, forte *vittæ*.

NOTÆ

cite patris obsequio, quem querulum, morosum, ac difficilem efficiet senectus.

94 *Cælibis ad curas*] Nulla via vacet, nulla ratio, nullum officium, nullus officii modus a vobis prætereatur curandi ac fovendi patris vestri cælibis ac senis.

97 *Nunquam lugubria sumsi*] Ex quo tempore, inquit, mater fui, nunquam vestes lugubres indui, nullumque meorum funus vidi, sed omnes reliqui superstites. Ovid. Metam. XI. 'Surge, age, da lacrymas, lugubriaque indue, nec me Indeploratum sub inania Tartara mitte.'

98 *Venit in exequias tota caterva*] Omnes mei superstites funus meum prosecuti sunt, exequiasque meas celebrarunt.

100 *Dum pretium vitæ, &c.*] Humus hic sumitur pro patria, et civibus, vel honore sepulturæ; quasi post obitum fama, lausque hominum, vel exequiarum pompa, sepulcrorumque decoratio sit defunctis merces et pretium vitæ recte et innocenter exactæ.

Moribus et cœlum patuit: sim digna merendo,
Cujus honoratis ossa vehantur avis.

rectis *moribus est apertum:* ego meis *meritis fiam digna, cujus cineres equis decoratis efferantur.*

Editor Elect. Eton. legebat: *Tum pretium vitæ grata rependat humus.*—101 Totum distichon hoc spurium judicat Kopp. *Potuit sint* Dorv. 1. *Sis* Borr. *Sum* Fruterius allevit.—102 ' Potior pars librorum, monente Broukh. *aquis* habet; ita nimirum præter Broukhusianos etiam Bon. Guarn. Dresd. edd. Brix. Venet. Aldd. Petrin. Gryph. Grasseri, Lond. cett. et partim *vehuntur*, partim *vehantur*. Broukhusius e familiari cum Heinsio colloquio emendat: *ossa vehantur avis.* Vulpius cum Gotting. editore tuetur *equis* aliorum librorum. Eandem lectionem defendit quoque e libro suo Scaliger. Heinsius varie locum tentat: *C. h. tensa vehatur equis:* vel *ossa fruantur avis:* addit etiam Grævium legere: *ora vehantur. Propertii Aurelii Nautæ liber explicit* Cod. Guarn. Posth. vero in fine ascriptum habet Epig. 189. Martialis lib. XIV. *Cynthia, facundi carmen juvenile Properti, Accepit famam nec minus ipsa dedit.*' Barth. ' *Vehantur equis* Voss. 1. Burm. 2. Dorv. 1. Exc. Scal. Vossianus Heinsii, Exc. Mod. Groning. Perr. v. c. Colot. Vat. 1. vet. cod. in Pocchi exemplari, Lup. Ferrarius, Minturnus, Vicent. Volsc. Scalig. al. Scaliger, *equis* probat. Markl. *Cuja coronatis ossa vehantur equis:* male: sed pro *equis* legitur *aquis* in Leidd. Voss. 3. 4. Borr. Burm. 1. Dorv. 2. Francc. marg. Colb. Regg. Ask. Harl. Venet. 2. Rheg. Beroaldd. Colinæanis, Muretinis, Plantinianis, et hanc lectionem probat Lips. ad Tacit. Livin. et Turneb. Advers. XXIII. 7. Plerique moti loco nostri el. VII. 55. sqq. hanc lectionem priori anteposuerunt, et ob illum ipsum locum reposui: *Cujus honoratis ossa vehantur aquis.* Francius: *umbra vehatur aquis.* Nihilo tamen minus præfero elegantissimam emendationem Heinsii *avis.* Huic conjecturæ vel maxime favet Albinovani imitatio vs. 330. Forte ipse Heinsius in ep. Ms. ad Græv. et ad Raphelengian. *fleantur avis*, et Burm. *petantur*, possis etiam *terantur avis.* Amicus eruditus volebat: *Moribus Elysium patuit. Sum digna merendo, Cujus honoratis ora fruantur avis.*' Sant. ' Lectionem *honoratis* vel *coronatis equis* admitti non posse, in promtu est. Neque vero etiam altera lectio, *honoratis aquis*, commendabilis est. Itaque cum Broukhusio præclaram Heinsii emendationem: *Cujus honoratis ossa vehantur avis* in ordinem recepi, cum ea non longe recedat ab antiqua scriptura.' *Kuin.* ' Equidem nullus dubito, quin Broukh. verissime correxerit *avis.*' Lachm. Ceterum videat Lector quid Sant. in Præfatione dicat de hac ultima Elegia, a se ipso edita post mortem Burmanni. Observet quinetiam Lector Annotationes, quas nomine Burmanni in ultimo Nostri libro insignitas curavimus, majorem in partem ex Kuinoeliano earum compendio esse derivatas.

NOTÆ

101 *Moribus cœlum patuit*] Bonis et rectis moribus ad cœlum via est aperta; qui namque caste et integre vixerunt, hi in Deorum numerum relati sunt. Cic. Tusc. I. 'Totum cœlum,' inquit, 'humano genere completum est; virtus, honor, fides, pudicitia consecrata sunt.'

102 *Honoratis ossa vehantur avis* [*equis*] 'Honoratos' vocat equos magno ornatu funebri decoratos, quibus efferri quasi pompa triumphali consueverunt magnatum, seu procerum, ac principum funera. Nonnulli vero legunt, *honoratis aquis*, illasque volunt aquas intelligi, per quas Charon honestarum matronarum fato functarum manes vehit in Elysium.

NOTÆ VARIORUM

IN

SEX. AUR. PROPERTII OPERA.

EX EDITIONE J. G. GRÆVII,

TRAJECTI AD RHEN. 8vo. 1680.

NOTÆ VARIORUM

IN

SEX. AUR. PROPERTII OPERA.

LIBER I.

ELEGIA I.

1 *Cynthia*] Eadem fictione a Cyntho Cynthia Properti dicta, quæ a Delo Delia Tibulli; eadem scilicet nomine cum sorore Phœbi, moribus tamen dissimillimis. Sidonius Apollinaris ad Hesperium: ' Reminiscere quod sæpe versum Corinna cum Nasone complevit, Lesbia cum Catullo, Cesennia cum Getulico, Argentaria cum Lucano, Cynthia cum Propertio, Delia cum Tibullo.' Apuleius Apol. priore: ' Eadem igitur opera accusent C. Catullum, quod Lesbiam pro Clodia nominarit; et Ticidam similiter, quod, quæ Metella erat, Perillam scripserit; et Propertium, quod Cynthiam dicat, Hostiam dissimulet; et Tibullum, quod ei sit Flavia in animo, Delia in versu.' *Passerat.*

Cynthia prima] In plerisque Val. Martialis manuscriptis exemplaribus in Apophoretis inscribitur liber iste, *Propertii Monobiblos:* ut appareat antiquissimam esse inscriptionem illam. Libri quoque scripti eundem titulum præferunt. Et sane verum est Monobibli appellationem antiquam esse: sed toti operi Propertiano eam unam fuisse, id vero falsum est. Propertius adhuc in amoris tirocinio primum librum emisit, quem Monobiblon appellavit, quia singularis tantum liber esset, et non plures, ut Galli, et Varronis Atacini. Sic Jurisconsultorum singulares libros appellarunt Pandectarum consarcinatores, ut Ulpiani de Sponsalibus, de Officio præfecti urbi, &c. Pauli de Pœnis Paganorum, de Pœnis militum. Hunc enim primum se tantum edidisse ipsemet testatur libro secundo, quum scribit: ' Tu loqueris, quum sis jam noto fabula libro, Et tua sit toto Cynthia lecta foro?' Satis ostendit singularem illum primum et scripsisse se et emisisse. Quin et illa satis probant: ' Vix unum potes infelix requiescere mensem, Et turpis de te jam liber alter erit.' Hinc inter primi editionem et alterius scriptionem mensem interesse cognoscimus. Satis etiam illo idem probamus: ' Quæritis unde mihi toties scribantur amores.' Jam enim et

scripserat et ediderat. Sic Horatius libris tribus Carminum longo post tempore quartum addidit. Sic Martialis singulos suos edidit. At Martialis, inquies, libro primo Monobiblo titulum non fecit. Quid tum postea? Ita placuit Criticis vocare, ut hic primus Monobiblos esset, quia seorsim editus; et postea ut nomen non amitteret, tametsi tunc solus non esset, quia alii additi. Quid quæris præterea? Ita, ut dixi; Martialis etiam vetustissima quædam exemplaria in Apophoretis hunc titulum Monobibli præferunt in lemmate distichi: 'Cynthia facundi carmen juvenile Properti.' Habent enim MONOBIBLOS PROPERTIANA. Itaque dissimilis plane sui est Propertius in secundo et sequentibus. Nam in primo plane ἐλληνίζει. In uno manuscripto, cujus copiam nobis fecit clarissimus Jac. Cujacius, Titulus idem conceptus est: item et in antiquis editionibus, hoc uno excepto quod Nautæ alterum cognomen illi attribuunt. Ita enim scribitur: *Sex. Aureli Properti Nautæ monobiblos ad Cynthiam.* Sed satis certum est nomen Nautæ illi attributum ex vitiosa scriptura ... 'Quamvis navita dives eras:' nam legitur nunc emendatum, *non ita dives eras.* Quis igitur sit et quare monobiblos liber, et unde Nautæ nomen natum sit, ostendimus. Nescio vero an omnia hujus Poëtæ extent opera. Versiculum hunc ex Propertio producit Fulgentius: 'Divitias mentis conficit omnis amor:' qui certe non extat in iis, quæ hodie ad manus nostras pervenerunt. Quare aliquid desideretur necesse est. Quod quidem verisimile est. Nam avorum nostrorum memoria post multa sæcula tandem in cella vinaria inventus fuit: ex quo exemplaria omnia illa, quotquot hodie in Italia habentur, descripta sunt: quo fit, ut vetustum ejus Poëtæ nullum exemplar inveniatur. Qui autem illud descripsit primus, næ ille audax aut negligens homo fuit, quisquis ille fuit: nam, præter innumera menda, quibus totum librum præstantissimi poëtæ aspersit, magni sceleris se obligavit, quum in secundo et tertio libro integras paginas et magnum numerum versuum suo loco luxaverit, et infinitis locis magnas tenebras offuderit: adeo, ut neminem esse putem (libere enim quod sentio fatebor) qui hunc Poëtam in secundo libro nisi per caliginem, quod dicitur, intelligat. Nos primi eam perturbationem versuum odorati sumus: et bene nobis successit labor iste. Parem enim diligentiam in eo restituendo, ac in Tibullo, posuimus. Miraberis, candide lector, neminem unquam extitisse, qui id ante nos viderit, quum tamen multi ejus Poëtæ studiosi hodieque sint. Sed, quod supra tetigimus, plures sunt, qui eum Poëtam ament, quam qui intelligant. Atqui rei publicæ literariæ intererat eum Poëtam et integrum et emendatum legi. Ne tamen quæso putes nos operam nostram venditare. Nihil enim præstitimus, præ ut erunt ea, quæ a doctissimis viris expectamus, qui exemplo nostro excitati, tametsi in his lucubratiunculis nostris longe dissimilem studio eventum comperient, tamen conatum non improbabunt. *Scal.*

Ocellis] 'Oculi sunt,' ut ait Palæmon, 'flores animæ.' Ἐκ τοῦ εἰσορᾷν γὰρ γίγνεται ἀνθρώποις ἐρᾷν, 'Ex oculis enim et adspectu nascitur hominibus amor,' ut proverbialis est Græcorum senarius. Ipse El. 19. inf. et II. 15. 'duces in amore' eos vocat. Celebratur et hic versiculus perelegans: Γυναικὸς ὄμμα τοῖς ἀκμάζουσιν βέλος, i. 'Mulieris oculus spiculum juvenibus est.' Virgil. Ecl. VIII. 'Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error!'

3 *Constantis fastus*] Arrogantiæ diuturnæ ac pertinacis: est hic constan-

tia vitii, non laudis. In oculis fastum locat, quia, ut scribit Plinius XI. 37. 'In superciliis superbiæ sedes.' Contra Aristoteles II. Rhetor. ex Euripid. Αἰδὼς ἐν ὀφθαλμοῖς. *Passerat.*

5 *Donec me docuit*] Translatio ab Orbiliis et plagosis magistris. Coquus qui vapularat in Plauti Aulularia, 'Hoc,' inquit, 'ipsus magister me docuit.' *Idem.*

Castas odisse puellas] Castas puellas odisse docuit Amor, hoc est, quidquid in vita Minervæ aut Musarum studiis erat dedendum, alio convertere, nimirum furioso unius Cynthiæ cultui. Nam in ea omnium se Divarum dona invenire scribit, El. 2. 'Quum tibi præsertim Phœbus sua carmina donet, Aoniamque libens Calliopæa lyram, Unica nec desit jucundis Gratia verbis, Omnia quæque Venus quæque Minerva probat.' Muneræ ergo omnium Dearum, Gratiarum, Minervæ, Veneris in nova Pandora se habere autumans, ait castas puellas edoctum odisse ab Amore, quem sequi tamen nullo sese consilio. *Barth.*

9 *Milanion*] Admirabilis est hominum in fovendis erroribus pertinacia: sed præclare ageretur cum rebus humanis, si ad hæc modo nostra leviora studia id pertineret, neque in rebus maximi momenti magno omnium malo quotidie cerneretur. Hoc mihi nunc ex eo venit in mentem, quod sæpe animadverti evenire, ut optimos quosque scriptores maculæ quædam errorum occupent, in eisque insideant; quæ, cum postea inveterarunt, quasi dedita opera retinentur a librariis: vix ut ulla sit cujusquam eruditi hominis auctoritas tanta, quæ illos ad eas purgandas et eluendas possit adducere. Ejus rei exempla utinam ne tam multa suppeterent: sed nos, id, quod se nunc offert, indicasse contenti, plura persequi abstinebimus. *Mimalionem* h. l. imperitus aliquis pro *Milanione*, et paulo inf. *Psileum* pro *Hylæo* scripserat. Quis tum eruditorum non admonuit, quomodo utrumque nomen scribi oporteret? aut quis hodie est omnium, tinctus modo atque imbutus literis, cui vel obscurum id, vel ambiguum sit? Cedo tamen librum Propertii unum, in quo non depravata illa scriptura permanserit. Nihil negocii fuerit, ejusd. generis alia enumerare perplurima, ita manifesta, ita perspicua, ita testata, ut, quod in eis assidue librarii peccant, non negligentia, non inscitia labi, sed prudentes, scientes, ea, quæ vitiosa esse constat, amplexari atque approbare videantur. Sed, quod attinet ad fabulam, quæ his versibus a Propertio tangitur, sciendum est, in ea tradenda non satis concordare ac concinere inter se aut poëtas aut poëtarum interpretes. Quod enim alias sæpe, id. hic quoque contigit: ut, cum duæ potissimum ab ipsis celebrentur Atalantæ, earum historiæ commisceantur inter se, utque, quod de una earum ab aliis dicitur, id ipsum de altera alii dicant. Congeram huc locos aliquot, in quibus earum mentio est, eosque inter se contendam ac comparabo: ut id, quod dico, magis intelligatur. Duæ igitur, ut ante dixi, Atalantæ ap. poëtas reperiuntur; Arcadica una: Argiva, s. ut alii aiunt, Bœotica altera. Illam Jasii, aut Jasonis, aut Jasionis; hanc Schœnei filiam fuisse ferunt: nam Beroaldus quidem et Volscus ineptiunt, qui eand. Schœnei filiam Jasii neptem fuisse comminiscuntur. Illam Milanioni, hanc Hippomeni nupsisse accepimus. Hæc, antequam longius progrediar, confirmanda sunt. Scholiast. Apollonii: Ἀταλάντη Ἰάσονος θυγάτηρ, ἣν ἔγημε Μειλανίων. ἑτέρα γάρ ἐστιν ἡ Ἀργεία ἡ Σχοινέως, ἣν ἔγημεν Ἱππομέδων. Sed hic aut legend. est Ἱππομένης, aut dicend. eund. ab aliis Hippomenem, ab aliis Hippomedontem vocari. Arcadicam Milanioni nupsisse, testatur etiam h. l. Propertius, et Ov. II. et III. A. A. Schœneida cessisse Hippomeni, qui

eam cursu, ope Veneris, devicerat, venustissime narrat Venus ipsa ap. Ov. x. M. Narrat et breviter Theocritus in Comaste, et fusissime is qui Scholia in eum scripsit. Atque hanc intellexit Catullus illis versibus: 'Tam gratum mihi, quam ferunt puellæ Pernici aureolum fuisse malum, Quod zonam solvit diu ligatam:' et Auctor lascivi Carminis: 'Qualibus Hippomenes rapuit Schœneida pomis.' Arcadicæ patrem Jasiona nominat Ælian. XIII. V. H. Idoneos testes laudasse videor eorum, quæ hactenus dixi. Quadrant autem non male ad hunc usque l. omnia. In iis quæ sequuntur mira varietas. Versus est Virgilii e sext. Æn. 'Parthenopæus et Adrasti pallentis imago.' Quem exponens Servius, 'Parthenopæus,' inquit, 'Menalippæ et Martis, sive Milanionis filius, qui Thebana bella puer admodum petiit.' Ergo, de huj. grammatici sententia, Parthenopæi pater quidem est Milanion: mater autem non Atalanta, sed Menalippa. At Stat. IV. Th. aperte huj. ipsius Parthenopæi matrem Atalantam facit Jasii filiam: patrem autem Lactantius interpres, non Milanionem, ut Servius, sed Meleagrum vocat: nisi f. dicamus, eand. Menalippam et Atalantam, eund. Meleagrum et Milanionem vocari. Sic enim est idem Paris et Alexander, ead. Cassandra et Alexandra. At Diod. Parthenopæi matrem Atalantam esse ait Schœnei filiam. Hygin. autem, cum Lactantio faciens, eum genitum esse dicit matre Atalanta Jasii filia, patre Meleagro. Arcadicam Statius venatricem ac Dianæ comitem fuisse dicit, idemque confirmat Ælianus: et Scholiastes Theocriti ait eam mittendis arcu sagittis præstitisse: cum illam alteram sola pedum pernicitas nobilitaverit. At Oppian. Atalantam, Schœnei filiam, venatricem et jaculatricem eximiam fuisse ostendit II. Κυνηγετικῶν, his versibus: Σχοινῆος πρώτη δὲ κλυτὴ θυγάτηρ Ἀταλάντη Θηρσὶ φόνον τεύξασα συμβόλος ἔδρατο κούρη. Hippomenem in leonem, Atalantam Schœnei filiam in leænam mutatam esse, canit Ovidius. Hyginus, parum ipse sibi constans, Atalantæ Schœnei filiæ et Meleagro, Palæphatus Atalantæ et Milanioni id contigisse narrat: sed sæpe alias monui, non esse quærendam in mendaciis veritatem. Sic, cum Scyllas duas fuisse proditum sit, alteram Nisi, alteram Phorci filiam, quarum illam in avem, hanc in monstrum marinum conversam esse fabulantur; non defuerunt tamen poëtæ, qui, quod de Phorci filia traditur, id ad Nisi filiam referrent: ut aperte colligitur e Scholiaste Eurip. in Hippol. sed multo apertius e Virgilio in Ciri: cujus hæc sunt: 'Impia prodigiis ut quondam exterruit amplis Scylla, novosque avium sublimis in aëre cœtus Viderit, et tenui conscendens sidera penna, Cæruleis sua tecta supervolitaverit alis: Hanc pro purpureo pœnam scelerata capillo, Proque patris solvens excisa funditus urbe. Complures illam, et magni, Messalla, poëtæ, (Nam verum fateamur: amat Polyhymnia verum) Longe alia perhibent mutatam membra figura: Scyllæum monstra in saxum conversa vocari: Illam esse, ærumnis quam sæpe legamus Ulyssi, Candida succinctam latrantibus inguina monstris, Dulichias vexasse rates, et gurgite in alto Deprensos nautas canibus lacerasse marinis.' Atque hanc sententiam id. poëta secutus est in Eclogis: quo in l. frustra se quidam eruditi homines torquent. *Muret.*

Tulle] Hujus Tulli meminit infra Eleg. 6. et Eleg. ult. hujus libri: et Eleg. 22. lib. III. unde colligitur Cizycenis præfuisse, vel Asiam pro Consule obtinuisse. Dio lib. XLIX. in fine scribit L. Volcatium Tullum collegam fuisse Augusti in secundo Consulatu, si forte hic noster esse possit. *Passerat.*

10 *Sævitiam duræ contudit Iasidos*]

Quum duæ Atalantæ fuerint, altera Arcadica, altera Argiva, Arcadica fuit mater Parthenopæi ex Minalione, cujus hic mentio. Itaque insigne mendum tollendum ex Panegyrico in Majorianum Sidonii Apollinaris: ' Plantasque superbas Haud ita per siccam Nemeen citus extulit Arcas, Cujus in Ætolo volitantem pulvere Martem Horruit Hippomenes.' Legendum enim *matrem*, non *Martem*. Nam Arcas ille est Parthenopæus, non Mercurius, cujus mater Atalanta. Et allusum est a Sidonio ad VI. Thebaidos: quem locum consule. *Scal.*

11 *Amens errabat*] Amens, quia amans. Recte errorem et amentiam conjunxit: nam et Amor error malus est, Virg. Ecl. VIII. et furor, error animi, Horat. et Lucretio, et Cicer. III. Tuscul. ex Homero. *Passerat.*

12 *Ibat et hirsutas*] Inconcinne et frigide legitur. Persuasum habeo debere scribi *Ibat et hirsutas ille ferire feras.* N. Heinsius ad Ov. I. Fast. 287.

Ibat] Græcismus. Afranius Incendio: ' Is cum filio it conjicere hac nescio quid de ratiuncula,' ut emendavit Jan. Gulielmius Veris. I. 2. *Gebhard.*

13 *Ille etiam Hylæi*] Id. etiam innuit Ovid. hoc versu: ' Sensit et Hylæi contentum saucius arcum.' Ap. Ælian. nihil tale reperio: Hylæum quidem ipsum et Rhœcum sagittis ab Atalanta confixos lego. *Muret.*

Percussus vulnere rami] Arboribus solidis earumque ramis Centauros pro telis usos Apollonius, eoque prior in Cœnei fato Pindarus, ac utrumque sequutus ostendit Ovidius Met. XII. *Parrhasius.*

15 *Velocem*] Indocte Volscus eand. putat esse hanc, et illam Catulli pernicem puellam: nam Catullus, ut dictum est, de Scœneide loquitur: at hic de Arcadica sermo est. Quam ipsam quoque agilem fuisse, testatur Ælianus. Cujus verba, quoniam in impressis libr. depravata sunt, quomodo corrigenda suspicer admonebo. Ita igitur vulgo leguntur: Ἐπεφύκει δὲ ὠκίστη τοὺς πόδας, καὶ οὐκ ἂν αὐτὴν διέφυγεν οὔτε θηρίον, οὔτε ἐπιβουλεύων αὐτῇ ἄνθρωπος, φυγεῖν ἐθέλουσαν, ἀλλ' ἐνταῦθα μὲν οὐκ ἄν τις αὐτὴν κατέλαβεν. Ego autem lego Ἐπεφύκει δὲ ὠκίστη τοὺς πόδας, καὶ οὐκ ἂν αὐτὴν διέφυγεν οὔτε θηρίον, οὔτε ἐπιβουλεύων αὐτῇ ἄνθρωπος. φυγεῖν δὲ ἐθέλουσαν, οὐκ ἄν τις αὐτὴν κατέλαβε. Nihil autem obstat, quominus de eod. oleo et opera aliquot ex ead. narratione locos, qui corrupti videntur, quomodo emendandos putem, admoneam: ut meo labore, quantum quidem in me est, aliorum minuatur labor. Ubi ergo legitur Ἀλλ' ἦν φύκου ἔργον ἡ χροιὰ, legend. arbitror Ἀλλ' ἦν φύσεως ἔ. ἡ χρ. Nativam enim, non fuco quæsitam, pulchritudinem Atalantæ tribuit. Et paulo post: Τί δὲ οὕτως ὡραῖον γένοιτο ἄνθος; ὥσπερ οὖν καλὸν, ἢ τὸ πρόσωπον αἰδεῖσθαι πεπαιδευμένης παρθένου; lego Τί δὲ οὕτως ὡραῖον γένοιτο ἄνθος, οὗπερ οὐ κάλλιον ᾖ τὸ πρόσωπον αἰδεῖσθαι πεπαιδευμένης παρθένου; et ad finem, ubi legitur σὺν ὕβρει καὶ ἄντρῳ, legend. crediderim σὺν ὕ. καὶ ἀνατροπῇ. *Muret.*

17 *Non ullas*] Ita emendavi e veteribus libris: cum antea inepte legeretur *non nullas*. Muret.

Ullas] Forte *illas*. Dousa P.

19 *Deductæ Lunæ*] Deductionis Lunæ meminit Apollonius lib. IV. Id ea de caussa faciebant, ut terræ propior Luna spumam suam in herbas infunderet. Apuleius Milesiæ Fabellæ I. ' Næ,' inquit, ' istud mendacium tam verum est, quam si qui velit dicere, magico susurramine amnes agiles reverti, mare pigrum colligari, ventos inanimes exspirare, Solem inhiberi, Lunam despumari, stellas evelli, diem tolli, noctem teneri.' Paria Lucanus in sexto, et alibi. Opinantur aliqui, inquit interpres Apollonii, deliquium Lunæ fieri a veneficis: ac propterea Antiqui deliquia hæc dixere ' dejectiones ' sive ' depressiones.'

Fallacia] Τέχνη. *Muret.*

20 *Et labor in magicis sacra piare focis*] Etenim τὸ 'sacra' umbras et Manes defunctorum interpretor, quos, ut religiose Flaccus prædicat, 'Libitina sacravit.' Pro quo tamen meum non esset ut temere spondere, nisi Propertius in principio libri III. genium Philetæ invocans sibi, hujus verbi sui sensum ipse nobis aperuisset his verbis: 'Callimachi manes, et Coi sacra Philetæ.' Quis enim non videt, τὸ *sacra*, hoc loco pro Manibus et umbra Philetæ accipiendum esse? quam sibi exoptat non difficilem evenire Poëta. Neque alio profecto vetus ac Romana illa monumentorum inscriptio trahenda, DIVIS MANIBUS SACRUM. *Dousa P.*

22 *Et facite illa meo*] Et facite, ut ipsa me vehementius amet, quam ego ipsam. *Muret.*

24 *Posse Cythæinis*] Κυταίη vel Κυταία, Κυταῖνος, ut ἐλαία, ἐλάϊνος. Sed tunc claudicaret versus. Præterea ἐλάϊνος est, oleaceus: cujus scilicet materia ex olea. At Κυταῖνος nihil tale potest esse: non enim cives de materia urbium suarum factos dicimus, sed ex urbibus suis ortos. Suspicor Propertium scripsisse: *Posse Cytæi tuis ducere carminibus.* Cytæis est Medea: vel Cytæeis, quod verum est: Κυταῖος, ut Πτολεμαῖος. Propertius: 'Et Ptolemææ litora capta Phari.' Κυταία urbs Colchidis: unde Medea Κυταΐς. Etiam Æetes pater ejus Κυταῖος, non Κυταιεὺς dictus: quod notandum. Callimachus: Ὡς ἥρωες ἀπ' Αἰήταο Κυταίου Αὖθις ἐς ἀρχαίαν ἔπλεον Ἁρμονίην. Est autem Κυταία urbs, in quam deportatæ decem tribus a Salmanasser Assyrio: unde Samaritani hactenus a Judæis Κυταῖοι dicti, Cuthæi. Etiam incolas illorum tractuum circuncidi scribunt Veteres. *Scal.*

Citæinis] Legend. *Cytæinis.* Scholiast. Apollonii: Κύταια, πόλις Κολχίδος. Steph. Κύτα, πόλις Κολχική, πατρὶς Μηδείας. *Muret.*

31 *Deus annuit aure*] Perperam legitur *aure;* scribe *ore:* ita *aure* et *ore* frequenter confunduntur in scriptis exemplaribus. Idem lib. I. El. 12. 'Nec nostro dulcis in ore sonat,' non *nostra aure*, quod nunc legitur: et lib. 3. El. 10. 'Publica vicinæ perstrepat ora viæ.' Ubi circumfertur *aura* perperam. Heinsius ad Ov. Metam. 12. 430.

ELEGIA II.

1 *Ornato procedere capillo*] Cui rei peculiares ornatrices habebant puellas. Wouvveren ad illa Petronii: 'Dic, Chrysis, numquid incompta sum?' Puellas, inquit, habuerunt in ministerio tum ornatrices, tum quæ velut a consiliis formæ. Quod stringit Juvenalis S. VI. 'Est in consilio matrona,' &c. Hieron. 'Crines disponebant ancillæ.' Edoctæ autem certis magistris ad hoc ministerium, velut ad artificium L. LXV. §. Ornatricibus ff. de Legat. III. Dicebantur Ornatrices ab officio: uti et Græcis κοσμήτριαι, &c. Juvenal. Sat. VI. 'Ponunt Cosmetæ tunicas.' Interpres: 'Eos dici, qui ornamentis præsunt, non tamen et ornatrices.' Ergo proprie Ornatrices, quæ crines disponebant. Suet. Claud. cap. XL. 'Hæc matris meæ ornatrix fuit. Juvenal. Ornatrici nomen Psecæ ab arte imposuit; nam ψεκάζειν Græci dicunt, quando minutim sive rarum pluit. Ornatrices igitur, crinem componentes, rarum ac parvum aquæ solent mittere, ac velut ψεκάζειν: ut est apud Interp. &c. Reliqua ex Gruteri Notis ad Plaut. pete. Ad Ornatrices quod attinet, inquit Pignorius, notandum est, illas tradi consuevisse magistris, ut ediscerent artificium ornandi. Id quale esset describet nobis Manilius partim libro V. partim alibi: 'Illis cura sui vultus frontisque decoræ Semper erit, tortosque in flexum ponere crines, Aut nodis revocare, et rursus vertice denso Fingere, et appositis caput emutare capillis.' Ter-

tullianus graphice de Cultu Fœminar. lib. ‘ Quid crinibus vestris quiescere non licet, modo substrictis, modo relaxatis, modo suscitatis, modo elisis? Aliæ gestiunt in cincinnis coërcere, aliæ ut vagi et volucres elabantur, non bona simplicitate. Affigitis præterea nescio quas enormitates sutilium atque textilium capillamentorum, nunc in galeri modum quasi vaginam capitis, et operculum verticis, nunc in cervicem retro suggestum,’ &c. quem locum Tertulliani excussit Pignorius in eruditissimo opere de Servis.

2 *Tenues sinus*] ‘Tenues’ vocat, quia *διὰ τῆς ἐσθῆτος τὸ σῶμα ὑπεφαίνετο*, verbis Achillis Tatii; unde et eidem eleganter *τοῦ σώματος κάτοπτρον ὁ χίτων* dicitur. ‘Movere’ autem, quia tenuissima vestis impulsu venti inter ambulandum vibrabatur. *Gebhard.*

3 *Aut quid Orontea*] Oronteam myrrham, non quod in Syria nasceretur, sed quia Antiochiam, eo tempore totius Orientis celeberrimum emporium, camelis deferretur. Sic malabatrum, quod non nisi in India provenit, Syrium vocant poëtæ, propter eandem caussam. Non enim, ut Dioscorides falso prodidit, in paludibus Syriæ provenit. *Scal.*

4 *Teque peregrinis vendere muneribus*] Mire dictum, pro, exoticis sive externis mercibus excultam se venditare, et ita gerere ut conventorem conciliet, cui se vendat. Explicatio huic loco uberior petenda a Plinio lib. XIII. cap. III. princip. *Gebh.* Ovid. lib. I. Eleg. X. Amor. mire locum hunc illustrat, et plane in hoc argumento luxuriat.

5 *Naturæque decus*] ‘Naturæ decus’ est Aristæneto lib. I. Epist. II. *κάλλος ἀπηκριβωμένον τῇ φύσει*, Quinctiliano lib. II. cap. V. ‘incorrupta natura.’ *Geb.*

8 *Nudus Amor*] Nudus Amor, quia Amor non spectat istum acquisitum ornatum: sed solet gaudere naturali voluptate. *Idem.*

9 *Aspice quos*] Scribendum: *Aspice quot submittat humus formosa colores.* Ovid. Amor. l. I. Eleg. 13. ‘Aspice, quot somnos juveni donarit amato.’ *Heinsius ad cit. l.* Pro *Et veniant* lego *Ut.* Livineius. Male. *Et* enim hic necessario requiritur, præsertim si emendatio Heinsiana, quam maxime probo, admittatur. *B.*

12 *Et sciat indociles*] Nove dixit, ‘indociles vias,’ *ἀδιδάκτους*: indocilem enim usitatius dicimus eum, qui doceri non potest, quam rem ipsam, quæ doctrina non comparatur; sed Achilles Statius Lusitanus mihi confirmavit se veterem librum habere, in quo scriptum sit *Ut veniant ederæ:* et paulo post *Surgat ut in solis:* et in hoc versu *Ut sciat indociles:* quam scripturam rejiciend. non puto. *Muret.*

13 *Littora nativis pellucent picta lapillis*] *Sciat* et *pellucent* non bene congruunt. Vetus scriptura in nostro, *persuadent*, non *pellucent*. Sane legendum: *Litora nativos per se dent picta lapillos.* De qua lectione qui dubitarit, is mentem Propertii non animadvertit. ‘Per se,’ *αὐτομάτως*; ut ‘nativos’ *αὐτοφυεῖς*. Sic paulo ante indociles vias, *αὐτοδιδάκτους*. *Scal.*

15 *Non sic Leucippis*] Fabula est ap. Theocr. Dioscuris, ap. Ov. v. F. ap. Hygin. sed nemo est eorum, qui non ab aliis aliqua in parte dissentiat. *Muret.*

16 *Telaïre*] Elaïre soror Phœbes. Apollodoro Ilaëire et Sophoclis interpreti. Veteres libri *Thelaïra*, corrupte. Verum est *Elaïra* vel *Ilaïra*. Fuit autem Elaïra Dianæ sacerdos, Phœbe Minervæ. Apollod. et Hygin. *Passerat.*

17 *Non Idæ*] De Marpissa Eveni filia ausus est olim Idas cum Apolline certamen suscipere. Homer. Il. I. *Muret.*

21 *Sed facies aderat nullis obnoxia gemmis*] Præsens et intrepida conspiciebatur, et solo naturæ bono confisa, quæque gemmis nihil debebat et lapillis. *Passerat.*

22 *Qualis Apelleis, &c.*] 'Color,' quo naturam ipsam provocavit expressa forma tanquam spirante. Eleg. IX. lib. III. 'In Veneris tabula summam sibi ponit Apelles.' Est autem in hoc simili dissimile. Nam Apelles arte pinxit, et arte summa; cum hic a forma velit omnem artem abesse. Sed eo respexit, quod quatuor tantum coloribus usus dicatur Apelles; ex albis, melino: ex silaciis, attico: ex rubris, sinopide pontica: ex nigris, atramento. Idem, præter Venerem nudam nativaque forma conspicuam, pinxit etiam campestrem, unam e pallacis Alexandri M. cujus amore captus, eam a rege dono accepit. Pinxit et Heroa nudum, eaque pictura naturam ipsam provocavit. *Idem.*

25 *Non ego nunc vereor ne sim tibi vilior*] Ea est in nostro manuscripto lectio, sed mendose. Legendum enim: *Non ego nunc vereor ni sis mihi vilior istis.* Sequentia conjecturæ nostræ subscribunt, et vulgarem editionem falsi damnant. *Scal.*

Ne sim tibi vilior istis] Mos ab antiquitate, quem non omnes sciunt. Charisius in 'Isto vilius:' 'Rex, qui vocabat ad cœnam, si sibi ea res exhibenda indiceretur, quam exhibere non posset, respondit, ut Tranquillus refert, Isto vilius hominis erit cœna.' Quæ formula belle negantis et excusantis reperitur apud Terentium, Sc. ult. Adelph. ubi Demea petit a Mitione, ut aliquid det Syro, unde utatur, quia postea sit redditurus. Respondet Mitio, 'Istoc vilius.' Quibus verbis blande negat. Vide ad id Donat. 'Ergo non vereor ni sis mihi vilior istis,' id est, facile patior te istis carere et vilior videri sine ornatu. *Palmerius.* At non est saporis Passeratii, qui explicationem hanc carpit.

Ne sim tibi vilior istis] Ne minoris apud te sim ob ista, quæ modo dixi. *Muret.*

26 *Uni si qua placet*] Satis est culta quæ uni placet Nam pluribus ornare se prostitutarum est. *Muret.*

28 *Libens*] Forte adlusum ad pervulgatam formulam, 'Lubens merito,' quæ solemnis erat in precibus, gratiarum actionibus, suppliciis Deorum, &c. Ea exstat in permultis inscriptionibus, &c.

29 *Unica*] Unicum pro eximio et egregio Latini sæpe dicunt. Sic Catullo 'Unicus Imperator,' pro summo. Afran. Brundusiana: 'Quis tam sagaci corde atque ingenio unico?' Turpil. Demetrio: 'Homo unica natura et singulari.' Cic. de Senectute: 'Quanta in Attilio Calatino, in quem illud elogium unicum.' Plaut. Asinaria: 'Nam poëta es prorsus ad eam rem unicus.'

31 *Nostræ gratissima vitæ*] Id est, nobis: ut dicebant eodem modo, ætati nostræ. *Scal.*

Nostræ gratissima vitæ] Pro, mihi eris gratissimus. 'Vita mea,' h. e. ego. Eleg. 11. lib. 1. 'Aut sine te vitæ cura sit ulla meæ:' h. e. Num sine te possum de me esse solicitus? Et lib. 3. eleg. 11. 'Quid mirare meam si versat fœmina vitam?' h. e. si me versat. Plautus Menæch. 'Inimicus sibi magis quam ætati tuæ,' i. e. tibi. Sic alibi apud eundem: 'Væ ætati tuæ:' i. e. tibi: et similia. *Scioppius Verisimil. lib. 4. c. 13.*

ELEGIA III.

13 *Et quamvis &c.*] Ovid. 'Et Venus in vinis, ignis in igne fuit.' *Dousa.*

15 *Positam*] Κειμένην, dormientem. Nam κεῖσθαι pro, dormire, Græci usurpant. Theocr. Eid. 22. Δύο κεῖντο γέροντες. Catul. 'Nam pransus jaceo.' *Livineius.*

16 *Osculaque admota sumere et arma manu*] Putavi olim adolescens legendum, *sumere tarda.* Sic libro secundo: 'Oscula sunt labris nostra morata tuis.' Fortasse melius: *sumere certa manu. Certa*, non reluctantia. Propterea 'admota manu:' ut ultima syl-

laba in voce 'arma' ex sequenti conflata sit. *Scal.*

Osculaque] Confirmati dudum sumus scripsisse Poëtam: *Osculaque admota sumere ad arma manu.* Quæ enim certior aut communior osculandi ratio quam prehensis genis mentove labra jungere? Sic ipse alibi: *Oscula suspensis instabant carpere palmis.* Gronovius Observ. lib. 4. cap. 6.

Osculaque admota sumere et arma manu] Inguinis, haud dubie (ut Martialis mei phrasi utar) arma intelligit. Sic et ipse Propertius infra: 'Dulcia quam nobis concitet arma Venus.' Ad quæ etiam *admotam manum* pertinere autumo, non ad Oscula: idque ex Ovidianæ auctoritatis disciplina maxime. Verbi gratia: 'Hanc etiam non est mea dedignata puella Molliter admota sollicitare manu.' Hoc propterea appono, quod sensum ejus videam temere nuper a viro doctissimo sollicitatum. *Dousa P.*

18 *Expertæ metuens jurgia*] Noster codex, *verbera.* Horatius, 'Metuentes patruæ verbera linguæ.' *Scal.*

19 *Sed sic intentis*] *Intectis* legit Canterus, quod probo. *Livineius. Intentis* rectum est.

20 *Argus ut ignotis*] Lege, *Argus uti notis:* et fortasse scriptum fuit *gnotis,* archaico more. *Scal.*

Argus uti notis] Cur ita legere malit Scaliger, cum esset *Argus ut ignotis,* nullus adhuc video. Ignota enim vocat cornua, quæ Ovidius 'nova,' 1. Metamorph. 'Novaque ut conspexit in unda Cornua, pertimuit, seque externata refugit; Naiades ignorant, ignorat et Inachus ipse, Quæ sit.' At Argo tamen non ignota fuisse dices. At, o bone, non opportuna semper et tempestiva Propertii epitheta scilicet. Nam huic quidem tempori et loco ignota cornua non erant; ipsi tamen Ioni et Inacho. *Scioppius Verisimil. l.* 1. *c.* 6.

21 *Solvebam nostra de fronte corollas*] Coronæ in conviviis adhibitæ non tantum honoris Deorum aut lætitiæ caussa, sed maxime ut vapores e vino et cibis cerebrum petentes infringerent. Per initia coronæ ex simplici lana fuerunt, quam οἰὸς ἄωτον vocat Theocritus, 'ovis florem;' tandem ex rosis et aliis floribus qui cerebrum juvarent. Legendus Athenæus in frag. de Coronis. Ebriosorum fuit se ipsos coronare. Unde et Polemo coronatus, cum in Xenocratis auditorium irrupisset, sibi sensim coronam detraxit, eo de modestia loquente. Synesius Epist. XXXII. 'Is enim videns lenonem magnifice ambulantem in foro cum corona et unguento ebrium et comessantem,' &c. Plura vide apud Bulengerum lib. II. cap. XXIV. et XXVII. de Coronis.

24 *Furtiva cavis poma dabam manibus*] Adi Lipsium lib. III. Ant. Lect. Barthius lib. IX. c. X. aliter locum hunc explicat.

25 *Omniaque ingrato largibar munera somno, &c.*] Ex Catullo emendandum censeo, hoc modo: *Omnia quæ ingrato, &c.* qui eodem hemistichio in Epigrammatibus usus; exempli causa: 'Omnia quæ ingratæ perierunt credita menti.' *Dousa P.*

31 *Donec diversas*] Lege *divisas:* hoc est, fissas. Sic infra *diversos* legebatur in manuscripto, pro *divisos:* 'Possum ego divisos iterum conjungere amantes.' Itaque alterum pro altero facile commutatur, ut non raro in Manilio. *Scal.*

Donec divisas] Male Scaliger de conjectura supposuit *divisas,* cum legendum sit *diversas.* Intelligit enim, quæ cubanti Cynthiæ erant diversæ. Sic ut per eas intrans lumen oculos ejus feriret. *Gronovius ad Senecæ lib.* 2. *de Ira C.* 28.

32 *Luna &c.*] Sic etiam lib. II. 'Phœbe, moraturæ contrahe lucis iter.' *Dousa P.*

Moraturis luminibus] Nove dictum, pro, quæ morari et resistere debu-

rant; et amatorie loquitur. Sic futurum signif. habebit præt. plusq. perf. nec dissimiliter 'pariendo' accipi videtur apud Gellium lib. 5. cap. 19. *Livineius.*

33 *Compositos*] Clausos. Translatum a mortuis, qui componi dicuntur, ut fuse docet Kirchmannus.

34 *Sic ait*] Liber vetus *Hic ait:* ut sit *Hic* pro, *Tunc.* Muret.

Fixa] Malim reponi *nixa.* Virgilius: 'Ter sese attollens cubitoque innixa levavit.' Idem Propertius paulo ante hac ipsa Elegia: 'Non certis nixa caput manibus.' *N. Heinsius ad Metam. l. 7. vers.* 344. Passer. a Virgilio, Ovidio, Petronio, Homero, ipso denique Propertio vers. 8. 'Non certis nixa caput manibus,' et hic legendum judicat *nixa.* Sed Propertio, puto, fas erat variare orationem. Deinde 'figere' eleganter hic est *ἐρείδειν.* Heliodorus lib. 1. et lib. 5. *Gebhard.*

36 *Alterius clausis expulit*] Liber noster, *rettulit:* nimirum, quia *repulit* scripserat Poëta, ita repone. *Scal.*

44 *Externo in amore*] *Hesterno* legendum suspicor, ut hoc sentiat, questam se hesterna nocte emansisse, neque ad amoris officium præsto fuisse, quæ enim moræ et emansiones crebræ sint. 'Sæpe moras' dixit ut 'olim amicitias' Catul. et 'semper lenitas' Terent. *Livin.*

46 *Ultima cura meis*] Opinor a manu Propertii esse *ultima meta meis.* Quomodo Ovidius Amor. 3. 'Raditur hæc elegis ultima meta meis.' Et ipse Propertius lib. 4. Eleg. 2. 'Hæc spatiis ultima meta meis.' *N. Heinsius ad Ov.* 1. *Fast. vers.* 287.

ELEGIA IV.

1 *Basse*] Bassi et Ovidius meminit: 'Bassus pede clarus iambo,' ut legit Heinsius ad illum locum. Ger. Joh. Vossius Tract. de Poëtis Latinis legit *Battus.*

4 *Ducere servitio*] Scriptus Cod. V. C. Francisci Modii et P. Livineii, pro *ducere, vivere* habebat. Quod damnare mihi religio sit, qui sciam 'vitam vivere,' 'servitutem servire,' 'noxam nocere,' et hæc talia tralatitia esse apud Latinos. Sed et 'navem navigare' dixit Ulpianus in l. 1. ff. 'Nautæ Caup. Stabul.' *Dousa F.*

Servitio] Quicunque amori succumbunt, servi et addicti sunt, *ἐθελόδουλοι.* Aristenætus lib. II. Epist. II. *Ὡς ἄχρις ἂν ἐμοῦ δεσπόζειν ἐθέλοις, βουληθείης δὲ μέχρι παντὸς, ἐρωτικός σοι διατελέσω θεράπων.* Ideo apud Achillem Tatium amica *δεσπότις τῆς ψυχῆς* appellatur. *Gebhard.*

6 *Spartanam referas*] Repone auctore libro scripto *Spartanæ Hermionæ.* Licet laudibus referas formam Antiopæ et Hermionæ. *Scal.*

11 *Hæc sed forma mei par est extrema furoris*] Sic in eandem sententiam libro secundo: 'Nec me tam facies, quamvis sit candida, cepit.' *Idem.*

Hæc sed forma mei pars est extrema furoris] Hoc vult: Hæc forma me ad extremum, ultimum, omnium gravissimum furorem redigit quidem: multis tamen majoribus cum animi tum corporis dotibus a natura Cynthia mea cumulata est: quas disticho proximo narrat, et per 'multis decus artibus' intelligit laudes et gloriam partam ex artibus *canendi,* lib. I. Eleg. II. vers. XXVII. *loquendi,* lib. I. Eleg. II. vers. XXIX. *pangendi Carminis,* lib. II. Eleg. III. vers. XIX. ibidem Eleg. XXVI. vers. XXVI. *texendi,* lib. III Eleg. VI. vers. XVI. *saltandi* lib. II. Eleg. III. vers. XVII. *blandiendi* lib. I. Eleg. XIII. vers. XXXI. *Gebh.*

Extrema pars furoris] I. e. minima amoris in illam mei causa. Sic Eleg. 11. lib. 1. 'Ecquis in extremo restat amore locus?' Et Petron. 'Lucernæ quoque humore defectæ tenue et extremum lumen spargebant.'

12 *Quibus perire juvat*] H. e. prop-

ter quæ illam pereo, sive amo. Perire seu amare aliquo, i. e. ob aliquid, phrasis nota, et cujus plura exempla apud Palmerium. *Scioppius Verisimil. l.* 5. 18.

13 *Et multis decus artibus*] Legendum censeo *nullis decus artibus*, h. e. forma nativa. Dixerat: Non tam eo nomine illam amo, quod pulchra sit et cum priscis heroinis contendenda: quam quod nativa est illius forma, et nulla arte parata. Sic Eleg. 2. 'naturæ decus' dixit nativam pulchritudinem: nam, quum arte multæ se pulchras reddere studeant, eadem Eleg. 2. 'artificem formæ' dixit; eas innuens, quæ creta candere se faciunt, quasi bonæ sint, non dico frugi, sed formæ, cujus exornandæ nonnullæ æquo plenius studiosæ. *Scioppius Verisimil. l.* 1. *c.* 18.

14 *Dicere veste libet*] Forte *ducere*. Dousa P. Quod superbe dicta a Nemesi vindicari putabantur, istam nimiam felicitatem suam sub veste narrandam ait, ne scilicet a Nemesi exaudiri possit. Cujus rei testimonium peti potest ab ipsomet Propertio lib. 2. Eleg. 21. *Scioppius Verisimil. l.* 1. *cap.* 18.

22 *Deferet*] Liber, *Differet*. Ita repone. *Scal.*

24 *Sacer, qualis ubique, lapis*] Apuleius Florid. I. 'Religiosam moram viatori objicit lapis unguine delibutus.' Siculus Flaccus de Conditionibus Agrorum: 'Cum terminos disponerent, ipsos quidem lapides in solidam terram collocabant proxime ea loca, quibus fossis factis defixuri eos erant, et unguento velaminibusque et coronis eos coronabant.' Hinc proverbialis sermo apud D. Clementem Alexandrinum lib. VII. Stromat. Οἱ αὐτοὶ δ' οὗτοι πᾶν ξύλον καὶ πάντα λίθον, τὸ δὴ λεγόμενον, λιπαρὸν προσκυνοῦντες. Arnob. lib. I. 'Quando conspexeram lubricatum lapidem et ex olivi unguine irrigatum.' Augustin. de Civ. Dei, lib. XVI. cap. XXXVIII. 'Nec more Idololatriæ lapidem perfudit oleo Jacobus, velut faciens illum Deum; neque enim adoravit eundem lapidem, vel ei sacrificavit.' Unde notandum lapides hos, id est terminos, non simulacra e lapide, quod alii volunt, oleo ungi moris fuisse. Et ex his omnibus palam est Veterum superstitio, ut qui, qualibet in via temere oblatum sacrum aliquo modo esset, id venerarentur: sive ara, seu lapis, seu stipes esset. *Colvius.*

Sacer lapis] Solent viatores, si in itinere conspicati fuerint, aut truncum dolamine effigiatum, aut lapidem unguento delibutum, pro numinibus colere et adorare, ut Apuleius tradit in Floridis. *Livineius.*

25 *Non ullo gravius tentatur*] Hanc chriam Gnome Euripidis expressit: Τὰ μὲν γὰρ ἄλλα δεύτερ' ἂν πάσχοι γυνή, Ἀνδρὸς δ' ἁμαρτάνουσ' ἁμαρτάνει βίου. *Scal.*

Maneat sic semper adoro] Virgilius: 'In rupes, in saxa, volens vos Turnus adoro, Ferte ratem.' Ovidius: 'Hanc ego, me norrut defendere tentet, adoro.' Bassus autem iste est Iamborum scriptor. Ovidius: 'Ponticus heroo, Bassus quoque clarus iambis.' *Idem.*

ELEGIA V.

5 *Et miser vestigia ferre*] Proverbium est. Horatius: 'Et incedis per ignes Suppositos cineri doloso.' *Idem.*

Ignotos per ignes] Ignotos, quia ignota mala graviora sunt. Proverbialis autem hic sermo de tecto periculo, eoque maximo. Sub Soracte monte urbs Feronia, et Dea ejusdem nominis, cujus numine afflati per ignem incedebant nudis pedibus illæsi. Virg. XI. Æn. *Passer.* Malim 'ignotos ignes' esse κρυπτούς, quos Horatius reddidit 'suppositos cineri doloso.' Sic Euripides de Equo Durateo, κρυπτὸν ἀμπίσχων δόρυ. *Gebh.*

6 *Et bibere e tota toxica Thessalia*] Bibuntur plerunque venena. Expe-

ditissima omnibus veneficis per potum e medio tollendi ratio. Tacit. lib. XIII. cap. XVI. 'Innoxia adhuc ac præcalida et libata gustu potio traditur Britannico. Deinde, postquam fervore aspergebatur [*aspernabatur* in vulgg.], frigida in aqua affunditur venenum, quod et ita cunctos ejus artus pervasit, ut vox pariter et spiritus ejus raperentur.' Hoc sceleratus ab scelerato didicit Cassandro Nero. Justinus lib. XII. cap. XIV. 'Philippus et Iolas, prægustare ac temperare potum regis soliti, in aqua frigida venenum habuerunt, quam prægustatæ jam potioni supermiserunt.' *Idem.*

7 *Non est illa vagis*] Vagæ puellæ, εἰκαῖαι: contra Horatius 'devias.' At bonus Beroaldus vagas sumit pro variis et inconstantibus. *Scal.*

8 *Molliter irasci non solet*] Quomodo *non solet*, si nunquam adhuc expertus est? incedere enim per ignotos ignes eum dixit, ut pote qui Cynthiæ amore tum primum incalescebat. Næ ille oscitabunde hæc legebat, quisquis hæc mutavit. Scriptura enim vetus habet *non sciet*. Quod explicatione non indiget. Facilis autem lapsus fuit, ut *c* in *o*, et *i* in *l* mutaretur. *Idem.*

9 *Quod si forte tuis*] Et hæc quoque non minore flagitio, quam illa, mutarunt: quum liber scriptus habeat, *Aut si forte ausis non est contraria nostris.* Est συγχώρησις. Aut pone illam mihi pro te precanti victas manus dedisse. Manifestum enim Gallum æmulum fuisse Propertii, et tunc primum cœpisse Cynthiam amare, ac orasse Propertium, ut sibi pararius et proxeneta esse vellet inter se et illam in amoribus novis. Id quod tota ex hac Elegia colligas licet, præsertim ex fine: 'Non impune illa rogata venit.' Precatorem enim sibi et rogatorem Propertium assumpserat. *Idem.*

10 *At tibi curarum millia quanta dabit*] Eodem modo dictum videtur quo illud: 'Sexcenta tanta reddam, si vivo, tibi:' et sexcenta huic parissima in Plauto.

11 *Non tibi jam somnos, non illa relinquet ocellos*] Possumus vel interpretari: Quasi et somnos auferat, et oculos in somniis occupet, sitque, quidquid quietis conceditur, turbulentum ac totum de amore. Plin. lib. VII. Ep. V. 'Inde est quod magnam partem noctium in imagine tua vigil exerceo.' Achilles Tatius lib. I. Ὅλος γάρ μοι προσέπεσεν ὁ ἔρως, καὶ αὐτόν μου διώκει τὸν ὕπνον τῶν ὀμμάτων· πάντα Λευκίππην φαντάζομαι. Infra lib. II. Eleg. 25. vers. ult. 'Cum satis una tuis insomnia portet ocellis.' Curas atque insomnia, quæ nostris impendimus, elegantissime vocat Euripides Supplicib. vers. 1137. ἄϋπνά τ' ὀμμάτων τέλη. Vel etiam, ut dicat, non solum somnium adimi, sed etiam oculos vigiliis lacrimisque corrumpi. Aristænetus lib. I. Ep. X. Δάκρυα μόνον, οὐχ ὕπνον αἱ νύκτες ἐπῆγον τῷ μειρακίῳ. κλαίων γὰρ αἰδούμενος τὴν ἡμέραν, τὸ δάκρυον ἐταμιεύετο ταῖς νυξί. Hinc intellige locum Eleg. sequentis vers. XXIV. Vide Eleg. III. vers. XLIII. lib. I. *Gebhard.* Huc pertinet illud libri IV. 'Illius arbitrio noctem lucemque videbis; Gutta quoque ex oculis non nisi jussa cadet.' *Dousa P.*

14 *Cum tibi &c.*] Sic et Martialis: 'Esse pudor vetuit fortia verba mihi.' *Idem.*

23 *Nec tibi nobilitas poterit succurrere amanti*] Hinc veteris prosapiæ ac multarum imaginum apparet fuisse Gallum, contra Suetonii sententiam, qui eum ex humili ad præfecturam Ægypti ab Augusto provectum autumat. *Dousa P.*

26 *Quam cito de tanto nomine rumor erit*] I. Fabula. Statius lib. I. Silv. Epithal. Stellæ et Violantillæ: quem vide. Quo quis major, eo conspectius peccatum ejus, citiusque Famæ pennis ubique differtur. Audiamus τὸν Ἀετὸν ἐν νεφέλαις, magnum Apollinis sacerdotem, Pyth. I. Εἴ τι καὶ φλαῦρον παραιθύσσει, μέγα τοι

φέρεται Πὰρ σέθεν· πολλῶν ταμίας Ἐσσί· πολλοὶ μάρτυρες ἀμφοτέροις πιστοί. Nec interpretis contemnenda Politica: Ἐὰν γάρ τι καὶ εὐτελὲς παρὰ τοῦ λεχθῇ καὶ ὁρμήσῃ, τοῦτο μέγα καὶ διὰ πάντων φέρεται· φησὶ δὲ μεγάλα εἶναι τὰ τῶν ἀρχόντων ἁμαρτήματα, κἂν εὐτελῆ τυγχάνῃ. Quia, ut refert Quinctilianus Declam. XII. 'quo ad altiorem quisque honorum gradum extenditur, magis in exemplum patet.' *Gebh.*

ELEGIA VI.

4 *Ulteriusque domos vadere Memnonias*] Sunt qui putent Thebas Ægyptias significari, ubi Memnonis statua dicebatur quotidie exorientem strepitu salutare auroram, quas et longissime ab Italia distare notum est. In alia tamen sum sententia, et puto Susa significari, quæ Memnonia urbs dicebatur, ut Herodotus lib. v. auctor est. Ex Ionia autem iter illuc trium erat mensium, ut ab eodem enumeratis sigillatim mansionibus et parasangis describitur: nosque ejus sequuti auctoritatem velut senatusconsulto ita se rem habere decernimus. *Turnebus.*

17 *Osculaque opposito dicat sibi*] Hoc est, exprobret vento sibi eripi oscula ab ipso. 'Opposito,' adverso, ut oppositi sunt vultus eorum nobis, quibuscum expostulamus. In priore editione non bene hæc assequebamur. *Scal.*

Osculaque opposito dicat sibi debita vento] Primus Scaliger odoratus est sententiam; nos eam plane conemur evolvere. 'Oscula,' inquit, 'cum a me peteret, fidem suam mihi obligavit, se apud me perpetuo mansurum: quo pignore fidei accepto, illi oscula mea et gaudia credidi. At, postquam ille abiit et me perjurus reliquit, experta sum pignus illud fidei rem esse levissimam et ventum merum.' *Passerat.*

19 *Secures*] Honores curules. *Boxhornius.*

20 *Et vetera oblitis jura refer sociis*] Redde antiquas leges fœderatis Cizycenis. Cizycenis præfuisse Tullum declarat Propertius lib. III. Eleg. 22. 'Frigida tam multos placuit tibi Cizycus annos.' Mithridatico bello igitur cum Cizyceni libertatem meruissent, postea iis Augustus ob cives Romanos flagris cæsos libertatem ademit, sed mox restituit: Dio lib. LIV. et Strabo lib. XII. sua ætate liberam testatur Cizycum fuisse, quamvis iterum illis Tiberius libertatem simili de caussa ademerit. Cornel. lib. IV. Suet. in Tiber. cap. XXXVII. Quare τὸ 'oblitis' pertinet ad Cizycenos, qui non meminerant se olim in ditione populi Romani fuisse; et, cum ob facinus, quod dixi, adempta esset iis libertas, missus cum imperio Tullus qui eos tegeret. *Idem.*

Jura refer sociis] *Socios* Cizycenos interpretantur. Sed, cum multi libri *referre sonis* agnoscant, puto Propertium scripsisse *referre foris.* In foro enim jus dicebatur. *Heinsius ad* I. *Fast. vers.* 287.

21 *Nam tua non ætas unquam servivit*] Mutatum ignoratione priscæ lectionis, quæ habebat *cessavit*, ut diserte extat in nostro. *Cessare amori*, operam dare amori; infra: 'Nam tua non ætas unquam cessavit amori.' Horatius: 'Ad strepitum citharæ cessatum ducere curas;' strepitum citharæ, cui cessatur, hoc est, cui vacatur. Ovidius IV. Fastorum: 'Largaque provenit cessatis messis in arvis.' *Scal.*

31 *At tu seu mollis*] L. hunc a Beroaldo non intellectum declaravit Cœl. Rhodiginus Ant. Lect. IV. *Muret.*

ELEGIA VII.

1 *Dum tibi &c.*] Prope simile principium est Elegiæ Ovidii ad Macrum: 'Carmen ad iratum dum tu perducis Achillem.' *Muret.*

Cadmææ Thebæ] Bellorum omnium quæ inter Græcos priscis temporibus fuere, si Trojanum excipias, celeber-

rimum semper habitum Thebanum illud, inter Œdipi filios, mirabili nescio magis, an miserabili exitu gestum, ante Christi natalem annis circiter 1236. ante primam Olympiadem 457. ante Urbem conditam 481. Historiam pete ex Diodori Siculi Hist. IV. lib. Pausan. in Bœotic. Suid. Statio, &c. *Bernart.*

Dicuntur, Pontice, Thebæ] Veteres scripti, *ducuntur*. Recte. Horat. 'Forte epos acer Ut Varius nemo ducit.' Hic Noster libro IV. 'Cæsaris in nomen ducuntur carmina.' Ducere carmen poëtæ dicuntur, quum carmina componunt. Virgilius dicit Æneam; rectum est. Virgilius dicit Æneida: barbarum. Hic quoque Latinum esset dicere Thebas, non Thebaida. *Scal.*

Pontice] Propertius non dubitat eum cum Homero componere. Continuo enim subjungit: 'Atque, ita sim felix, primo contendis Homero.' Nec Thebanum modo bellum cecinisse, sed etiam amores, cognoscimus ex lib. ejusdem Eleg. IX. Ovidio etiam conjunctissimus fuit, ut ostendit istoc: 'Ponticus heroo, Battus quoque clarus Iambis, Dulcis convictus membra fuere mei.' *Vossius.*

5 *Nostros agitamus amores*] Sic 'Dionysia agitare' et 'convivia' apud Terentium, pro pergræcari. 'Agitare custodiam' et 'vigilias' dixit Plautus, pro, custodire ac vigilare. 'Agitare vitam' pro, vivere, Sallustius. Ennius lib. X. Annal. 'Quei tum veivebant homines, atque alvom agitabant.'

6 *Atque aliquid &c.*] Cato XXXIX. R. R. 'Per imbrem in vallem quærito, quid fieri possit.' *Dousa P.*

7 *Nec tantum ingenio, &c.*] Dolor impedit ac sufflaminat ingenii impetum, ne illo uti possim, quantum velim. Similis omnino querela Sapphus apud Nasonem: 'Nunc vellem facunda forem: dolor artibus obstat, Ingeniumque meis substitit omne malis.' Aliter Plinius de Nonii Maximi scriptis lib. IV. Epist. XX. 'In quo [opere] tu ingenii simul dolorisque velis latissime vectus es: nam dolori sublimitatem et magnificentiam ingenium; ingenio vim et amaritudinem dolor addidit.' *Gebh.*

16 *Quod nolim nostros eviolasse*] Ita et liber noster. Sed magis placet, quod Beroaldus in suo legit, *evoluisse*. Quod magis, quam, voluisse: imo potius ab evolvendo. Idque retinemus, ut dicitur 'Id volvere fata.' *Scal.*

Quod nolim nostros eviolasse Deos] *Nostros Deos*, Amores nostros interpretor, hoc est, amicam meam. Neque enim Propertius, qui furiosæ æmulationis, id est zelotypiæ, plenus erat, ita ut Jovem ipsum rivalem ferre gravaretur, (quod et ipsemet alibi de se fatetur,) Cynthiam credo suam a Pontico amari aut exerceri volebat. Eodem locutionis genere usus et Ovidius, ubi scribit: 'Et dicam: Nostros advehit illa Deos.' Nam et ibi de sola Corinna sua equo ligneo per vias cæruleas desubito sibi advecta commentatur secum. *Dousa P.*

Eviolasse] Beroaldus testatur, in antiquis libris partim *evoluisse*, partim *te violasse* legi. Quorum scripturam ego quidem utramlibet huic vulgatæ facile anteposuerim. Sed, quod Volscus admonet, Deos hic intelligi, non Venerem, et Cupidinem, sed poëtas ipsos: id, mea quidem sententia, tale est, ut, si fatuis et insulsis declarationibus præmium aliquod positum esset, id Volscus, hac una fretus, sine controversia, suo jure, Diis hominibusque plaudentibus, ablaturus fuisse videatur. *Muret.*

Eviolasse] Castigat hunc loc. Lipsius Var. lect. 3. cap. 3. cui assentior. *Te violasse* v. Livineius.

17 *Longe castra tibi*] Multa similia exempla collegit nobilissimi vir ingenii Nic. Heinsius ad Ov. Metam. l. 8. vers. 435.

Agmina septem] Scripsit eo nomine fabulam Æschylus Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις. Nam ipsæ Thebæ ἑπτάπυλοι, erantque septem castra, et copiæ septem ducibus ad portas septem. *Passer.*

20 *Nec tibi subjiciet*] 'Subjiciet,' verbum scenicarum operarum: ὑποβαλεῖ. Ὑποβάλλειν est, dictare alicui, monere: unde monitores, qui aliter Secundarii dicebantur: hoc est, ὑποβολεῖς. Glossæ, 'Secundarius, Subdiga: Ὑποκριτής.' Lege, *Subdica*, qui secundo dicit: quanquam hoc vere non est monitor. In Phormione quoque ita accipiendum: 'Tum autem Geta monitor.' *Scal.*

Sævus amor] Inepte etiam hæc mutarant interpolatores. Nam *serus*, non *sævus*, scripserat Propertius: ut cognoscimus ex libro calamo scripto. Quare serum amorem dixerit, non obscurum est ei, qui totam Elegiam legerit. *Scal.*

24 *Ardoris nostri magne poëta jaces*] Scribo, ut in veteri, *magne poëta vale*. Hoc enim prætereuntes dicebant, 'Have, atque vale:' quod etiamnum in vetustis aliquot monimentis visitur in Italia et Narbone, ut:

LAGGE. FILI
BENE. QUIESCAS
MATER. TUA. ROGAT
TE. UT. ME. AD. TE
RECIPIAS. VALE
P. Q. XV. *Scal.*

ELEGIA VIII.

1 *Tune igitur*] Pro rei et argumenti diversitate in duas easque disjunctas Elegias videtur mihi hæc Elegia distinguenda: quam continenter legi volo ad hunc locum: 'Hic erit, hic jurata manet.' Ex hoc autem loco et in his ipsis versibus initium novæ Elegiæ et distinctæ a superiori illa faciendum existimo. Quod quidem et ordo et argumentum Propertii aperte indicant. Nam, cum illa Elegia, 'Tune igitur demens?' de discessu Cynthiæ dolenter lamentaretur, quæ cum nescio quo Prætore in Illyriam, relicto Propertio, navigare volebat; nunc hac Elegia, 'Hic erit, hic jurata manet,' mutata jam mente Cynthiæ, vehementer gaudet et exsultat Poëta, se tantum precibus et lacrymis apud Cynthiam valuisse, ut, cum magna ei et multa a prætore illo promitterentur, distiterit tamen a navigatione, et Propertii amorem omnibus anteposuerit divitiis ejus et pollicitationibus. Absurdum autem et valde ineptum mea sententia fuerit, res tam diversas una et eadem elegia velle includere: iisdemque versibus et lamentari atque deplorare Cynthiæ discessum, et iterum gloriari atque exsultare et mansione ejus et profectione omissa. *Lipsius.*

Tune igitur] Cynthiam, cum quodam, qui ex prætura in Illyriam proficiscebatur, ire meditantem, dehortatur, ne id faciat: mox, se ei, quod voluerat, persuasisse, lætatur: sed hunc prætorem ex Illyria reversum postea coluit Cynthia. Vide Elegiam quandam e lib. II. cujus principium est 'Prætor ab Illyricis.'

7 *Tu pedibus teneris positas sulcare pruinas*] In nostro liquide scriptum est *positas fulcire ruinas*. Ruinas vocat, ni fallor, ruentem cælo aquæ concretæ et navis stragem. Hoc enim exprimit belle Petronius: 'Ipsæ jam nubes ruptæ super arma cadebant, Et concreta gelu putri velut unda ruebat. Victa erat ingenti tellus nive.' Fulcire pro, calcare, καὶ στίβειν posuit elegantissimus scriptor Cor. Celsus libro septimo, ubi περὶ θεραπείας ὄρχεων agit: 'Quod ubi incidit, linamenta super non fulcienda, sed leviter tantum ponenda sunt.' Nam ibi plane fulcire est τὸ πιέζειν. Quanquam et simpliciter potest intelligi fulcire, sustinere: nam aptum est verbum ruinæ. Apparet igitur commentitiam esse receptam lectionem, ut ne addam, quod sulcandi verbum hic minime aptum, quicquid argutentur Grammatici. *Scal.*

10 *Et sit iners tardis navita Vergiliis*] Veget. lib. IV. cap. XXXIX. 'A Novembri autem mense crebris tempestatibus navigia conturbat Vergiliarum hyemalis occasus. Ex die igitur tertio Iduum Novembris usque

in diem sextum Iduum Martiarum maria clauduntur,' &c. Quo tempore toto naves machinis in siccum subducebantur, eædemque appetente vere in mare trahebantur, Horat. teste Od. IV. lib. I. Item Hesiodus vetat post Vergiliarum occasum navigare, propterea quod eo tempore mare tempestatibus maximis concitatur: jubet autem naves in littus subducere, saxisque undique communire, ut ventorum vim facilius perferre possint. Isidorus lib. III. cap. LXX. Plin. lib. II. cap. XLVII.

Vergiliis] Quarum exortu aperiuntur maria. *Muret.*

11 *Solvatur funis*] Festus: 'Primnesius dicitur palus, ad quem funis nauticus religatur, quem alii tonsillam dicunt.' Funis, quo religata navis erat, vel per otium solvebatur: quod Virgil. I. Georg. ait, 'a terra convellere funem:' vel rumpebatur aut incidebatur a properantibus. Virg. III. Æn. 'Fugite atque ab littore funem Rumpite.' Et IV. Æn. 'Strictoque ferit retinacula ferro.' Cum vero exscensionem faciebant nautæ, funem illum jaciebant in littus, deinde alligabant navim: idque supare copulas dixit Attius Phœnissis apud Nonium: 'Abtorque proram ac supatortas copulas.' Funem illum, quo religata navis, oram vocant, unde 'solvere oram' Livio et Fabio in Epist. ad Triphonem Bibliopolam ante libros. *Passer.*

12 *Neve inimica meas*] Neve cogar pro te navigante facere, quæ tamen adversos et reflantes ventos nihil moveant.

13 *Atque ego non videam*] Atque utinam non videam tales ventos, quales imprecor tibi, residere, atque detumescere mare, quum solves ratem ab hoc litore. Desidere venti dicuntur, quum ponunt flatum, quum flaccescunt, ut loquitur Pacuvius Chryse. Nam hæc omnia perperam vulgo accipiebantur.

15 *Et me defixum vacua patiaris arena*] Hæc corrupta sunt non leviter ab imperitis correctoribus: quod tamen puto accidisse propter transpositionem, quæ hic commissa est; quæ etiam eodem modo erat in nostro manuscripto. Primum igitur in eo libro ita legitur hic versus: *Et me defixum vacua patiatur in ora.* Deinde animadvertimus nostrorum patrum ætate hæc corrupta fuisse propter illam, quam dixi, transpositionem. Nam distichon illud, 'Et me defixum' præcedere debet illud, 'Atque ego non videam.' Ita igitur et reponenda sunt et interpungenda: *Ne tibi Tyrrhena solvatur funis arena, Neve inimica meas elevet aura preces: Et me defixum vacua patiatur in ora Crudelem infesta sæpe vocare manu. Atque ego non videam tales subsidere ventos, Quum tibi profectas auferet unda rates.* Igitur, *vacua patiatur in ora*, scilicet aura. Ne aura elevet meas preces, neve patiatur me in vacua ora te crudelem vocare. *Scal.*

Vacua patiaris arena] Alii libri, iique veteres: *Vacua patietur in ora:* ut verbum *patietur* referamus ad undam ipsam: quod mihi quidem paulo magis arridet: nam illud alterum non satis intelligendo consequi possum.

16 *Crudelem infesta*] De Cynthia intelligo, et *infecta* lego: q. d. crudelem et sanguinariam. Nam 'Mentiri noctem, promissis ducere amantem, Hoc est infectas sanguine habere manus,' Eleg. 17. lib. 2. *Livineius.*

19 *Ut te felici vectam per cærula*] Hæc quoque non diu est, quum contaminata sunt. Habebat enim prisca lectio: *Ut te felici prævecta Ceraunia remo Accipiat placidis Oricos æquoribus.* Vocativus pro alio quovis casu, quum aliquem alloquimur. De quo in Ausonium satis diximus, ut: 'Stemmate quod Tusco ramum millesime ducis,' &c. Alibi idem est, 'Sic mihi te referas levis,' hoc est, levem. Lucillius: 'His te versibus interea contentus teneto.' Hic nominativo usus est pro accusativo. Apollinaris

Anthologiæ II. Εἰς Δολίους: Μέχρι τίνος, Πολύκαρπε κενῆς παράσιτε τραπέζης, Λήσεις κερματίους ψευδόμεν' ἀλλοτρίους; Ψευδόμενε ἀντὶ τοῦ, ψευδόμενος. *Scal.*

20 *Oricos*] Portus Epiri. Hecatæus apud Steph. Μετὰ δὲ Βουθρωτὸς πόλις, μετὰ δὲ Ὠρικὸς λιμήν. *Muret.*

21 *Nam me non ullæ poterunt*] Pro *tedæ* vetus scriptura habet *de te*, et pro *limine*, *lumine*. Quod nos ita legimus: *Nam me non ullæ poterunt corrumpere, de te Quin ego, vita, tuo lumine acerba querar.* Nullarum unquam mulierum amor me poterit flectere, quin ego ea querar de te, quæ tibi acerba futura sunt. Nam lumen tuum, hoc est, te ipsam: tuo lumine acerba, tibi acerba: *lumine*, pro, lumini: ut alibi 'ore' pro, ori: 'funere' pro, funeri. Ut supra 'nostræ gratissima vitæ:' hoc est, nobis. Supervacuum mihi videtur dicere eum in limine amicæ queri, quum hoc non sentiat, sed ubique de ejus perfidia se conqueri paratum esse. *Tedæ* autem, quod hic legebatur, nullum hic locum habet. Nam non conjugia intelligit, sed quemvis novum amorem. *Verba queri* non est Latinum. Unus quisque, quod magis placuerit, sequatur. *Scal.*

Nam me non ullæ] Scaliger, cùm in libro veteri pro *tæda* reperisset *de te*, pro *limine* vero *lumine*, sic legere nos docuit: *de te Quin ego, vita, tuo lumine acerba querar.* Quam summi viri emendationem, ut libenter amplector, sic ab explicatione non nihil abeo. Puto enim *tuo lumine acerba* dicta, sicut ob ea, quæ inviti spectamus, oculi nobis dolere vulgato proverbio feruntur. Nisi si legendum fortassis est: *Quin ego, vita, meo lumine acerba querar: de te meo lumine*, i. e. amica mea. Siquidem vesanientes illi amatorculi amasias suas lucem, lumen, et vitam vocare solent. *Scioppius Verisimil. l. 2. c. 6.* Malim equidem, si fas post magnos illos Criticos, *lumine vera querar*. *Vera* pro, justa. Qui et 'falsa' dixit sensu eodem lib. III. Eleg. 24. Passeratius edebat *verba querar*. Scottus Observ. l. 2. c. 7. Quod idem monuit Livineius. *Corrumpere de te* valde friget. Opinor scribendos illos versus: *Nam me non ullæ poterunt corrumpere formæ, Quin ego, vita, tuo limine acerba querar.* N. Heinsius ad Ov. 1. Fast. vers. 287.

23 *Nec me deficiet*] Nec me deficiet rogitare, οὐ παύσομαι πυνθανόμενος. Eadem figura alibi: 'Et mihi non desunt turpes pendere corollæ:' οὐ παύονται στέφανοι ἀναρτώμενοι. De hoc infra amplius. *Scal.*

25 *Et dicam, Atraciis*] Pro *Atraciis*, *Autaricis*: et pro *Eleis*, *Issais* dubitabundus reponebat Beroaldus: quod tamen non tanquam a dubitante, sed ut a jurato dictum esset, omnes editiones admiserunt. Quia mentio fit Illyrii, propterea putavit hic gentes Illyricas substituendas esse. Atqui proconsul iste non proficiscebatur in Illyrium: neque enim navem solvisset ab Ostiensi portu, sed a Brundusino. Ab Ostia enim manifesto solvit, quum ipse dicat: 'Ne tibi Turrhena solvatur funis arena.' Proficiscebatur autem in Achaiam; quod ipse postea his verbis declarat: 'Illa vel angusto mecum requiescere lecto, Et quocunque modo maluit esse mea, Quam sibi dotatæ regnum vetus Hippodamiæ, Et quas Elis opes ante-pararat equis.' Quia igitur Acroceraunia, quæ sunt in finibus Illyrii, ad Epirum usque, prætervehi necesse habebat, propterea tractus Illyrici meminit: et alibi, 'Dic alias iterum naviget Illyrias.' Quum igitur illam ad portum usque Oricum provehi optat, quid opus hic populis Illyrii? Sed, ut jam dixi, proprætor aut proconsul ille in Achaiam proficiscebatur. Itaque Atracii sunt populi Ætoliæ, quos Atracas Plinius vocat, ab Atrace fluvio, qui Ionio confunditur. Ab eo sunt initia Achaiæ. Itaque, quum Catullus ait, Smyrnam Cinnæ

Atracis ostia penetraturam, innuit eam in Græciam perventuram, ut hominum Græcorum quoque manibus teratur. Quare male censet Beroaldus hic *Autaricis* pro *Atraciis* reponendum: ut pari errore *Issæis*, pro *Eleis*. Nam ad Eleos et Peleponesum ibat proconsul. Videtur enim manifesto Achaia provincia illi obtigisse. *Scal.*

Autaricis] Autarici et Hyllæi, populi Illyriæ. *Muret.*

27 *Hic erit, hic jurata manet*] Repone ex veteris scripturæ fide: *Hic erit hic: jurata mea est: rumpantur iniqui.*

32 *Sine me dulcia regna negat*] Canterus *ditia* mavult, et τὸ 'negat' interpretatur, recusat. Prompte quidem ille; cæterum mihi plus satisfacit *dulcia:* ut sit sensus: Cynthia sine me negat dulcia regna, scilicet esse dulcia, aut placere sibi: quomodo et Tibull. lib. III. 'Nec me regna juvent,' &c. *Dousa P.*

43 *Contingere sidera plantis*] Mallem *palmis*. Nam proverbium erat: Digito cælum tangere. *Scal.*

Contingere sidera plantis] Hujus quidem versus lectio recte habere videtur, invitis Lipsio et Scaligero, (nec non Scotto Observ. l. 2. c. 7. et Livineio) qui *palmis* contra veterum librorum fidem reponunt: quod sit proverbium, Digito cælum tangere. Propertius, quod amica potitus fuerit, triumphans, venustatem suam immortalitati et Deorum vitæ æquare dicit; quasi ipse tam beatus ut in cælum et Deorum numerum relatus videri possit, ubi, ut ait Catullus, stellas nocte premunt vestigia Divum. Recte dico pede terram ab eo contingi, qui terræ inambulat. *Scioppius Verisimil. l.* 1. *c.* 6.

ELEGIA IX.

4 *Et tibi nunc quævis imperat emta modo*] Non quævis sane: nam unam tantum deperibat. Sed bene vetus scriptura, *quævis*, non *quævis*. Scal.

11 *Mimnermi*] Paullo ante Solonem, ac Solonis etiam temporibus, claruit Mimnermus Colophonius, vel Smyrnæus. Elegiacis Poëtis accenset Censorinus in Fragmento, cap. IX. Apud Pausaniam quoque in Bœoticis legas elegiaco versu tradidisse pugnam Smyrnæorum contra Gygen et Lydos. Etiam Ἐρωτικὰ scripsisse indicat illud Propertii; 'Plus in amore valet Mimnermi versus Homero.' Supersunt hodieque ejus versus, adversus Solonis sententiam annum septuagesimum homini supremum statuentis. Nam ille octogesimum potius fatalem arbitrabatur. *Voss.*

16 *Medio flumine quæris aquam*] Ἐν θαλάσσῃ ζητεῖς ὕδωρ; id est, 'In mari quæris aquam.' Ibi quæris: quasi difficile inventu, ubi nihil aliud occurrat. Martial. si memini, 'Per mare quæris aquam,' inquit. *Erasmus.*

20 *Inferna vincula nosse rotæ*] Intelligit Ixionis supplicium et cruciatus ad rotam adstricti: de quo Virgil. lib. III. Georg. Ubi Servius.

25 *Nec te decipiat*] Tanquam adhuc rudem. Eleganter Aristænetus rudes et tyrones in amoribus προχειρότερον: ait ἐλεῖν ἢ λύκος λιπαρὸν ἄρνα καθεύδουσαν. *Gebh.*

Nec te decipiat &c.] Hoc videtur velle: Si putas, minus te ancilla tua arsurum, (sic Eleg. 24. lib. 2. 'Et se plus uni si qua parare potest') eo quod illa semper parata sit facere quod dictat distenta libido, et illa promptitudo satietatem tibi allatura videtur, erras. Quæ enim tua est et tuis in ædibus versatur cotidie, acrius amari solet; ab ea enim nec oculos avertere nec dormire, nec alio nomine sive alia causa, quam propter amorem, vigilare poteris. 'Cedat' pro, concedat, recte interpretatur Lipsius. Amor non concedit ut alio nomine vigiles. Sic Eleg. 5. lib. 1. 'de nomine,' h. e. ideo, sicut 'eo nomine'

pro ea re. *Scioppius Verisimil. lib.* 2. c. 6.

28 *Alio nomine*] Alterius puellæ. Περιφραστικῶς, pro altera puella: ut Eurip. Oreste, 1045. Ὦ ποθεινὸν ἥδιστόν τ' ἔχων Τῆς σῆς ἀδελφῆς ὄνομα. Ovid. Epist. Phyllidis ad Demoph. 'Quæ tibi subjeci latissima regna Lycurgi, Nomine fœmineo non satis apta regi.' *Livin.*

29 *Qui non ante patet, donec manus attigit ossa*] Beroaldus censet dictum, amorem non ante patere, donec intra medullas intraverit. At ego quæro, quid faciemus illo 'manus?' Nam si dixisset, *Qui non ante patet, donec attigit ossa*, hoc aliquid esset. Præterea verbum 'attigit' non pertinet huc cum illa significatione. Nam simplici potius usus esset, *tetigit*: ut: 'Quem tetigit jactu certus ad ossa Deus.' Quid quod hoc non vult poëta? non enim nunc tempus nec locus est huic sententiæ. Mens hujus loci hæc est, non quam olim hariolabamur: Amor non ante patet, quam emaciato corpore ossa cutem ipsam pene pertundant, ut ipsa manu tangi possint. *Scal.*

Qui non ante patet, donec manus attigit ossa] 'Attigit' pro, attigat, seu attingat, positum opinor. Futurum antiquum. Sic Horat. 'Edit cicutis allium nocentius,' pro, Edat. *Dousa P.*

Donec manus attigit ossa] Passerat. 'Manu tangere is dicitur, qui arcu et sagitta vulnerat; quod paullo ante: 'arcum sentire medullis.' Qui non ante manifestus est, quo usque ad ipsas medullas arcus et sagitta manu Cupidinis emissa pervenerit.' Quæ valde coacta ac parum vera sunt. Aliud est 'manu tangere;' aliter dixit Propertius 'manus attigit ossa.' Quod si dixisset, *arcus attigit ossa*: locum sibi posset statuere cum sua interpretatione Passeratius. Deinde huc non pertinet illud 'arcum sentire medullis;' hoc cum eo contendendum erat, quod dixit Eleg. VII. vers. XV. 'Certo puer hic concusserit arcu.' Quidam Græcus magister dixit, κατὰ ψυχῆς ἐπιστρατεύεσθαι τῷ ἐρωτικῷ τόξῳ; idem κατά τινος ἐπιστρατεύεσθαι τοῖς ἐρωτικοῖς βέλεσι. Expono igitur cum Scaligero: Rudis amans nescit in se amorem iniisse, donec admoverit manus, et manifestissime deprehenderit ossa ac pellem se esse, marcuisse se, ac contabuisse misera macritudine. Alludit autem simul ad Græcorum Proverbium: Ὅπου τις ἀλγεῖ, κεῖσε καὶ χεῖρ' ἔχει. Nec non pertinet huc Græcus Senarius: Νοῦς ἱμμέριμνος, σῆς βιβρώσκων ὀστέα. Pergo: Verbum 'attingere' non ceperunt. Non hic ad vulgi stateram expendendum est. Modo enim abstruso et Græcis familiari pro αἰσθάνεσθαι traduxit Callimachus noster. Sic Græci ἅπτεσθαι pro αἰσθάνεσθαι usurpant. Euripidis Hecub. vers. 675. Lucilius lib. VI. 'Neque prius quam venas hominis tetigit ac præcordia.' *Livin.*

34 *Sæpe in amore levat*] Scriptus liber, *juvat*. Quod melius est. *Scal.*

ELEGIA X.

1 *O jucunda quies*] Gallus, cum puella, cujus recenti amore inarserat, nocte quadam collusurus, arbitrum deliciis suis primisque cum ea velitationibus adhibuerat Propertium. Quo e spectaculo tantam se voluptatem hausisse dicit, vix ut, quamvis multa jam nocte, abstrahi posset; utque nunc quoque in illius noctis memoria jucundissime acquiescat. Ergo, ut præmium amico aliquod persolvat, defert ei operam suam ad multa amantibus utilia, quorum se peritum esse profitetur. Ad extremum etiam ei aliquot conservandi amoris præcepta tradit. *Muret.*

Primo cum testis Amori] Invicem amantes initiatos sacris Cupidinis assumunt. Melitte, quod audacius

Veneris mysteria preloquatur, nullam pudoris et honesti rationem ducens, satisfacere se credit hac excusatione, quod ad initiatum hæc dicat: lib. v. Achil. Tatii; Εἰ δέ τι σοι προπετῶς ἐθρασυνάμην, σύγγνωθι φίλτατε· ἔρωτ ἀτυχῶν καὶ μαίνεται. ἀσχημονοῦσα οἶδα, ἀλλ' οὐκ αἰσχύνομαι τὰ τοῦ ἔρωτος ἐξαγορεύουσα μυστήρια. πρὸς ἄνδρα λαλῶ μεμυημένον. *Gebh.*

2 *Adfueram vestris conscius in lacrimis*] Propertiana loquutio, 'conscius in lacrimis,' imo archaica. Alibi: 'Surget et invitis spiritus in lacrimis.' Item: 'Tantus in erepto surgit amore dolor.' Catullus: 'In mala Deditus vir adultera.' *Scal.*

Vestris conscius in lacrymis] Non desunt, qui legend. putent *Affueram v. c. inlecebris.* Lacrymarum tamen, ead. in re narranda, inf. quoque mentio est: 'Vidi ego te toto vinctum languescere collo, Et flere injectis, Galle, diu manibus.' *Muret.*

5 *Cum te complexa*] Ita videtur dixisse 'complexa puella,' ut 'Expertæ metuens jurgia sævitiæ.' Utrunque autem etiam Ciceronis exemplo confirmari potest: pro Sex. Roscio: 'Scelestum, Dii immortales, ac nefarium facinus, atque ejusmodi, quo uno maleficia ac scelera omnia complexa esse videantur.' Id. pro Balbo: 'Cujus igitur audita virtus dubitationi locum non daret, hujus præsens, experta, atque perspecta obtrectatorum voce lædetur?' Atque in his loquendi generibus nimium religiosi sunt quidam nostri temporis homines: ita ut interdum etiam Veterum scripta corrumpere audeant: sicubi illi contra eam, quæ nunc est, consuetudinem aliquid dixisse videantur. Quale est, quod designarunt in ipso principio elegantissimi libelli, quem scripsit Q. Cicero de Petitione Consulatus. Id enim cum ita legeretur in omnibus ad unum antiquis libris: 'Etsi tibi omnia suppetunt, quæ consequi ingenio, aut usu, aut diligentia possunt:' inculcata est ab istis vox *homines:* ne illud *consequi* παθητικῶς, ut erat, positum videretur. Atqui, si librorum consensio, quam nemo unquam sapiens contemnendam putavit, nihil istos movebat; recordari certe eos par fuit, *assequendi* verbum eod. illo modo usurpatum esse a M. Tullio: cujus hæc sunt e lib. 2. Accusationis: 'Ac, ne forte ea, quæ remota de medio atque erepta vobis sunt, omnia ita condita fuisse, atque ita abdite latuisse videantur, ut hac diligentia, quam ego a me expectari maxime puto, nihil horum investigari, nihil assequi potuerit,' &c. *Muret.*

6 *Vidimus in longum ducere verba moram*] Alia lectio est in scripto: *Quum te complexa morientem, Galle, puella, Vidimus et longa ducere verba mora.* Quæ non aspernanda sunt. *Scal.*

Longa ducere verba mora] Verbosa gaudet Venus loquella, amantque amantes colloquiis arcessitis tempus terere. Petronius: 'Quumque diu mecum esset locuta, et me arcessito sermone lassasset.' Achilles Tatius lib. II. Ὡς περιέπλεκον λόγους ἐκ λόγων, τὸ αὐτόματόν μοι συνήργησε: lib. IV. Περιπλοκὰς ἐξήτει λόγων. *Gebh.*

7 *Quamvis labentes*] Duæ causæ erant, cur discederem: quod et dormire cupiebam, et media jam nox erat: at utranque facile superabat ea, qua spectandis lusibus vestris perfundebar, voluptas. *Muret.*

8 *Et mediis cœlo*] Ad medium cœli provectis. *Id.*

Luna ruberet] Est ne ita dictum 'ruberet,' ut 'Vento rubet aurea Phœbe?' Equidem nihil tale intelligend. putarim. Sed ne Volsco quidem accesserim, qui rubescere ait Lunam, cum appropinquat dies. Mihi sane pallescere potius videtur. Opinor igitur, iccirco hoc verbo usum Poëtam, quod multi e veteribus ignea esse credebant corpora cœlestia:

eamque opinionem poëtæ fere insequuntur. Ruber autem est ignitorum color. *Muret.*

Equis] Alii a mulis, alii a juvencis ejus bigas trahi aiunt.

20 *Quæque cavenda forent*] Interpolata ex veteri scriptura: Nam ita in libro nostro legitur: *Quæque querenda forent.* Lego, *Quæque verenda forent.* Nihil tamen de sententia deperit. *Scal.*

26 *Quando contemnitur*] Fuit tempus, cum vix putabam vocem *quando* hoc sensu a Veteribus acceptam legi. Legitur tamen, sed non sæpe. Plaut. 'Hæc urbs Epidamnus est, dum hæc agitur fabula. Quando alia agetur, aliud fiet oppidum.' Idem: 'Juventus nomen fecit Peniculo mihi: Ideo quia mensam, quando edo, detergeo.' *Muret.*

28 *Effecto bono*] Ita legitur: in quo enucleando an interpretum quispiam boni effectus compos evaserit, nescio, hactenus quidem. Ego certe postremam literam in voce *effecto* inducendam opinor, versumque hoc modo rescribillandum: *Hoc magis effectu sæpe fruare bono.* Nam et infra libro quoque III. eandem usurpat phrasin, secum et cum animo suo de Tabulis amissis insolabiliter conquerens: 'Semper et effectus promeruere bonos.' *Dousa P.*

ELEGIA XI.

1 *Ecquid*] Profecta ad aquas Cynthia, atque illic desidente, metuit, ne ipse ex animo illius excidat, ne ve se alius quispiam in ejus amorem insinuet: quare eam, ut illa loca relinquat, hortatur. Ordo autem verborum, quod est paulo perturbatior, fefellit interpretes: eum igitur indicabo. Ecquid cura subit te, o Cynthia, cessantem mediis Baiis abducere, i. e. abducendi, exigendi, noctes memores nostri? *Muret.*

3 *Et modo*] Exponit, quod antea dixerat, 'cessantem.' Ita, inquit, ociosam et vacuam, ut totos dies mireris modo ac contempleris vicinum mare, aliud præterea nihil negocii habens. Sed, quod illa maria Epiro, id enim Thesproti regnum est, subdita esse dicit; equidem, id quomodo accipiend. sit, non assequor: nam neque ea, quæ a Beroaldo et Volsco dicta sunt, placent; neque mihi quicquam, quod plane approbem, venit in mentem. *Muret.*

Thesproti] Pansalii lectio *ta Proteï* placet. Sanazarii apud Alex. ab Alexandro Genial. Dieb. dura *te Presbyte* non item probatur. Vide Turneb. II. cap. I. *Tesproti* Vat. Lege Silii versus lib. 7. 84. *Livin.*

4 *Proxima Misenis*] Non est dubium, quin ita interpolarint Grammatici, quum lepida repetitio sit in nostro: *Et modo Thesproti mirantem subdita regno, Et modo Misenis æquora litoribus.* Intelligit duo maria, alterum Puteolis, alterum Misenis subjectum. Dion libro quadragesimo octavo: Ἐν τῇ Κύμῃ τῇ Καμπανίδι χωρίον τι μεταξὺ Μισήνου καὶ Ποτεόλων μηνοειδές ἐστιν. ὄρεσί τε γὰρ σμικροῖς καὶ ψιλοῖς πλὴν βραχέων περιείληπται, καὶ θάλασσαν τριπλῆν κολπώδη ἔχει. Deinceps ponit quæ sint eæ θάλασσαι. In medio mari erant Baiæ, nempe prope Lucrinum. Quum igitur Cynthia esset Baiis, sinistra Puteolos, quæ est ora Thesprotia, dextra Misenos habebat. In ora Cumarum, quæ Græcis coloniis Abantum prætexta erat, sunt Puteoli: quam oram propterea vocat regnum Thesproti, quia Thesprotus nomen fecit Thesprotiæ Epiri: a qua Ambraciotæ Abantes profecti occuparunt eam oram, ubi fuerunt Cumæ, ut et mediocriter docti sciunt. Quid ergo est, quod hic tam facessit negotium doctissimis viris? Amabo, desinite, præclari in doctrina viri, amplius in re vel pene pueris nota hæsitare. Primus ansam dubitandi dedit amœni vir ingenii Jacobus Sannazarius apud Miscel-

laneorum scriptorem Alexandrum de Alexandro Neapolitanum. Si miraris Thesprotiam dici, ubi Thesproti coloni sunt, quare non etiam miraris Franciam in Celtis, Langobardiam in Insubribus, Burgundiam in Maxima Sequanorum, Vasconiam in Novempopulania? At tandem rixarum modus esto. Quod igitur falsa sit et vitiosa vulgata lectio, apparet ex verbis Dionis, quæ supra adduximus. Nam idem sinus non est subjectus Thesprotiæ Cumarum, qui et Misenis, sed inter hunc et illum est Baianus. Quare hic error erat et ἀχωρογραφησία. *Scal.*

5 *Nostri cura subit memores abducere*] *Abducere noctes* pro, abnoctare, dici Latine, non mihi persuadeo. Sed neque multo sincerior est scriptura nostra, *adducere*. Lego, *ah ducere:* perspicue verum. *Idem.*

8 *Sustulit e nostri*] Nam in caussa erit, ne amplius celebrem te carminibus meis. *Idem.*

E nostris carminibus] A lectione meorum carminum, quæ tuam mei memoriam confirmarent. Erat autem erudita hæc puella, ut multis e locis intelligimus, mirificeque versibus Propertii capiebatur. Unde est illud: 'Nam, mea cum recitat, dicit, se odisse beatos. Carmina tam sancte nulla puella colit.' *Muret.*

9 *Atque utinam*] Utinam potius aut navigando aut natitando ocium fallas, quam aures alienis blanditiis præbeas. *Scal.*

Mage] Potius. *Muret.*

11 *Aut teneat*] Aut lympha, facilis cedere alternæ natitantis manui, teneat te in unda tenui clausam. *Idem.*

Tenui tentantis in unda] Noster liber et Commentarius Beroaldi, *Teutantis:* una litera plus lego, *Teutrantis.* Nam Teuthras est nomen Græcum, et aptum Græcæ coloniæ. Præterea Silius Italicus, quum soleat fingere nomina a fluviis, Cumanum quendam vocat Teuthrantem, libro undecimo: 'Personat Euboicæ Teuthras testudine Cymes Incola.' A Baiano igitur vicino fluviolo Teuthrantem Cumanum vocat. Quis dubitat esse aut fluviolum, aut Euripum, quum ipsemet Poëta id clare loqui videatur? *Scal.*

Natitantis] Alii *Teutantis:* et meras ineptias afferunt. Meus vet. lib. habet *natantis:* unde conjecturam feci legend. esse *natitantis.* Muret.

12 *Manu*] Antique pro, manui: sic alibi: 'Nec mirum: cum sit Jove digna, et proxima Ledæ Et Ledæ partu.' Rursusque alibi: 'Tantaleæ poterit tradere poma manu.' *Idem.*

20 *Attulerint nostri*] Interpunctum unum perperam collocatum, et una littera mutata, sententiam huj. v. corruperant: qui a nobis ex antiquis libr. integritati restitutus est. *Idem.*

21 *An mihi sit major*] In aliis libr. *An m. non major:* quo nihil ineptius. *Idem.*

ELEGIA XII.

1 *Quid mihi*] Accusabatur desidiæ ab aliquo amicorum, qui etiam desidiæ illius caussam conferebat in amorem Cynthiæ: eo enim Propertium frangi, ac dissolutum effici, et ab agendis rebus abduci. Respondet ipse, multum abesse, ut ita sit: Cynthiam enim non tantum corpore distractam a se, verum animo quoque abalienatam esse. Tum queritur, quod neque eam præsentem alloqui, neque ad ullam aliam amandam applicare animum possit. *Muret.*

2 *Quod faciat*] Hic versus varie legitur in vetustis libris: sunt, in quibus hoc modo: *Quod faciat nobis conscia Roma moram:* in aliis *Cynthia R. moram.* Ego autem suspicabar ita legend. *Cynthia amore moram.* Hanc autem e vocum similitudine elegantiam consectatus est etiam in Eleg. quæ proxime sequitur: 'Certus et in nullo quæris amore moram.' *Idem.*

Moram] *Notam* Posth. i. e. nos traducat et differat, ut alibi: 'Nunc in

amore tuo cogor habere notam.' Idem placuit et Lipsio Var. Lect. 1. cap. 10. *Livineius.*

4 *Quantum Hypanis*] Ex opinione sua et amatorie loquitur. *Muret.*

Hypanis] Servius in illud IV. Georg. 'Saxosumque sonans Hypanis,' Ponti fluvium Hypanin esse, ait. Hypanin Herodotus ex Scythia venientem ait fluere ex magna palude, quæ Mater Hypanis dicitur. Vide Plin. lib. IV. cap. XII. Cic. III. Tusc. et Aristot. v. de Nat. Anim. Apud eundem bestiolas (vermiculos Plinius vocat) nasci scribit, quæ unum modo diem vivant. Solinus principem esse ait amnium Scythicorum, potui inutilem, ob amaritiem aquarum nescio cujus fonticuli in ipsum influentis. Vide omnino Salmasium variis in locis Plinianarum Observationum ad Solin.

Hypanis] Duo sunt hoc nomine fluvii; unus in India, ad cujus ripam sunt formicæ, quæ effodiunt aurum; alter in Scythia. *Muret.*

Eridano] Non eruditis modo, quibus hæc omnia notissima sunt, sed neminem esse credo tam in literis hospitem, cui notum non sit Eridanum a Græcis dici, quem Latini Padum vocent. De hoc tamen fluvio, qui sit, ubi sit, aut omnino sit, nec ne sit, mirum quantum inter se antiqui scriptores discrepent; aliis eum cum Pado eund. esse, aliis eund. cum Rhodano; aliis in Padum, aliis in Rhodanum influere; aliis in Venetia, aliis in Iberia, aliis etiam, quorum sunt Herodotus, et Strabo, nusquam omnino esse dicentibus. Pausanias Eridanos agnoscit duos, in Gallia unum, alterum in Attica. *Idem.*

10 *Lecta Prometheis dividit herba juga*] Contenderim Poëtam significasse ex herba Pharmacum, quod Promotheum Apollonius Argonaut. III. vocavit. Cujusmodi porro foret ea, nec edocere quidem supersedit. Scribit autem natam primo ex cruore ac sanie in terram stillante, dum Promethei jecur aquila rostro lancinans in Caucaso depasceretur. Ejus, inquit, flos prominet cubiti mensura, colore corycio, assimilis croco, caule gemino; radix sub terra caro videtur recens incisa; succum dicit nigricantem esse tanquam phagi. Nec vim item tacet: Si, inquit, Proserpinæ re divina noctu peracta, hoc corpus linias, ferro nullatenus oblædi poteris: neque item ignis incendia sentire. Hæc nimirum ubi legisset Propertius, Carmini inseruit, ceu medicamento eodem ita Cynthiæ mens in eum obduruisset, ut nec igneos amoris afflatus persentisceret, ac nullos Poëtæ æstus curaret. *Rhodiginus.*

Lecta Prometheis] Promethea juga Caucasum dicit: creditus est autem is quoque mons herbarum ad incantationes potentium ferax. Sen. Medea: 'Congerit in unum frugis infaustæ mala, Quæcunque generat invius saxis Erix, Quæ fert opertis hieme perpetua jugis Sparsus cruore Caucasus Promethei.' Cœlius autem Rhodiginus, dum in h. l. explicando nova quædam afferre vult, attulit non nova tantum, verum etiam aliena et absurda. *Muret.*

ELEGIA XIII.

1 *Tu quod sæpe soles*] Lætaberis, inquit, et quodam modo insultabis mihi, quod, distractus a Cynthia, amores amplius non exerceam. *Muret.*

6 *Certus et in nullo*] Bis repetenda negatio: in nullo amore certus, in nullo amore quæris moram. *Idem.*

Certus et in nullo quæris amore moram] Sic Eleg. XV. 'faciem quærere' dixit. Et lib. II. Eleg. V. 'quærere prælia:' lib. IV. Eleg. IV. 'quærere somnia,' antique. Ita enim 'quærere auguria' Ennius apud Ciceronem lib. I. de Divinat. usurpavit, hoc versu, 'At Romulus pulcher in alto Quærit aves,' id est, augurium. *Livineius.*

7 *Perditus in quadam, &c.*] In usu ita loquebantur; ægrum esse in aliqua,

pallidum esse, perditum esse, commotum esse. Terentius: 'Quid ego ejus tibi nunc faciem prædicem aut Laudem, Antipho? In hac commotus sum.' Nam 'commotus,' ὁ μανείς, ὁ παρακεκινηκώς, ut alibi, 'Ego te commotum reddam.' Sic 'commotus in aliqua,' ὁ μανεὶς ἐπί τινι. Apud Ovidium, 'Deus arsit in illa.' Idem: 'Pallidus in Lyrice sylvis errabat Orion: Pallidus in lenta Naiade Daphnis erat.' *Salmasius.*

8 *Et primo lapsus*] Lapsus ab illo constantiæ gradu, quem prius obtinebas. *Muret.*

Primo lapsus adire gradu] Accipio primas amoris partes seu lineas seu gradus, aspectum ac colloquium. Sic Terent. 'extrema linea amare' dixit. *Livin.*

Lapsus adire gradu] Legendum putabam *lapsus abire gradu*. Ut sit translatio a gladiatoribus, quorum ex arte positura gradus dicitur; de quo videnda Lipsii Saturnalia. Quasi dicat: In decipiendis puellis et vulgivaga illa venere tua, seu vagis (ut ait Seneca) ignibus lassus, incipis a pristina illa tua constantia discedere, et victas puellæ manus dedere. *Scioppius Verisimil. l. 4. c. 6.*

14 *Vidi ego*] Sup. 'O jucunda quies.' *Muret.*

17 *Optatis animam deponere verbis*] *Membris* legunt Scaliger et Dousa P. quia continue subjungit, 'Et quæ deinde meus celat, amice, pudor.'

Optatis animam deponere verbis] Alii non *verbis*, sed *membris* legunt, quibus assentior, maxime propter Pentametrum, quod sequitur: 'Et quæ deinde meus celat, amice, pudor.' Sic lib. II. 'Quod mihi si ponenda tuo sit corpore vita.' *Dousa P.*

Animam deponere verbis] Non dubitamus Propertium scripsisse: *Et cupere optatis animam deponere membris.* In libris scriptis mirum quoties *verba* et *membra* inter se commutant. *Scal.*

21 *Non sic Æmonio*] Fabula est ap. Homer. XI. Od. et ap. Lucian. in Dial. Marinis: ac suspicari f. confidentior aliquis possit, Propertium h. l. aut memoria lapsum, aut nominum similitudine deceptum esse. Is enim Enipeus, cujus amore flagravit Tyro, non in Thessalia est, sed in Peloponneso. In Thessalia autem non Enipeus, sed Eniseus fluit, ab hoc alius: ut cognoscitur ex octavo Strabonis lib. Ac ne quis f. Beroaldum secutus, putet utrunque Enipeum dici, et Propertium, more poëtis non inusitato, uni eorum tribuisse, quod esset alterius, ap. Strab. autem Eniseum pro Enipeo vitiose legi; sciat hoc ipsum discrimen Enipei et Enisei e Strab. annotatum esse ab Eustath. *Muret.*

23 *Nec sic cœlestem*] Hercules in cœlum receptus, Heben dixit uxorem: itaque ap. inferos, non Herculem ipsum, sed ejus tantum simulacrum Homericus Ulysses sibi visum esse ait: Τὸν δὲ μετ' εἰσενόησα βίην Ἡρακληείην, Εἴδωλον· αὐτὸς δὲ μετ' ἀθανάτοισι θεοῖσι Τέρπεται ἐν θαλίῃς, καὶ ἔχει καλλίσφυρον Ἥβην, Παῖδα Διὸς μεγάλοιο, καὶ Ἥρης χρυσοπεδίλου. *Idem.*

Nec sic cœlestem flagrans amor Herculis] 'Flagrare aliquam,' sicut 'ardere,' est, amare. 'Amor Herculis' i. e. Hercules. Tales enim periphrases Græcissantes apud Propertium sæpius occurrunt. Sic lib. 1. Eleg. 20. 'errorem Herculis' dixit: et Eleg. 4. lib. 3. 'quorum labores,' pro, qui laborantes. *Scioppius Verisimil. l. 4. c. 6.*

Flagrans amor] Ac serio quidem flagrans: neque ullus unquam amator verius ardere dictus est. *Muret.*

24 *Sensit in Œtæis*] Falsum. In Œtæis jugis arsit: in cœlo duxit Heben uxorem. Legendum: *Sensit ab Œtæis.* Idem invenies apud alios poëtas. Nam ab Œtæis rogis in cœlum venit, ubi Heben accepit. *Scal.*

30 *Et Ledæ partu*] Pro, partui, antique. *Muret.*

Gratior una tribus] Leda ipsa, et Helena, et Clytemnestra: ut præclare exposuit Beroaldus.

31 *Illa sit Inachiis et blandior*] Male hæc distinguuntur vulgo. Ita enim potius legenda: *Nec mirum, quum sit Jove digna, et proxima Ledæ, Et Leda partu: gratior una tribus Illa sit Inachiis et blandior Heroinis. Tribus Inachiis heroinis*, hoc est, Leda, Helena, et Clytemnæstra. Nam male interpres Beroaldus.

35 *Error*] Pro amore poëtis passim. Plurima exempla collegit Nobilissimus Heinsius ad Ovid. Amor. l. 1. Eleg. 10. et Metam. lib. 10. vers. 342.

36 *Et quodcunque*] Ego *quotcunque* malim, ut significet Poëta: Utinam sit una hæc instar omnium: 'Et quasi pro multis millibus una tibi.' Sic Sappho Ovidiana ad Phaonem suum: 'Abstulit omne Phaon, quod vobis ante placebat; Improbe, multarum quod fuit, unus habes.' *Dousa P.*

Et quodcunque voles una sit ista tibi] Martialis: 'Et quicquid voluit testa vocatur anus.' *Scal.*

ELEGIA XIV.

1 *Abjectus Tiberina molliter unda*] Elegans loquutionis ratio est: i. e. leviter, temere, atque sine arte projectus et quasi effuse jacens. Sic Dido apud Ovidium: 'Sic, ubi fata vocant, udis abjectus in herbis Ad vada Mæandri concinit albus olor.' *Dousa P.*

3 *Et modo tam celeres, &c.*] Quod postremum nobis interpretatus est Ovidius lib. IV. Tristium, ubi scribit: 'Cantat et innitens limosæ pronus arenæ, Adverso tardam qui trahit amne ratem.' *Dousa P.*

5 *Et nemus omne satas, &c.*] Hanc esse puto sententiam: Licet omne nemus silvas vertice ita intendat et superno augeat, ut cum altissimis Caucasi arboribus contendere velle videantur, quæ res tibi voluptatem non vulgarem conciliat, meus tamen in Cynthiam ardor longe majori jucunditati esse solet. Silvas pro arboribus posuit, et intendere pro augere, sicut Lucretius lib. 6. de fulminis mobilitate: 'Quæ plagis intendant mobilitatem.' *Scioppius Verisimil. lib. 3. c. 4.* Pro *satas* puto leg. *sacras*. Virgil. 'Atque arbuta sacræ Deficerent sylvæ.' *Livineius.*

ELEGIA XV.

1 *Sæpe ego multa tuæ levitatis dura timebam*] In ora nostri libri eadem manu adpositum erat, *levitatis duræ*: quod verum est, et a nobis probatur. *Dura levitatis*, ut Horatius, 'per acuta belli.' *Scal.*

Sæpe ego multa] Queritur de perfidia Cynthiæ: quod, cum ipse in magnum discrimen adductus sit, illa nihil omnino de eo laboret, neque quicquam remittat de pristino colendæ formæ studio: se tamen unquam illius amorem ex animo depositurum negat. Quod autem fuerit periculum, in quo tum constitutus erat Poëta, divinare fas non est; nisi [Ruhnken. monet hic scribend. *ut* pro *nisi*] illud quidem constat, urbem eum reliquisse, et mare conscendisse. *Muret.*

5 *Et potes externos*] Lego *hesternos*. Livineius. Diu est quod scribendum vidi: *Et potes hesternos manibus componere crines.* Quam conjecturam confirmavit postea Neapolitanus codex satis vetustus, et alter qui penes me exstat. De externis et adscititiis crinibus quæ dici possint scio: sed huic opprobrio hic locus non est. Potes, inquit, singulis diebus crines componere. 'Hesternis corollis' pari modo dixit lib. 2. Eleg. 34. pro heri plexis, ut recte illic restituit Lipsius: et 'hesternas lucernas' lib. 3. Eleg. 7. quæ vera illic scriptura. 'Hesternas rosas' Ovid. lib. 3. Amor. Eleg. 7. pro heri carptis. *Heinsius ad Ovid. Artem lib. 3. vers. 154.*

6 *Longa faciem quærere desidia*] Hoc est, καλλωπίζεσθαι κατὰ τὸ γυναικῶν ἔθος, quæ morantur longius, dum se poliunt ac comunt. Cicero pro Milone:

'Milo autem, cum in Senatu fuisset eo die, quoad Senatus est dimissus, domum venit; calceos et vestimenta mutavit; paulisper, dum se uxor, ut fit, comparat, commoratus est.' Sed etiamdum speculum consulunt de facie. Aristænetus lib. I. Epist. XXV. Πρῶτον μὲν ἦλθε περιεργότερον κοσμηθεῖσα καὶ στίλψασα τὰς παρειὰς ἀτρέμα, καὶ πρὸς ἔσοπτρον, ὡς εἰκὸς, διαπλεξαμένη καὶ εὐθετίσασα τὰς κομάς. Ovid. lib. IV. Met. 'Nec tamen ante adiit, etsi properabat abire, Quam se composuit, quam circumspexit amictus, Et finxit vultum et meruit formosa videri.' Faciem vero quærere desidia non est, longa inertique mora speculum de forma interrogare: sed formam acquirere ac conciliare diu desidendo ac præbendo sese ornatricibus. Tibullus tardam vocat artem: lib. I. Eleg. VIII. vers. XV. 'Illa placet, quamvis inculto venerit ore, Nec nitidum tarda compserit arte caput.' Aristænetus: κἂν ἀκόσμητος ᾖ, δι' ἁβρότητα τεθάῤῥηκεν ἑαυτῷ. Fabius formæ 'laborem' lib. VIII. Procemio. *Gebh.*

Sederat] Sedere solebant lugentes. Hesychius: Καθέδραι, πένθους ἡμέραι ἐπὶ τετελευτηκόσιν. Unde Turnebus de feriis denicalibus exponit illud ex Virgil. Æn. lib. IX. 'Luco tum forte parentis Pilumni Turnus sacrata valle sedebat.' Idem de Luscinia lugente, IV. Georg. 'At illa Flet noctem, ramoque sedens miserabile carmen Integrat.' Cic. lib. II. de Leg. 'Feriæ denicales residentur mortuis.' Homer. Odyss. X. Ἑζόμενοι δὲ κατ' αὖθι γόων, τίλλοντό τε χαίτας. Sedentes autem illic gemebant, et comas vellebant. *Pass.* Vid. Kirchm.

15 *Alphesibœa*] Ita vocabant omnes elegantioris formæ puellas: quasi, quæ reperirent procos, qui ipsis boves darent dotis nomine. Eo enim pecore solitos uti antiquissimos in æstimandis rebus, nondum introducto usu nummorum, indicat vel illud τεθρυλλημένον, ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων. At hic nomen proprium est. Historiam autem, quam hic tangit Propertius, diffuse exponit Paus. in Arcad. nisi quod ap. eum fratrum ab Alphesibœa interfectorum nulla mentio. *Muret.*

18 *Hypsipyle*] Ov. Epistolis, Papinius VI. Interpres Pindari in Nemea. *Muret.*

20 *Hospitio*] Ut servitium pro servo dicimus, sic 'hospitium' hic pro hospite accipimus. *Muret.*

21 *Evadne*] Hæc initio Janira dicebatur: sed, ut Alphesibœas vocatas diximus, quæ, propter pulchritudinem, reperirent magnam dotem; (uxores enim a viris, non, ut nunc, viros ab uxoribus, dotem accipere mos erat;) ita hæc Evadne dicta est, quod bene dotata esset a Capaneo conjuge: ἕδνα enim vocabant nuptialia munera. Hanc Iphidis filiam fuisse, ait Interpres Pindari: et ob id Iphias ab Ovidio vocatur. Hygin. tamen Phylaci filiam facit. *Muret.*

24 *Tu quoque*] Simile illud Juvenalis: 'Ut pueris placeas et declamatio fias.' *Dousa P.*

25 *Revocare tuis perjuria verbis*] Genus satisfactionis erat apud Veteres jurare, NOLLE SE FACTUM. Sic apud Terent. Adelph. Act. II. Sc. I. Sannio indignis modis acceptus ab Æschino: 'Tu quod te,' inquit, 'posterius PURGES, NOLLE HANC INJURIAM MIHI FACTAM ESSE; hujus non faciam: crede hoc, ego meum jus persequar: Novi ego vestra hæc: NOLLEM FACTUM: DABITUR JUSJURANDUM ESSE TE INDIGNUM INJURIA HAC: cum ego indignis sim acceptus modis.' Hoc est ergo quod 'revocare' dicit Propertius. *Livin.*

26 *Oblitos parce movere Deos*] I. e. Parce Deis oblitis incutere delicta tua. Deos oblitos et quasi veterno delictorum tuorum pressos cave excites. 'Movere' hic est, κινεῖν. Sic Græci: Κύνα καθεύδουσαν μὴ κινεῖν. Et qui obdormiverunt motu excitantur. Apollonius lib. I. Τὴν δ' ἔγε κε-

εἰλυμένον μαλακοῖς ἐνὶ κώεσιν οἰῶν Κινήσας ἀνέγειρε παρασχεδόν. Gebhard.

27 *Audax ah*] Sic Horat: 'O dolitura mea multum virtute Neæra.' *Dousa P.*

28 *Si quid forte tibi durius inciderit*] Prisca formula in vitanda mortis mentione; nam omnino a mortis mentione abhorrebant Veteres. Apud Cæsar. Julium, lib. III. de B. C. 'Pompeius, Tueamini, inquit, castra et defendite diligenter, SIQUID DURIUS ACCIDERIT.' Voce HUMANITUS etiam persæpe hac in re utebantur. Ut Ennius Ann. I. 'Sei quid me fuvit HUMANITUS, ut teneatis.' Apul. Apol. 'Ne, si quid ei HUMANITUS accidisset, nomen maritus in uxoris tabulis non haberem.' Cic. Philip. 'Si quid mihi HUMANITUS accidisset.'

29 *Multa prius*] Nihil temere affirmaverim: sed, si quis meam conjecturam antiquus liber adjuvet, libenter pro *multa* legerim *muta*: ut significet: Prius fore ut flumina tacita et sine ullo strepitu labantur in mare, quam ipse Cynthiam amare desinat.

Labentur] Veteres libri *labantur*: et melius convenit cum eo, quod sequitur, 'duxerit.'

33 *Quamve mihi viles isti videantur ocelli, &c.*] Nonnunquam et per oculos suos jurabant. Plaut. Menæch. Sc. ult. 'Sultis PER OCULOS JURARE.' Atque ita Amicæ, delitias facientes, sæpe jurabant. Ovid. lib. II. Amor. Eleg. XVI. 'At mihi te comitem JURABAS usque futuram, PER ME, PERQUE OCULOS, sidera nostra, TUOS.' Idem lib. III. Am. Eleg. II. 'PERQUE SUOS illam nuper JURASSE recordor, PERQUE MEOS OCULOS.' Noster hoc loco: 'Quamve mihi viles isti videantur OCELLI, PER QUOS sæpe mihi credita perfidia est. Hoc TU JURABAS, SI QUID MENTITA FUISSES, UT TIBI SUPPOSITIS EXCIDERENT MANIBUS.' *Brisson.*

ELEGIA XVI.

1 *Magnis olim patefacta triumphis*] Fefellit ratio Beroaldum, qui triumphalem Portam hic intelligit; nam 'Janua' non dicitur porta. 'Janua,' inquit Servius in I. Æneid. 'est primus domus ingressus; sic dicta, quia Jano consecratum est omne principium.' Significari autem puto dominos illius Januæ triumphantes, et redeuntes e Capitolio suas in ædes sic invectos. *Passerat.*

6 *Pulsata manibus*] Non manibus tantum, sed et saxis cædebatur Janua, et calcibus, et vectibus, et sagittis, apud Plautum.

7 *Et mihi non desunt turpes pendere*] 'Desunt pendere:' Silius: 'Pascere nec Pœnus pravum aut nutrire favorem Deerat.' Item: 'Nec densæ trepidis absunt se involvere nubes.' Item: 'Nec, quos vile genus despectaque lucis origo Fœdabat, sperare sibi et deposcere primi Deerat imperium, et patriæ parentis habenas.' *Scal.*

8 *Exclusi signa jacere faces*] Solent amantes, cum totam noctem frustra et non recepti dominæ foribus invigilassent, exstinctas et deficientes faculas ad ostium abjicere; quas dum vicini et prætereuntes mane viderent, facile eo signo judicabant, amatores eam noctem ibi insomnem traduxisse, atque ita dominam, quæ ædes eas haberet, non nimis honestam et pudicam esse. Faces autem et coronæ istæ, signa ebriorum. Plutarch. in Pyrrho: Καὶ τοῦ δήμου καθεζομένου, λαβὼν στέφανον τῶν ἑώλων καὶ λαμπάδιον, ὥσπερ οἱ μεθύοντες. Conqueritur igitur Janua, quam hoc loco Propertius loquentem induxit, non posse se pudorem dominæ suæ defendere, etiamsi maxime velit: cum alius noctu carmina affigat; alius januam corollis ornet; alius exstinctas faces ad ostium abjiciat: quæ omnia

de dominæ impudicis moribus se tacente facile testentur. *Lipsius.*

Exclusis signa jacere faces] Mihi impensius placet *exclusi*, scilicet amatoris.

10 *Nobilis obscœnis tradita carminibus*] Ovidius Amorum III. Elegia 1. loquitur: 'Ah quoties foribus duris incisa pependi, Non verita a populo prætereunte legi!' *Scal.*

13 *Has inter gravibus cogor deflere querelis*] Legendum profecto: *Has inter gravius cogor deflere querelas.* Præter eas querelas est quod gravius doleat mihi. Quod *gravius* bene repositum sit a nobis, fidem fecerit τὸ 'tristior.' *Idem.*

18 *Quid mihi tam duris clausa taces foribus?*] Proprie de Janua, quæ nunquam recluditur, ut amanti pateat: ideoque tacere dicitur μετωφορικῶς, quod cardines ejus crepitum non edunt; diversa tamen ratione, quam bellissimum illud et taciturnissimum ostium in Curculione Plautina, cujus cardinis lepos ab adolescente amatore eo maxime nomine commendatur, quod nunquam ullum verbum mutiret; unde et oculissimum dici meritum. Quo item alterum illud ab eodem Comico trahas licet: 'Fac habeant linguam tuæ ædes, ut me, quum veniam, vocent.' *Dousa P.*

22 *In tepido limine somnus erit*] 'Tepidum limen' dixit Propertius, quod ex continuo supra ipsum statu tepesceret. Sic Martial. lib. IV. Trigona tepidum dixit, quia ex continuo motu pilæ in manibus ipsa tepida evadebat. *Mercurialis.*

23 *Sidera plena*] Sidera plena dicuntur, cum cœlum plenum est sideribus. Abesse enim videntur sidera, cum spectabilia non sunt. At, cum exoriuntur, paulatim implentur numeri, procedente nocte. Sidera igitur plena, sidera pleno illis cœlo, ut 'flumina plena,' flumina plenis urnis. *Gronovius Observ.* *l.* 3. *c.* 3.

24 *Me dolet aura*] In margine codicis legitur *dolet*, quod retinendum. *Scal.*

29 *Sit licet et saxo patientior, &c.*] Explicat se ipsum Prop. 'Patientior' idem quod, durior; et 'durior' idem quod, patientior; quæ duo etiam in uno Martialis versu conjuncta reperias hoc exemplo: 'Si patiens, fortisque tibi, durusque videtur.' Unde 'durare' pro, pati, non raro a poëtis sumitur: et Ovidius in Ponticis 'duritia' pro patientia est usus, ad Pedonem scribens versu illo: 'Et quos tu silices, et quod, carissime, ferrum Duritiæ confers, Albinovane, meæ?' *Dousa P.*

38 *Quæ solet*] *Turba* puto. *Livineius.* Veteres libri *tota loco.* Scribe *Quæ solet irato dicere pota joco.* *Jocum iratum* vocat dicteria et scommata, nisi mavis *probra joco.* *Heinsius* 6. *Fast.* *vers.* 438. Probabam *Quæ solet irato dicere bucca joco.* *Gebhardus.* Passeratius ex Vet. lib. *Quæ solet immerito dicere turba loco.* Quidam *Quæ solet irato dicere dura joco.*

Quæ solet irato dicere tuta loco] Liber scriptus, *Quæ solet iratus*: recte. Fortasse autem *trita*, non *tuta*: *Quæ solet iratus dicere trita loco.* Trita illa, et solita, quæ irati solent loco et tempore, hoc est, quotiescunque poscit locus ut irascantur, effutire. Occurrit sæpe in libris scriptis, ut *tritus* et *tutus* invicem commutentur. *Scal.*

44 *Debitaque occultis, &c.*] Compotes facti VOTA SOLVEBANT AC REDDEBANT, ut DEBITA. Livius lib. V. de decima prædæ Veientanæ, quam Camillus voverat, 'Haud facile,' inquit, 'inibatur ratio jubendi referre prædam populum, ut ex ea pars DEBITA in sacrum secerneretur.' Valer. Max. lib. I. cap. 1. 'Cum Marcellus quintum consulatum gerens, templum HONORI ET VIRTUTI, Clastidio prius, deinde Syracusis potitus, NUNCUPA-

s VOTIS DEBITUM consecrare vellet.' Virgil. in Ceiri: 'DEBITA tum castæ SOLVUNTUR VOTA Minervæ.' Horat. lib. I. Carm. Ode XXXVI. 'Et ture et fidibus juvat Placare, et vituli SANGUINE DEBITO Custodes Numidæ Deos.' Ubi vetus interpres, 'Sanguine,' ait, 'debito, id est, votis pactis: DEBETUR ENIM HOSTIA, dum votis susceptis promittitur.' In veteri inscript. Rom. RUSTICELLA. M. L. CYTHERIS. DEBITUM. REDDIDIT. XII. KAL. SEP. MALUGINENSE. ET. BLÆSO. COS. *Brisson.*

ELEGIA XVII.

3 *Nec mihi Cassiope solito visura carinam*] Nec mihi Cassiope apparet, ut solet. Hæc tamen inconcinna sunt, neque magno aliquo mendo carent. Ego lego: *Nec mihi Cassiope solito visura carinam Ominat: ingrato litore vota cadunt.* Nec, inquit, sidera dant mihi omen se visura carinam. Hypallage: Ominor ex ipsa Cassiope et aliis astris me non visurum carinam; nube enim omne cælum obductum est. *Ominat*, et *ominatur*, utrunque dixerunt Veteres. Pomponius Cretula: 'Nil petituræ bene Eveniat. Ita sit. Et tibi bene sit qui recte ominas.' Est autem Græca figura, *ominat visura*, pro, ominat visuram. Sic alibi: 'Visura et quamvis nunquam speraret Ulyssem.' *Scal.*

7 *Placatæ procellæ*] *Placata procella* puto rescribendum, non *placatæ procellæ*, nullo sensu. Quod si cui vulgata lectio probabitur, is sciat velim, fortunam hoc loco pro felici eventu, tranquillitateque, ac malacia quadam positum se accipere debere. *Dousa P.*

11 *Siccis mea fata reponere ocellis*] I. e. cadaver et cineres meos indeploratos urna condere: vel potius a te segregare et oblivisci, quasi meum funus nihil ad te pertineat? *Dousa P.*

13 *Ah pereat*] Quo modo pereat, si jampridem periit? sed videlicet tale est, quale illud, 'Illi sub terris fiant mala multa puellæ,' &c.

15 *Dominæ pervincere mores*] Ita se aptare obsequio, ut morositas superbæ Cynthiæ emolliatur. Heliodorus lib. VII. 'Ὁρᾷν δὲ καὶ ῥυθμίζειν ἑαυτοὺς, εἴκειν τε καὶ ὑπηρετεῖσθαι τῷς Ἀρσάκης βουλήμασι. Plato in Theæteto: Ἐπιστάμενοι τὸν δεσπότην λόγῳ τε θωπεῦσαι, καὶ ἔργῳ χαρίσασθαι. Contra fœminæ debent virorum mores pervincere tranquillitate morum, silendo, cedendo, prudenter in rem familiarem consulendo; sicut fecisse se ait captiva Andromache apud Euripidem Troade vers. 647. 'Mores' autem hic in se complectuntur morositatem atque superbiam. *Gebhard.*

18 *Quærere*] Pro quærere et implorare positum videri potest. *Dousa P.*

21 *Donasset funere crines*] Creberrimus in hoc casu Propertius, 'funere,' 'ore,' 'lumine', pro, funeri, ori, lumini. Donare crines funeri notum ex Tragicis Græcis, et ex ipso Propertio alibi: 'Exequiæ fuerant rari furtiva capilli Vincula.' *Scal.*

Donasset funere crines] Cum sepeliissent, etiam comam tondebant, et imponebant tumulo. Ovid. in Epistola Canaces: 'Non mihi te licuit lacrymis perfundere justis, In tua nec TONSAS FERRE SEPULCRA COMAS.' Statius Thebaid. VI. 'At genitor sceptrique decus cultusque Tonantis Injicit ipse rogis, tergoque et pectore FUSAM CÆSARIEM FERRO MINUIT.' Homerus Iliad. ψ. 'Haud capiti mihi fas ullas infundere lymphas, Ante rogum cari monumentaque summa Patrocli, ABSCISSAMQUE COMAM.' Et Odyss. δ: 'Unus honos vita exutis supremus habetur, ET CRINEM METERE, et lacrymas impendere fato.' Apud nullum fere poëtam non mentio hujus moris. Nonnulli ad cutem usque radebant. Alcæus in Epigrammatis Græc. Antholog. 'Omnis te extinctum, Pylade, nunc Græcia

deflet, Explicitas amens IN CUTE TONSA COMAS.' Thessali equorum quoque jubas detondebant, ut est apud Plutarchum in Pelopida. *Meursius.*

22 *Tenera poneret ossa rosa*] Inter omnes flores, quibus Veteres sepulcra sua accumulabant, principatum quendam obtinuisse videntur ROSÆ, quarum etiam Græci mentionem faciunt. Anacreon Oda εἰς Ῥόδον: Τόδε καὶ νοσεῦσιν ἀρκεῖ, Τόδε καὶ νεκροῖς ἀμύνει. Hoc est: 'Medicatur hæc et ægris, Defendit hæc sepultos.' Romani vero ROSARUM adeo fuere studiosi, ut iis post mortem monumenta sua spargi supremo judicio nonnunquam jusserint, legato ad hanc rem relicto, cui plerunque hæc erat adnexa conditio, ut in Ravennati Inscriptione legimus: UT. QUOTANNIS. ROSAS. AD. MONUMENTUM. EJUS. DEFERANT. Testatur id ipsum lapis Mediolanensis, in propyleo S. AMBROSII:

PETRONIO. JUCUN
VIVIR. SENI
PETRONIA. MIRA. L. F. PETRONO
QUÆ. H. S. CCCC. LEG. POSSESSORIB
VICI. BARDOMAG. IN. HERM
TUEND. ET. ROSA. QUODANNIS
ORNANDUM. *Kirchman.*

Ravennæ in templo divæ Virginis: CENTENI. QUINQUAGENI. QUODANNIS DARENTUR. UT. EX. EA. SUMMA SICUT. SOLITI. SUNT. ARCAM. PUBLICIORUM. FLAVIANI. ET. ITALICI FILIORUM. ET. ARCAM. IN. QUA POSITA. EST. FLAVIA. SALUTARIS UXOR. EJUS. ROSIS. EXORNENT.

26 *Candida felici solvite vela Noto*] Repone *vela choro.* Ex fide ejusdem libri. *Scal.*

27 *Labens*] Pro, navigans, positum videtur, ratione Poëtis non inusitata: quando et alibi hic Noster quoque: 'Atque tua labens navita fieret aqua.' *Dousa P.*

ELEGIA XVIII.

1 *Deserta loca, &c.*] Scimus in more positum hominibus aliqua mœstitudine, calamitate, luctu oppressis, vitare lucem et conspectum aliorum, versari in locis solis ac desertis, in agris, sylvis, montibus, ibique velut ipsis testibus libere, et quantum animo collibuerit, deplorare ac lamentari miserias suas, et e questibus illis solatiolum aliquod aucupari; quando id in turba, seu præsentibus aliis, facere vel indecorum vel etiam interdum periculosum videtur; quod recte inane studium vocat Maro Ecl. II. vers. V. Adi Victorium lib. IV. cap. VII.

2 *Possidet aura nemus*] Eleganter. Sic enim loquebantur, ventum possessorem esse, qui tum maxime flaret. Petronius: 'Siciliam modo ventus dabat: sæpissime in oram Italici littoris aquilo possessor convertebat obnoxiam proram. *Palmerius.*

8 *Habere notam*] Vel translatum a Censoria nota, vel a notis quæ inurebantur servis fugitivis. An notam repulsæ intelligit? *Idem.*

15 *Ut tibi sim merito semper furor*] Non attinet monere quoties illud 'semper' usurpatur otiose a Propertio. Hoc enim infinitis locis facit. Sic Dio: Τῶν ἀεὶ ὑπάτων, οἱ ἀεὶ δήμαρχοι, τῶν ἀεὶ προσμιγνύντων, τῶν ἀεὶ ἀρχόντων, πάντε ἀεὶ βουλευταί.

19 *Vos eritis testes*] Vetus formula: et passim apud authores occurit. Virgil. Æn. XII. 'Esto nunc, Sol, testis.' Ovid. Fast. 'Testes estote, Philippi.'

Vos eritis testes, si quos habet arbor amores] Id est: Si forte et vos amoris igne unquam afflatæ fuistis: in quam rem Aristænetus consuli poterit in arguta Epistola illa de Acontii et Cydippes nuptiis: nisi quis amores arbori inscriptos interpretari malit;

id quod solere etiam fieri innuit statim Poëta, cum ait: 'Ah quoties teneras resonant mea verba sub umbras, Scribitur et vestris Cynthia corticibus!' Cui consonat Callimachus: Ἀλλ' ἐνὶ δὴ φύλλοισι κεκομμένα τόσσα φέροιτε Γράμματα, Κυδίππην ὅσσ' ἐρέουσι καλήν. Quem locum imitatus est Aristænetus: γοῦν τοσαῦτα κατὰ τῶν φλοιῶν ἐγκολαμμένα φέροιτε γράμματα, ὅσα τὴν Κυδίππην ἐπονομάζει καλήν. Eodem quoque referenda Nasonis illa: 'Incisæ servant a te mea nomina fagi, Et legor Œnone falce notata tua.' *Dousa P.*

22 *Scribitur et vestris Cynthia corticibus*] Callimachus: Ἀλλ' ἐνὶ δὴ φύλλοισι κεκομμένα τόσσα φέροιτε Γράμματα, Κυδίππην ὅσσ' ἐρέουσι καλήν. *Scal.*

23 *An tua quod peperit nobis injuria curas*] Liber noster *curam*, sed eadem manu in ora emendatum, *curas*. Ego puto legendum parva mutatione: *An, tua quæ peperit nobis injuria, curas, Quæ solum tacitis cognita sunt foribus?* 'Curas' verbum. Ita enim melius legi posse videtur. *Scal.*

27 *Pro quo divini fontes*] Scio fontes sacros esse, non tamen ut ullus Veterum eos divinos vocaverit. Sed mendum est, quod facillime tolli potest: *Pro quo, Di, vivi fontes, et frigida rupes.* Pro qua pietate, o Dii, ita me remuneramini, ut potus aqua viva, cubile frigida rupes sit. Contra Catullus: 'O Dii, reddite mi hoc pro pietate mea.' Recte igitur Deorum compellatio interposita. *Scal.*

31 *Sed, qualiscunque es*] Hoc distichon, a Grammaticis corruptum, ita ex nostro libro legito: *Sed, qualiscunque es, resonant mihi Cynthia silvæ, Nec deserta tuo nomine saxa vacant.* Saxa, inquit, et silvæ resonant mihi, o Cynthia: ut, quod ex Callimacho modo citavimus, Κυδίππην καλήν. *Scal.*

ELEGIA XIX.

9 *Gaudia*] Laodamiam conjugem. Sic Catull. Lesbiam 'desiderium' suum vocat, Epig. de Passere Lesbiæ, utcunque id Jos. Scaliger non probat. Et Phaonem sua 'gaudia' Epist. Heroid. ad Leandrum, vers. XLI. *Livineius.*

16 *Tellus hoc ita justa sinat.*] Menander Comicus Poëta δίκαιον γήδιον, id est, 'justam terram,' denominat, quæ tantundem reddit, quantum accepit, sed et eo amplius. Ad quam doctrinam respexisse Propertium arbitror. *Rhodiginus.*

ELEGIA XX.

1 *Hoc pro continuo*] Gallum, qui Hylam puerum habebat in deliciis, exemplo Herculis monet, ne eum incomitatum vagari sinat.

3 *Sæpe imprudenti*] Hoc distichon ponendum ante 'Quæ miser ignotis.' Neque hoc tantum, sed et distinguendum hoc modo: *Sæpe imprudenti fortuna occurrit amanti Crudelis. Minyis dixerit Ascanius. Quæ miser, &c.* Sæpe incautos amatores, dum delicias suas solas vagari sinunt, crudelis fortuna oppressit. Testis sententiarum mearum sit Ascanius, qui Minyis narrare possit, quæ et quanta perpessus Hylas, dum incautius sine amatore suo obvagatur, sibi conquestus sit. Ut nunc illud distichon, quod ut folium Sibyllæ habebant docti, luce meridiana clarius sit. *Rutgersius Var. Lect. l. 3. c. 8.*

4 *Crudelis Minyis*] Magnum hic versus mihi negocium exhibuit: neque sane adhuc in ejus sententia eruenda mihi ipse satisfacere potui. Ascanium lacum in Bithynia, esse, haud procul ab eo loco, ubi raptus esse Hylas dicitur, e Strab. XII. notum est. Sed quæso, quid tum postea? cur is lacus Minyarum dux fuisse, aut, quod etiam absurdius est, fore dicatur? Beroaldus pro *duxerit* videtur legisse *dixerit:* ita tamen ut utranque scripturam agnoscat: sed illud *dixerit* ita interpretatur: Ascanium lacum post amissionem Hylæ

dixisse hoc Minyis, fortunam crudelem sæpe imprudenti amanti occurrere. Quæ expositio mihi quidem insigniter frigida videtur. Equidem, quæ mihi pridem conjectura in mentem venerat, eam ne nunc quidem, cur rejicere debeam, video. Suspicabar autem pro *Ascanius* legend. *Æsonius*: crudelem autem vocari Jasonem, pro eo quod Herculem, amissione pueri exanimatum, et ejus reperiendi desiderio huc illuc vagantem, nihil miseratus, reliquerit, et inceptum iter, deserto eo, sit persecutus. Sed tamen ne sic quidem satis cohæret sententia. Denique habeo librum ab eruditiss. homine Francisco Porto cum multis veteribus diligentissime collatum: in quo notatum est ipsius manu, esse antiqua quædam exemplaria, in quibus h. l. lacuna est, cum his literis, *Fragm.* quod si est, χειρόνειον plane ulcus hoc fuerit.

Crudelis Minyis dixerit Ascanius] Ita liber noster, et recte, *dixerit*: εἴποι ἄν. Hujus rei, inquit, testis esse possit Ascanius. Cujus? 'Sæpe imprudenti fortuna occurrit amanti.' Virgilius in Prolusionibus: 'Altera non forma, dixerit ipse, prior.' Horatius: 'Fateor me, dixerit ille, Duci ventre levem.' Ipse et ille, ὁ δεῖνα. Ascanius lacus crudelis Minyis dicitur, quod rapuerit Hylam, ut propterea Hercules Minyas reliquerit. Nota est historia. Nam tam falsum est *Æsonius* legendum, quod credidit vir disertissimus, quam corruptum esse locum. Quid enim perspicuum magis? *Scal.*

Ascanius] Juxta flumen Ascanium raptum fuisse Hylam scribit Hyginus, Fab. XIV. Strabo lib. XII. Ascanium lacum in Bithynia esse ait, non procul ab eo loco, ubi raptus Hylas fuisse dicitur. Plinius quoque cap. ult. lib. V. Ascanium Bithyniæ lacum commemorat: et cap. X. lib. III. Ascanii lacus summas dulces esse ait, cum reliquæ amaræ sint. Servius in III. Georg. Virgilium ait posuisse Ascanium pro quovis flumine, cum ait, 'Illas ducit amor trans Gargara, transque sonantem Ascanium.' Idem Strabo Ascanium lacum et regionem duplicem esse scribit in Phrygia et in Mysia, quibus ab Ascanio duce nomen inditum est. Ascanius igitur, a quo et lacui in Mysia et regioni nomen est, talis calamitatis dux et auctor Minyis, rapto Hyla et adempto Hercule, erit; id est, Ascania regio. *Turneb.*

6 *Thiodamanteo*] Callimachum et Apollonium sequitur, qui Hylam Thiodamantis filium faciunt: alii enim aliter. Est autem operæ pretium cognoscere, puer hic, qui tantopere heroi fortissimo carus et acceptus fuit, quo modo in ipsius manus pervenisse dicatur: ea de re ita memoriæ proditum est. Hercules, cum Deianiram, Œnei filiam, duxisset uxorem, Calydone degebat. Quodam die accidit, ut Cyathus puer, Architelis filius, qui Œneo pocula ministrabat, Herculi, manus abluturo, aquam eam, quæ abluendis pedibus comparata erat, insciens infunderet. Indignatus Hercules pugno eum interfecit. Quam ob cædem profugus, cum una cum uxore se in viam dedisset, ad Evenum fl. Nesso centauro mortem attulit: ut et Archilochus narrat. Deinde progrediens in Dryopiam venit. Est autem ea gens rapinis ac latrociniis dedita, contermina Milensibus, ut est ap. Pherecyd. in tertio. Ibi cum Hylus filiolus, quem secum ferebat, esuriret, Lycas autem pædagogus procul relictus esset, a Thiodamante, in quem inciderat, Hercules pauxillulum cibi petere occœpit. Negat ille. Commotus Hercules, abreptum interfectumque unum e bobus ipsius cum sacrificasset, epulabatur. Currit propere in Dryopum urbem Thiodamas, evocatosque eos adversus Herculem educit. Tum in eam necessitatem Hercules adductus est, ut

uxorem quoque armaverit, quam etiam in pugna vulnus accepisse propter mammam ferunt. Sed tandem superior effectus Hercules, Thiodamante interfecto, filium ejus Hylam abduxit, eumque in deliciis habuit.

Thiodamanteo] In vetustissima editione Tarvisina, cujus nobis copiam fecit Vir seculorum memoria dignissimus, G. I. Vossius, *Theredamanteo* legitur. Nimirum *Thiodamanteo* voluit. Apollonium sequutus Hylam Thiodamantis filium facit. Quod autem putabat Passeratius hunc Galli Hylam eundem esse, quem cum Pylade ludicram artem exercuisse constat, mendoso exemplari deceptus est. Jam enim pridem homines eruditissimi monuerunt, cum alibi, tum in Macrobio, lib. II. cap. VII. *Bathyllus*, non autem *Hylas* legendum esse. *Rutgersius.*

7 *Nunc tu*] Legendum *Huic tu*, non *Hunc*: et versu sequenti non *cupida defende rapina* contra Mss. et Vet. Ed. sed *cupidas defende rapinas*. Huic tu defende cupidas semper Nympharum rapinas: ut Virgilius: 'Solstitium pecori defendite:' Horatius, 'Et igneam Defendit æstatem capellis.' *Gronovius Observ. l. 3. c. 3.* Idemque monuit Livineius.

8 *Sive Aniena tuæ*] Noster codex, *Amerina*. Pulcherrimus tractus lacus Vadimonis, quam vocat Amerinam undam, ut alibi fusius a nobis dicetur. 'Umbrosæ flumina silvæ,' intelligit locum, ubi Clitumnus per quædam silvarum occulta eripit se e conspectu hominum. Alibi: 'Qua formosa suo Clitumnus flumina luco Integit.' Hoc suo loco explicaturi sumus. Nam nemo hactenus intellexerat. *Scal.*

12 *Nec minor Ausoniis est amor in Dryadis*] Ineptus metaplasmus, et Propertiana facundia indignus. Noster liber et editiones ante Beroaldum, *est amor Adriacis.* Nos olim Valentiæ Cavarum, ubi scripti libri fecit nobis copiam Jurisprudentiæ antistes Jac. Cujacius, emendavimus, *ab Dryasin*, moti eodem exemplo in hac eadem elegia infra, 'Grata domus nymphis humida Thyniasin:' nam plane ita scriptum est in libro nostro. Meminimus etiam eadem forma Catullum 'Minyasin' dixisse. Ergo Dryasin, Thyniasin, Minyasin, sunt Δρυάσιν, Θυνιάσιν, Μινυάσιν. *Amor ab Dryasin*, ut infra: 'Ah dolor ibat Hylas, ibat Hamadryasin.' *Idem.*

13 *Ne tibi sit durum*] Lege, *duro*. Ne tibi duro sit adisse: ne ita contumax fueris, ut adeas. *Idem.*

Ne tibi sit duros montes] Falsa lectio. Nec illorum melior, qui *duro* reponebant. Neque enim, quod illi volunt, dissuadet Gallo, ne quo proficisci velit, sed contra, si quo illi contingat ire, ne amores suos usquam a se dimittat; sed ut lateri ejus perpetuo hærendo caveat, ne qua prædatrix corporis admittatur. Legantur illa 'Hunc tu,' et quæ sequuntur. Quare legendum *durum*. Quocunque, inquit, loco futurus sis, ne tibi durum sit per cautes quantumvis inhospitales sectari amores tuos, ut præsentiæ tuæ metu cupidas nympharum rapinas defendere ac arcere possis. Sæpissime enim accidit, ut miseros amantes, dum incautius per ignotas regiones amores suos vagari sinunt, crudelis fortuna oppresserit. *Rutgersius.* *Nec tibi sit duros montes, &c.* Ita codices, quos consului, ex scriptis meliores. 'Duri montes' usitato Poëtis epitheto. Ovid. Met. 14. 'Durisque in montibus ortæ.' *Heinsius ad Ovidii Artem, l. 2. vers. 28.* ubi elegantem hunc loquendi modum fuse illustrat. Vide et Gronovium lib. 3. Observ. cap. 3.

Frigida saxa] Vatic. Ms. *tumbida*, Mureti *turbida*, unde Lipsius *tabida*. Verum est *torrida*. Senec. Herc. Œteo: 'Et dumeta jugis horrida torridis.' Sunt autem *saxa torrida* gelu

perusta. *Frigida* interpretamentum est. Liv. 21. 'Membra torrida gelu, quassata fractaque arma.' *Gronov.*

15 *Error Herculis*] Pro errante Hercule. Sic supr. Eleg. XIII. 'Amor Herculis,' pro amante: quem locum vide. 'Error Achivi' dixit Ovid. Met. lib. XIII. pro errante populo. Horatius dixit 'virtutem Catonis,' pro ipso Catone. *Dousa F.* 'Error Herculis' hoc loco pro ipso Hercule eruditissimi viri poni putant: locutione Poëtæ quidem non inusitata, sed ab hoc loco prorsus aliena. Non enim Hercules calamitates suas lacui queri poterat, cum is Heros nusquam subsisteret; verum Hylas, qui a Nymphis raptus non longe ab eo habitabat. Parcamus verbis. Omnino legendum *erro*. Is autem quis sit, ex Ulpiani lib. I. ad Edict. Æd. Cur. manifestum est: 'Proprie erronem sic definimus, inquit, qui non quidem fugit, sed frequenter sine causa vagatur, et, temporibus in res nugatorias consumptis, serius domum redit.' Huic definitioni consentit Horatius in Davo: 'Non horam tecum esse potes: non otia recte Ponere: teque ipsum vitas fugitivus et erro.' Talem Propertius venustissime describit Hylam; 'Quæ modo decerpens tenero pueriliter ungui Proposito florem prætulit officio. Et modo formosis incumbens nescius undis Errorem blandis tardat imaginibus.' Ut igitur postremo versu illum pueri actum, quo, posthabito sibi injuncto munere, nugis quibusdam tempus consumebat, errorem vocat, ita eum qui hoc agebat erronem dicit. Nisi simpliciter *errorem* dici mavis, ut in illo Sapphus apud Ovid. de Phaone, qui ab illa fugerat: 'At vos errorem tellure remittite nostrum.' *Rutgersius.* Contraria sentit Gronovius Observ. lib. 3. cap. 3. Hylas, inquit, quemadmodum *erro*, qui in officio erat, *ὥς καί οἱ ὕδωρ φθαίη ἀφυσσάμενος ποτιδόρπιον, ἄλλά τε πάντα Ὀτραλέως κατὰ κόσμον ἐπαρτίσσειεν ἰόντι*, ut canit Apollonius. Præterea quæ et quanta perpessus Hylas, cum Dearum contubernió accessit? At Hercules gravia ét dura, orbatus eo, quem amabat: *πατὴρ ὅτε φίλον υἷα*. Nam id dilutum, Herculem calamitates suas lacui non potuisse queri, cum is heros nusquam subsisteret. Longe aliter Theocritus, Apollonius, Valerius.

16 *Ascanio*] Hic quoque libentius legerim *Æsonio*. Muret.

17 *Namque ferunt*] Hinc incipit enarrare fabulam de Hylæ rapta, quam varie tractant Theocritus εἰδ. ιγ΄, Apollonius I. Val. Flaccus III. Eand. etiam proxime M. Anton. Flaminius in Elegia quadam ita eleganter ac suaviter descripsit, ut mihi quidem cum antiquis illis merito comparari posse videatur. *Idem.*

18 *Egressam longe Phasidos isse viam*] 'Longe viam,' *τὴν πόῤῥω ὁδόν*. Sic libro quarto: 'Hac ubi Fidenas longe erat ire via.' Martialis: 'Rus hoc vocari debet, an domus longe?' Domus longe, *ὁ πόῤῥω οἶκος*. Allusum autem ad proverbium: *εἰς Φᾶσιν, ἔνθα ναυσὶν ἔσχατος δρόμος*. *Scal.*

22 *Mollia composita litora fronde tegit*] Imitatur Apollonium super eadem re: Τοὶ δὲ *λεχαίην φυλλάδα λειμώνων φέρον ἄσπετον ἀμήσαντες στόρνυσθαι*. *Idem.*

23 *Processerat ultra Raram*] Placebat olim *urna Sacram*, ut ad verbum Apollonii versus interpretatus sit. Et quamvis eam conjecturam plurimis iisque eruditissimis viris approbaverim, nunc tamen damno. Valerius, ex hoc ut videtur loco, de Dryope; ita enim Nympham vocat, quæ Hylam prædata est; 'Processerat ultra, Turbatum visura nemus.' *Rutgersius.*

24 *Raram sepositi quærere fontis aquam*] Ad verbum ex eodem Apollonio: Τόφρα δ' Ὕλας *χαλκῇ σὺν κάλπιδι*

νόσφιν ὁμίλου Δίζητο κρήνης ἱερὸν ποτόν. 'Sepositi' *νόσφιν ὁμίλου.* *Scal.*

25 *Hunc duo sectati*] Hoc de duobus Boreadis ab alio nemine, quod sciam, traditum est: itaque puto Propertii inventum esse ad exornandam fabulam. *Muret.*

28 *Oscula supina*] 'Supina oscula,' superne inversa, quia cœlum adspiciens Hylas supino erat vultu, et ipsi fratres e cœlo venientes supino erant ore. *Passer.*

29 *Ille sub extrema pendens secluditur ala*] Extremæ alæ innitens in aëre secluditur. Penicillo melius quam verbis id exprimatur. Finge devolantem ad Hylæ osculum; dum caput demittit, sub ala pendet, quæ altior in aëre sustinet eum. 'Secludere,' inquit Servius ad illud 1. Æn. 'Secludite curas:' 'idem quod, excludere: sed S additur propter suavitatem, vel ad hiatum vitandum.' Inde 'seclusa sacra' Festo mysteria arcana. Plautus Rudente: 'Quid mihi melius est, quam ut corpore vitam secludam?' i. e. secernam, separem. Quod ait 'ala,' constat volucres fuisse ex Ovid. IV. Met. ut notatum supra. *Passerat.*

31 *Jam Pandioniæ*] Desinant Boreadæ Hylan persequi: eum enim abreptura sequitur Dryas. Hanc autem nympham Flaccus Dryopen vocat. Apollonius nomen ipsius non exprimit. Theocritus, non ab una, sed ab omnibus ejus loci nymphis, raptum Hylan esse dicit: Onasus historicus, dum aquam haurire vellet, in fontem decidisse, ibique submersum esse. *Muret.*

Jam Pandioniæ] Non est transponendum. Nam, quod quærit vir eruditissimus, quomodo Dryades sive Hamadryades jam tum flagrare amore pueri potuerint nondum visi, satis, opinor, manifestum est, quod instabat, Poëtam narrare, non quod jam tum erat. *Gronovius Observ. lib.* 3. *cap.* 3.

32 *Ah dolor*] Versus hic abest a quibusd. vett. libr. et vereor, ut aut Propertii sit, aut satis emendate legatur. *Muret.*

Ibat Hamadryas hinc] Scribe *Hamadryasin:* Ἁμαδρυάσιν. Jam diximus. *Scal.*

Hamadryasin] Fortasse legendum *amor Dryasin:* cum nusquam in hac quidem Elegia meminerit Hamadryadum; Dryades autem et superius nominarit, et infra repetat: ἀλλ' ἐπέχω. Sed quomodo sive Hamadryades, sive Dryades jam tum amore pueri flagrare poterant, quem nondum viderant? adhuc enim in Pegarum fundo choreas agitabant. Hylas autem ad ipsum fontem nondum pervenerat. Id enim sequitur. Quare verissimum est id, quod affirmamus, hoc distichon suo loco motum esse. Sacramento contendere ausim totum locum hoc modo a Poëta conceptum esse: 'Et modo formosis incumbens nescius undis Errorem blandis tardat imaginibus. Cujus inaccessæ Dryades candore puellæ Miratæ solitos destituere choros. Jam Pandioniæ cessat genus Orithyiæ. Ah dolor ibat Hylas, ibat Hamadryasin. Tandem haurire parat demissis flumina palmis, Innixus dextro plena trahens humero. Prolapsum leviter facili traxere liquore.' Omnia clara. Incumbens fonti (disticho primo), a Nymphis, quæ in ejus fundo choreas ducebant, conspectus et amatus fuit: (2.) ut jam Boreades desistere necesse habeant, cum nobilior, h. e. Nympharum amor puerum consectetur. (3.) Tandem puer, cum jam satis sibi lusisse visus esset, aquam haurire parat. (4.) Quem, ut id commodius faceret, leviter inclinatum Nymphæ nullo labore deorsum trahunt. *Rutgersius.*

33 *Hic erat Arganti Phlegræ*] Omnino ita est in plerisque omn. vett. libr. neque tamen adduci possum, ut eam scripturam probem. Orpheus quidem Arganthi montem nominat, ad quem raptus sit Hylas: Ἀμφὶ δὲ

κνημὸς Ἀργάνθου κατέφανε, βαθυσκόπελοί τε κολῶναι. Sed Phlegram in his regionibus nusquam reperio, neque usquam omnino, nisi in Italia ad Cumas, et in Thracia ad Pallenem. Strab. XII. Arganthonium montem ait Cio s. Prusiadi imminere, ubi raptum esse a nymphis Hylan fabulentur. Celebrari etiam a Prusiensibus sacra quædam, in quibus per montes huc illuc currant, et Hylæ nomen inclament. Sed homo ineptissimus, Volscus, fretus illo, quem modo recitavi, Orphei versu, quasi pro suo jure imperat, ut Strabonem corrigamus, Arganthumque, non Arganthonium montem ap. eum legamus: in quo est, cur inscitiam ipsius misericordia, audaciam odio prosequamur. Equidem Strabonis scripturam non omnino emendatam esse existimo, sed tamen ita leviter depravatam, ut, una litera addita, corrigi possit. Ἀργανθώνειον enim, non Ἀργανθώνιον ὄρος, legend. puto. Quin et hunc versum Propertii ita legend. censuerim, *Hic erat Arganthonei sub vertice montis.* Neque me fugit, ap. Steph. Ἀργαθώνην, non Ἀργανθώνην legi: unde etiam hic, vir clarissimus, Hermolaus Barbarus, *Argathonei*, non *Arganthonei*, legend. pronunciavit. Sed movent me cum alia, tum Arrianus, qui Arganthonen nympham nominat. Omnem autem dubitationem tollit, nisi magnopere fallor, Apollonius, qui hunc ipsum montem Arganthoneum, i. e. Ἀργανθώνειον, nominat. Τῆμος ἄρ' οἵγ' ἀφίκοντο Κιανίδος ἤθεα γαίης, Ἀμφ' Ἀργανθώνειον ὄρος, προχοάς τε Κίοιο. *Muret.*

Hic erat Arganthi Phlegre] Scribe *Pegæ*, al Πηγαί. *Scal.*

34 *Thyniacis*] *Thyniasin*, liber noster: hoc est Θυνιάσιν. *Idem.*

Thyniacis] Thynia enim s. Bithynia contermina est Mysiæ. Arrianus ait, Arganthones nymphæ filios fuisse Thynum et Mysum, a quorum altero Thynia, ab altero Mysia nomen acceperit. *Muret.*

35 *Quam supra nulli*] *Nullæ*, ἀρχαϊκῶς, Codex scriptus. Tibullus: 'Ullæ non iste puellæ Servire.' *Scal.*

37 *Et circum irriguo*] Liber, *Et circumriguo*, περιῤῥύτῳ. Omnino totus Græcus est in hac Elegia Umber noster. *Idem.*

43 *Haurire flumina plena*] 'Trahens flumina plena' dixit pro, trahens aquam vel flumen plena urna; hypallage insigni. *Gronovius.*

44 *Innixus dextro*] Apollonius: Λέχρις ἐπιχριμφθείς. *Scal.*

Innixus dextro] Scribendum: *Nixus, et exserto plena trahens humero.* Sequens versus conjecturam confirmat, qui ad exsertum humerum referendus: 'Cujus ut accensæ Dryades candore puellæ.' 'Exerere humerum,' elegans et Latinum. *Heinsius ad Ovid. Artem, l. 3. vers. 307.*

Innixus] Est inclinatus. Sic 'nixus' in sideribus, qui ἐν γόνασιν. Eleg. 16. 'Osculaque impressis nixa dedi gradibus,' quod est: Nixus sive inclinis oscula dedi impressa gradibus. Sic ille incurvus et obliquus dextro brachio urnam trahit. Nam 'prolapsum' pro inclinato hic accipi eruditius quam verius existimo. *Gronovius.*

45 *Cujus ut accensæ Dryades candore puellæ*] Τὸ *Cujus* alii ad Hylam, ego ad Hylæ humerum, cujus mentio antecesserat, referendum opinor. Tuus sit arbitratus, Falkenburgi doctissime, utrum porro malis, deligendi. *Dousa P.*

47 *Prolapsum*] H. e. *inclinatum*. Ut in illo Sulpitiæ de Domitiano, qui somniaverat gibbum sibi enatum esse, 'Non trabe, sed tergo prolapsus.' Expressit autem ad verbum illud Apollonii in eadem re, Λέχρις ἐπιχριμφθείς. Quod autem in quibusdam libris pro *traxere*, *texere* legitur, videtur id quidem Nonni loco defendi posse: 'Ὁππότε νύμφαι Ἁβρὸν Ὕλαν φθονεροῖσι κατεκρύψαντο ῥεέθροις. Neque tamen potest. Non enim, cum jam submersus esset,

corpore sonum edere potuit, sed dum detractus cadit. *Rutgers.*

48 *Tum sonitum*] Quomodo Alcides responsa iterare potuit, cum ejus nomen inclamatum fuisse nondum dixerit? Nam, quod commentus est Passeratius, 'sonitum fecit,' h. e. clamavit, ut usitata Lucretio in talibus concludendi formula utar, desipere est. Audacter lege *Tum sonitum rapto corpore fecit: Hyla Cui procul Alcides iterat. Responsa sed illi Nomen ab extremis fontibus aura refert.* Allusit autem ad occultiorem fabulam, quam non adverterant interpretes. Eam ita fere narrat Antoninus e Nicandri libro Ἑτεροιουμένων 4. Hercules cum tam horrendo clamore puerum tantopere dilectum quæreret, ut ipsa quoque nemora, ipsi montes contremiscerent, metuentes nymphæ, ne Heros Hylam penes se latentem reperiret, eum in Echo transformarunt, quæ 'Hyla' clamanti Herculi nihil aliud quam 'Hyla' reponebat. Ad hanc fabulam videri potest allusisse Valerius lib. 3. 'Rursus Hylan, et rursus Hylan, per longa reclamat Avia; responsant sylvæ, et vaga certat imago.' Est enim 'imago,' Echo. Quin et alicubi narrat Strabo, institutum fuisse annuum Hylæ sacrificium, in quo sacerdos ter clamaret 'Hyla,' Echo autem ter 'Hyla' responderet. *Rutgers.* Confer Gronovium aliter explicantem loc. cit.

49 *Iterat responsa*] Solinus cap. XLII. 'Prusiadem urbem alluit Hylas flumen, et perspergit Hylas lacus, in quo resedisse credunt delicias Herculis Hylam puerum, Nymphis rapinam: in cujus memoriam usque adhuc solemni cursitatione lacum populus circumit, et Hylam voce clamat.' Addit Vir magnus Claudius Salmasius: Non circa lacum, sed in montibus annuam illam cursitationem cum Hylæ inclamatione fieri solitam tradit Strabo: Καὶ νῦν δ' ἔτι καὶ ἑορτή τις ἄγεται παρὰ τοῖς Προυσιεῦσι, καὶ ὀρειβάσια θιασευόντων, καὶ καλούντων "Υλαν, ὡς ἂν κατὰ ζήτησιν τὴν ἐκείνου πεποιημένων τὴν ἐπὶ τὰς ὕλας ἔξοδον: ubi ὀρειβάσια θιασεύειν est, thiasos in montem inducere, in monte choreas celebrare. Servius ad illud Poëtæ: 'Ut litus Hyla Hyla omne sonaret:' 'Per transitum rem veram tetigit; tertio enim, ab Ephebo puerum in monte comitantibus universis, nomen ejus clamabatur.' Puer ab Ephebo is est, qui jam Ephebis excessit, ὁ ἀπὸ Ἐφήβου. Talis puer eligebatur, qui Hylam referret. Hunc in montem omnes comitabantur, et tertio inclamabant nomen Hylæ. Sed et circa fontes et lacus quæsitum Hylam et de nomine clamatum in solemni ejus festo verisimile est. Idem Servius paulo ante: 'In finibus Ponti juxta Mœsiam apud fontem Ciaci amnis, cum aquatum isset, a Nymphis raptus est, nec unquam potuit reperiri; postea cum esset cognitum quod perisset in fonte, statuta ei sunt sacra, in quibus mos fuerat, ut ejus nomen clamaretur in fontibus.' Hæc vir ille magnus. Conjicio ritum hunc originem duxisse ex clamore Herculis.

52 *Formosum nymphis credere visus Hylam*] Noster liber, *tutus*, non *visus*; quod germanum est Propertii. In quo, ut in tota reliqua Elegia, ἀλληγορεῖ. *Tutus* enim est εὐλαβούμενος, φυλαττόμενος. *Scal.*

ELEGIA XXI.

2 *Aggeribus*] Is fuit terreus quidam, et alia materie mixta, mons et elevatio: quem paullatim versus urbem producebant et attollebant: ut ex alto pugnarent, et turres ibi constituerent, sed et tormenta. Agger vocabatur ab ipsa re: quia aggerebant et cumulabant: posterior ætas aggestum dixit, sed et alio genere aggestus in Ammiano lectus. Ordinem hunc poëtis fuisse Cicero indicat ad Atticum: 'Opidum cinximus vallo et fossa et aggere.' E terra, lapide,

ligno congeriem struebant: et hæc tria, cum in aliis, tum in Suida junctim sic legetis: Ἔγεστα, πολεμικὸν μηχάνημα ἐκ λίθων, καὶ ξύλων, καὶ χοῦ ἐγειρόμενον· οἱ δὲ, διὰ τὸ α Ἄγεστα γράφουσι: 'Egesta, bellica machinatio ex lapidibus, lignis, et terra constructa: alii autem per A scribunt Agesta.' *Lipsius lib.* II. *Poliorc. Dial.* III. ubi vide plura.

6 *Hæc soror acta tuis*] Sine dubio legendum, *Hæc soror Acca tuis sentiat e lacrymis.* Scal.

7 *Gallum*] Plures Galli eodem tempore fuerunt. Hic Cornelius Gallus, Propertii nostri propinquus, ut apparet ex Elegia sequenti, cujus meminit supr. Eleg. V. X. XIII. et XX. Hic eum periisse bello Perusino significat Eleg. proxima et l. II. Eleg. ult. 'Et modo formosa quam multa Lycoride Gallus Mortuus inferna vulnera lavit aqua.' Ovid. in Epicedio Tibulli: 'Tu quoque, si falsum est temerati crimen amici, Sanguinis atque animæ prodige, Galle, tuæ.' Virgilius hunc dilexit, et ejus in laudem scripsit ult. Eclogam: ubi vide Servium et Auctorem Vitæ Virgilii. Servius scribit occisum esse, cum venisset in suspicionem conjurationis. Fuit et alter Gallus Cornelius, Ægypti præfectus, amicus Augusti, qui cum ab eo descivisset, damnatus a Senatu, et ad necem compulsus est: Suet. Aug. cap. LXVI. et Eusebius in Chronicis. Tertium Gallum Luperci fratrem ipse commemorat Eleg. I. lib. IV. 'Gallus at in castris dum credita signa tuetur, Concidit ante Aquilæ signa cruenta suæ.' Plin. cap. LIII. lib. VII. Cornelium quendam Gallum in venere scribit obiisse. *Passer.* Galli in montibus Etruscis cæsi est προσωποποιΐα, ab aliquo commilitonum tantæ cladi superstite serio petentis, ut sorori de sua morte nuncium perferat; quo illa accepto ossa mox lecta in Urbem referre cineresque fictili urna conditos terræ porro mandare possit, ex Veterum consuetudine; cujus hercule ego fiducia fretus in ultimo versu lectitandum pronuncio: *Et quæcunque super dispersa invenerit ossa Montibus Hetruscis, hæc sciat esse mea.* Non *quicunque*, uti perperam in nostris exemplaribus legitur: præsertim cum omne hoc negotium ad unam modo Galli sororem, non etiam ad ignotos attineat. Quis enim operam quæso alienis ossibus legendis gratuito insumere se postulet? *Dousa P.*

9 *Et quicunque super*] Lege, auctore libro, *quæcunque:* et ita postulat sententia. Quæcunque ossa. *Scal.*

Ossa] Ossa legere licebat iis, qui peregre et militiæ periissent, ustique essent. *Turnebus lib.* 2. *de Legibus,* 126.

ELEGIA XXII.

3 *Si Perusina tibi patriæ sunt nota sepulchra*] Lego *sepultæ*, non *sepulchra*. Si tibi nota sunt funera patriæ sepultæ. Hoc autem Epigramma facile declarat hunc primum librum seorsim ante editum fuisse: quia Poëta ibi subjecit patriam suam, et genus; ut Horatius in fine libri primi Epistolarum, quem singularem ediderat, addit et genus suum et ætatem. *Scal.*

6 *Sit mihi præcipue*] Lege *Sis.* Hic autem versiculus et sequentes duo parenthesi includendi. *Scal.*

7 *Membra propinqui*] Galli, de quo antecedente poëmatio. *Scal.*

8 *Tu nullo miseri*] Supra: 'Et quæcunque super dispersa invenerit ossa Montibus Hetruscis, hæc sciat esse mea.' De hoc eodem libro quarto: 'Gallus at in castris dum credita signa tuetur, Concidit ante Aquilæ rostra cruenta suæ.' *Scal.*

9 *Contingens Umbria campo*] Contingens, absolute; contigua. Vide quæ in Manilium notamus, ubi 'tangere' absolute positum. *Scal.*

LIBER II.

ELEGIA I.

2 *Unde mihi veniat mollis in ora*] Liber noster habet *ore:* quod retinemus. Unde liber sit in ore meo. Venire apud Propertium est, ὑπάρχειν, τυγχάνειν. *Scal.*

5 *Sive togis illam fulgentem incedere Cois*] Coa proprie puellarum famæ non nimium bonæ fuerunt. Quare, quum Horatius dicit, 'Cois tibi pene videre Ut nudam est,' facile divinandum nobis relinquit, quam intelligat: ut si dixisset, 'in stola,' matronam profecto intellexisset. Quare, qui lectionem Horatii in *Chloris* pro *Cois* mutarunt, minus prudenter fecisse videntur. *Scal.*

11 *Seu quum poscentes somnus*] Profecto et sententia *somnum* legendum postulat, et scriptura libri nostri confirmat. *Scal.*

24 *Cimbrorumque minas*] Pal. Ms. *Cimbrorumque manus. Manus* immanes copiæ Cimbrorum Teutonumque. Paterculus lib. II. cap. XXII. 'Effusa, ut prædiximus, immanis vis Germanarum gentium, quibus nomen Cimbris ac Teutonis erat.' Sed sustineri potest τὸ *minas.* Gebhard.

28 *Aut canerem Siculæ classica bella fugæ*] Intelligit bellum Siculum, quo Cæsar Augustus Sex. Pompeium superavit. In quo cum Augustus tantopere laborarit, ut in nullo magis, in ejus tamen gratiam a poëtis ita describi solet, quasi toto eo tempore Sextus nihil aliud quam fugisset. *Rutgersius.*

29 *Eversosque focos antiquæ gentis Etruscæ*] Bellum Perusinum in Etruria concitavit agrorum divisio, L. Antonio et Servilio Vatia Coss. A. U. C. 712. ante Deum hominem natum 39. Augustus enim dividere eos veteranis, pretium militiæ, satagebat: at Fulvia, M. Antonii conjux, Antonium Consulem ut irritum id faceret instigabat: ac nihil muliebre præter corpus gerens, ut Velleius scribit lib. II. omnia armis tumultuque miscebat. Nec fefellit eam conatus, patuitque 'furens quid fœmina posset.' Igitur Augustus mox anno sequenti Consulem, a Senatu hostem judicatum, una cum ipsa Fulvia intra muros Perusiæ in alterum usque annum obsidione cinxit, turpique et nihil non experta fame ad deditionem tandem coëgit, urbe ipsa in cineres jam subsidente, Cn. Domitio Calvino et C. Asinio Pollione Coss. *Meibomius.*

30 *Aut Ptolemææ litora capta Phari*] Bellum Alexandrinum, de quo Sueton. in Aug. cap. XVII. Dio lib. LI. Plut. in Ant. In Ægypto Pharos insula fuit, colonia dictatoris Cæsaris, juncta ponte Alexandriæ, ut scribit Plin.

31 *Nilum, cum tractus in urbem*] In Alexandrino triumpho simulacrum Nili exhibuit Augustus. Solebant quippe Romani etiam fluviorum imagines in triumphum trahere, quod vel sexcentis posset probari locis; nos hic paucis contenti erimus. Ovid. lib. II. de Pont. Eleg. I. Claudian. lib. III. de Laud. Stilic. 'Hi famulos traherent reges, hi facta metallo Oppida, vel montes, CAPTIVAQUE FLUMINA FERRENT, Hinc Libyci fractis lugerent cornibus amnes, Inde catenato gemeret Germania Rheno.' Ovid. lib. IV. de Trist. Eleg. II. Pers. Sat. VI. Virg. lib. VIII. Æn. Observatum in hac pompæ traductione ut fluvii iisdem ostiis, quot fluerent, describerentur; hoc est, quod 'aquas septem,' id est, ostia, Nilum habere dixit.

34 *Sacra via*] Una dictio Charis. lib. I. 'Sacravia Romæ, qua sacra feruntur in arcem quotquot mensibus,' inquit Varro IV. de L. L. unde dicti Sacravienses. Ovid. lib. III. Trist. Eleg. I. 'Hæc est a SACRIS quæ VIA nomen habet.' Festus ait, quibusdam ita dictam videri, quia in ea fœdus sit ictum inter Romulum et Tatium. Per eam vehebantur triumphales in Capitolium: ut docet Porphyrio ad hunc locum Horatii Od. II. lib. IV. 'Quandoque trahet feroces Per SACRUM CLIVUM, merita decorus Fronde, Sycambros.' Et Od. VII. Epod. 'Intactus aut Britannus ut descenderet SACRA catenatus VIA.' Tres autem ternis diebus Augusti triumphi. Primus de Dalmatis et Pannoniis: alter de Actiaca pugna: postremus de subacta Ægypto. Dio lib. LI. Suet. in Aug. cap. XXII. Virg. VIII. Æn. *Passer.*

37 *Theseus infernis*] Deest, quale: ut sit: Quale caput testatur fuisse Pirithoum inferis Theseus, Patroclum superis Achilles. Cur autem ille inferis, hic superis? an, quod et Pirithous et Theseus ap. inferos sunt? Virgil. 'sedet æternumque sedebit Infelix Theseus.' Horat. 'Nec Lethea valet Theseus abrumpere caro Vincula Pirithoo.' Achilles autem ad superos propter virtutem evectus est. *Muret.*

38 *Ixioniden*] Pirithoum, Ixionis ex Dia filium. Quo modo igitur et ipse et Theseus a Virgilio Diis geniti vocantur? 'Diis quanquam geniti, atque invicti viribus essent.' Sed Thesei quidem patrem habitum Neptunum, Pirithoum autem Jovis nepotem fuisse constat. Ixion enim Jovis filius. *Muret.*

Menœtiaden] Patroclum Menœtii filium. Menœtius autem Pelei frater: ut non amicitia tantum, sed cognatio quoque inter Achillem et Patroclum intercesserit. Variæ autem fuerunt de horum ætate sententiæ, quas collegit Politian. 45. Miscell. Ceterum Lucianus juniorem et ab Achille adamatum fuisse Patroclum, jucundo magis, quam verecundo argumento, ex ipsis Homeri versibus colligit, in Dialogo qui inscribitur Ἔρωτες. *Muret.*

39 *Sed neque Phlegræos*] Neque Callimachus poterat grandia poëmata conscribere, neque ego possum. Hoc autem vitio datum Callimacho ab invidis, ipsemet testatur elegantissimis versibus, quos ascribere non gravabor: Ὁ φθόνος Ἀπόλλωνος ἐπ' οὔατα λάθριος εἶπεν· Οὐκ ἄγαμαι τὸν ἀοιδὸν, ὃς οὐδ' ὅσα πόντος ἀείδει. Τὸν φθόνον ὡπόλλων ποδί τ' ἤλασεν, ὧδέ τ' ἔειπεν· Ἀσσυρίου ποταμοῖο μέγας ῥόος, ἀλλὰ τὰ πολλὰ Λύματα γῆς καὶ πολλὸν ἐφ' ὕδατι συρφετὸν ἕλκει. Δῖαι δ' οὐκ ἀπὸ παντὸς ὕδωρ φορέουσι μέλισσαι, Ἀλλ' ἥτις καθαρή τε καὶ ἀχράαντος ἀνέρπει Πίδακος ἐξ ἱερῆς ὀλίγη λιβὰς, ἄκρον ἄωτον. *Muret.*

42 *Cæsaris in Phrygios condere nomen avos*] Pro, reponere et recondere et referre in numerum Heroum, Assaraci, Æneæ, Iuli, unde gens Julia. Festus: 'CONDERE, dare in interiorem locum ad custodiam faciliorem; et scribere.' Utrumque huic loco convenit: quia scriptor mandat posteritati, et tradit servandam gloriam. 'Condere in avos' dictum, ut Cic. lib. I. de Nat. Deor. 'Homines morte deletos reponere in Deos.' *Passerat.*

46 *Qua pote quisque*] Ἔρδοι τις ἣν ἕκαστος εἰδείη τέχνην. *Scal.*

47 *Laus in amore mori laus si datur altera*] Recentiores editiones hunc versiculum aliæ alio modo corruperunt. Sed antiquiores itemque liber scriptus recte habent: *Laus altera, si datur uno Posse frui.* Planus est sensus. Primo optat amantem mori: secundo unam tantum amare, neque omnivolum, ut ille ait, esse. Post hoc distichon interserendum huc aliud, quod est circa finem Elegiæ, quæ in vulgatis editionibus tertia numero est. Quare ita leges cum

isto: *Laus in amore mori: laus alteri, si datur uno Posse frui: fruar, o, solus amore meo, His saltem ut tenear jam finibus: aut mihi si quis Venerit alter amor, acrius ut moriar.* Non solum hoc distichon suis antiquis sedibus restituimus, sed etiam inversum pentametrum, quo verborum ordine legi debuit, posuimus. Scio τὸ 'ut' εὐκτικῶς posse exponi: sed, ut id concedamus, quam bene illud distichon sententiam suam tueatur illo loco, quo legitur hodie, velim dicant mihi, quicunque opinioni nostræ adversari parati sunt. Contra, quam non hic conveniat, doceant me, quæso. Ego conjecturam meam feliciori successu defendam, quam illi eam oppugnabunt. *Scal.*

64 *Colchis Colchiacis*] Malo, *Iolchiacis.* Scal.

70 *Brachia et a medio pectore pellet aram*] Post hunc versiculum sequi debent ordine quatuor disticha, quæ in quarta Elegia sunt, quorum initium, NON HIC HERBA VALET. *Scal.*

71 *Quandocunque igitur vitam mea fata reposcent*] Quia jam dixerat: 'Ambulat, et subito mirantur funus amici.' Quia igitur hoc mihi contingere potest; qui, cum eodem morbo conflictor, &c. *Scal.*

75 *Via proxima busto*] Magnates in prædiis ac propriis agris, qua vias spectabant regias, sepeliri gestiebant, si modo honesta morte aut apud suos fatis concessissent. Et hoc priscis Quiritibus in usu fuisse, testantur adhuc infinita sepulcrorum rudera in via Appia, Aurelia, Flaminia. *Wormius.*

76 *Esseda Britanna*] De his vehiculis Plin. lib. 33. cap. 17. et Cæsar, lib. IV. de Bello Gallico. Idem infra lib. 4. Eleg. 3. 'Pictoque Britannia curru,' ubi ad id, quod hic dicit, respexisse videtur. Unde manifesto constat essedum Britannici non minus, quam Gallici vehiculi genus fuisse, contra quam in Nomenclatore suo existimat Junius. *Dousa P.*

22 *Esseda celatis siste Britanna jugis*] Refer ad Pliniana ista lib. XXXIV. cap. XVII. 'Cœpere deinde et esseda, et vehicula, et petorrita exornare, similique modo ad aurea quoque, non modo argentea, staticula inanis luxuria pervenit.' *Dousa P.*

Siste] Et hoc quoque verbum quam sæpissime Romani monumentis inscribebant, veluti patet ex variis epitaphiis, nos solummodo principium heic Inscriptionis elegantis dabimus: VIATORES. CIVES. OPTUMI. VEL. ADVENÆ. SIVE. BINI. SIVE. SINGULI. INCEDITIS. SIVE. TURMATIM. QUOD. MAGIS. ERIT. GRATIÆ. SISTITE. &c.

ELEGIA II.

2 *Composita pace*] 'Componere' heic est, fingere et simulare. Sic eod. libro Eleg. 9. 'Sed facile est vobis verba et componere fraudes.' Accius laudante Nonio in 'Componere:' 'Composita dicta e pectore evolvunt suo.' Sed quod Nonius hoc Salustii loco: 'Non sunt composita mea verba,' eandem verbi illius significationem putat, fugit eum ratio. Ibi enim 'composita verba' sunt, ornata, compta et splendida; quibus Marius orationem suam carere, nec facto indigere ait. *Sciopp. Verisimil. l.* 1. *cap.* 12.

4 *Ignoro*] Quod abjicit Passeratius, qui verbum *ignosco* retinet. *Ignosco*, inquit, non agnosco, nec credo, et repudio.

Ignosco] In aliis *ignoro*: ut sit: Nescio, cur olim tam multas rapueris, cum hanc antiquis omnibus formosiorem in terra relinquas. *Muret.*

6 *Incedit vel Jove digna soror*] Ex Athenæo cognovi, insigni quadam majestate incessus Veteres existimasse Junonem procedere; quo respexisse Poëtam judicavi; 'Ast ego quæ Divum incedo regina, Jovisque Et soror et conjunx.' Nam Athenæus Ἡραῖον βαδίζει, id est, Junonio incessu ambulat, pro gravitate quadam et magnificentia incessus dixit. *Turneb.*

7 *Aut cum Dulichias Pallas spatiatur ad aras*] Incedit motu quodam gravi et matronali. Unde Horat. 'Ut festis matrona moveri jussa diebus;' ad aras enim movebantur faculas tenentes matronæ festis diebus. Servius. Unde Virgil. IV. Æn. 'Aut ante ora Deum pingues spatiatur ad aras.' Infra Eleg. X. Pro *Dulichias* quidam legunt *Munichias;* id est, Athenienses, quod a Munichia murus XL. stadiorum Athenarum urbem cum Pyræeo duabusque aliis portubus connectebat. Sed credibile est Dulichii cultam Minervam Ulyssi carissimam. Infr. Eleg. XI. *Passerat.*

8 *Pectus operta comis*] Noster, *pectine operta:* lego, *pectine operta comas.* Ait pexam esse colubris, quæ subnascuntur ex incisa cervice Medusæ. Sed non ausim receptam lectionem mutare, Nam in Ægide dicitur habere Gorgonem. *Scal.*

9 *Qualis et Ischomache*] Liber scriptus, *Ischomene.* Potest fieri, ut et illud nomen apud quosdam Mythologos habuerit. *Scal.*

Iscomache] Alii Deidamian aut Hippodamian vocant. *Muret.*

11 *Mercurio Sais*] Ἀπὸ κοινοῦ intelligend. qualis. Fabula autem, quam hic tangit Propertius, mihi prorsus ignota est: nam, quod Saidem Minervam interpretantur, multis de caussis non placet. Primum, quod nusquam alibi lectum est, Minervam cum Mercurio corpus commiscuisse: immo vero eam summo consensu ἀειπάρθενον faciunt. Deinde, quod, etsi Saitica præfectura Minervæ sacra est, Dea tamen ipsa non Sais ab Ægyptiis dicitur, sed Neith. Adde, quod iam Cynthiam cum Minerva contulerat, illo versu, 'Aut cum Dulichias.' Plane in meo vet. lib. non *Sais* legitur, sed *sanctis.* Falsam declarationem, ut opinor, confutavimus. Veram aut alii, aut f. nos ipsi olim reperiemus. *Muret.*

Sanctis Bœbeidos undis] Sacram esse Bœbeida paludem intelligimus et Aspide Hesiodi et Strabone lib. IX. Ἥψατο Βοιβιάδος λίμνης πόδα παρθένος ἀδμής. Strabo loco prænotato Bœbeida lacum in Thessalia pouit juxta Pheras oppidum. *Passerat.*

12 *Virgineum Brimo*] Ita olim emendavit lumen literatorum Adr. Turnebus. Sed, antequam ille Adversaria sua publicaret, nos ita emendaveramus ex eo ipso Etymologici loco, ex quo ipse quoque conjecturam suam fecerat. Testis hujus emendationis nostræ nobilissimus atque eruditiss. Ludovicus Castanæus, eques Regius Torquatus, et Christianissimi Regis ad summum Pontificem Legatus. Quum enim illi Propertium explicarem, ita ejus libri oræ a me annotatum fuit: neque hoc solum, sed paulo ante, quum eidem quinque libros Silvarum Statii enarrarem, ostenderam illi eundem errorem esse in libro secundo, in Arborem Atedii Melioris. Nam, ubi editum est: 'Omnia questus, Inmitem Bromium: stagna invida,' indicavi emendandum esse, *Inmitem Brimo.* Ita duo similes errores a nobis ex duobus bonis auctoribus sublati. *Scal.*

Virgineum Brimo, &c.] Βριμὼ, inquiunt Grammatici Græci, ἡ Περσεφόνη· φασὶ δὲ, Ἑρμῆν, ἐρασθέντα ἐπὶ κυνηγεσίαν ἐξιούσῃ θελῆσαι βιαίως μιχθῆναι, ἡ δὲ ἐνεβριμήσατο αὐτῷ. ὁ δὲ φοβηθεὶς ἀπετράπη. Ista Grammatici Græci scribunt, qui et negant Mercurio cum ea stupri consuetudinem fuisse: quod nec plane dicit Propertius, etsi id fortasse significat; in quo, ut puto, alios autores sequutus est: nam Grammatici Græci ab ea perterritum fuisse narrant Mercurium, cum vim ei inferre vellet. *Turneb.*

14 *Tunicam ponere*] Tunica, vestimentum scilicet interius, cui toga, aut pallium, aut alia superior vestis injiceretur. Idque tam virile quam muliebre: quamquam Hesychius virile tantum faciat. *Ferrar.*

Tunicam] Liber, *tunicas*. Sic Catullus, 'Et abjectis pervigilat tunicis.' *Scal.*

ELEGIA III.

1 *Qui nullum tibi dicebas*] Lege: *Qui nihilum tibi dicebas jam posse nocere.* Horatius: 'Convivæ lecti nihilum nocuere lagenis.' *Scal.*

Qui nullum] Initio sibi ipsi quodam modo insultat; quod, qui diceret se ab omni amore plane liberum esse, denuo sese in eosd. laqueos induat. Deinde excusat se ipsum: quod neque possit naturæ suæ pugnare, neque tam Cynthiæ forma, quam aliis raris et eximiis dotibus inductus sit ad ipsam amandam. *Muret.*

3 *Vix unum potes infelix*] Post hoc distichon sequi debet illud, 'Liber eram.' Recte ergo conveniunt QUÆREBAM et LIBER ERAM. Nam antea quis intelligebat, quorsum illa Elegia, quam faciebant secundam a prima? Quid aliud sibi volebant illi, qui hæc ita digesserunt, quam σχοῖνον ἐκ τῆς ἄμμου πλέκειν; *Scal.*

8 *Differtur nunquam*] Post hunc versiculum interjice quatuor disticha, quæ sunt in fine Elegiæ alieno loco posita: quorum primum AC VELUTI PRIMO TAURUS DETRECTAT. Ait differri, non tolli, amorem; ac tironibus amoris, qui servitium novum gravantur, idem evenire, quod tauris primum juga detrectantibus. *Idem.*

9 *Nec me tam facies*] Dixit enim jam propter formosam Pero hoc pertulisse Melampodem: quanvis, inquit, ego meam, non tam quia formosa est, amo, quam quod multis artibus prædita. Recte igitur hæc conjunximus. *Idem.*

11 *Et Mæotica*] *Ut Mæotica*, Liber scriptus. *Idem.*

15 *Nec si qua Arabio*] Mirum genus loquendi. Hoc est: Nec quia tu luces Arabio bombyce. Sic infra: 'Nec si qua illustres femina jactat avos.' Hoc est: Nec quia tu jactàs illustres avos. *Idem.*

18 *Egit ut evantes Dux Ariadna choros*] Agere choros, χορεύειν; et dux agens choreas, sive præsul, χορηγός. Virg. VI. Æneid. 'Ipsa chorum simulans evantes orgia circum Ducebat Phrygias.' Ubi vide Servium. *Passerat.*

19 *Et quantum Æolio*] Cum tribus veteribus poëtriis Cynthiam comparat. Sunt autem hæ, Sappho, Corinna, et Erinne. Quarum de prima nihil dicere necesse est: non enim potest illa cuiquam ignota esse, nisi qui literas nesciat. De duabus autem aliis, quoniam non æque notæ sunt, aliquid commemorare haudquaquam alienum fuerit. Corinnæ igitur duæ fuerunt, una Thespia, altera aut Thebana aut Tanagræa: utraque poëtica laude insignis: hæc quidem ita, ut Pindarum quinquies vicisse tradatur. Sed Pausanias id eo factum putat, quod Pindarus Dorica lingua caneret, quæ non satis intelligeretur ab Æolibus, illa autem Æolica: neque non illud ad conciliandam victoriam profuisse tradit, quod mulier esset omnium per id tempus formosissima. Erinnen autem Sapphonis æqualem et sociam fuisse accepimus, quæ poëma scripserit, quod Colum vocavit, partim Æolica dialecto, partim Dorica, trecentis versibus constans, tanta felicitate, ut eam cum Homero ex æquo contulerit antiquitas. Obiit autem virgo, annos habens undeviginti; ac, ut de Homeri, ita de hujus quoque patria ambigitur. Sunt enim, qui Teiam, sunt qui Teliam, sunt qui Lesbiam, sunt qui Rhodiam faciant. *Muret.*

22 *Carminaque Erinnes non putat*] Apparet esse commentum Beroaldi, quum ipse postea citet veterem scripturam, quam ego in nostro reperi: *Carmina quæ quivis non putat esse suis.* Quam diversa hæc ab illa vulgata? Nam profecto tam verum est Propertium, ita ut ponam, scripsisse, quam me vivere; nempe: *Carminaque æquævis non putat esse suis.* Aut,

inquit, quoties contendit scripta sua cum antiquis poëtriis: nam poëtrias æquales suas non putat versus facere: non censet esse carmina, quæ æquales suæ faciunt. Quis audebit hæc falsa esse dicere, aut receptæ lectioni subscribere? *Scal.*

24 *Aridus argutum*] Macrobius de Differentia Græci et Latini sermonis ita citat hunc versiculum: *Candidus Augustæ sternuit omen Amor.* Idem.

Sternuit omen amor] Et Catullus: 'Dextram sternuit adprobationem.' Sed liber noster *stertuit.* Idem.

Sternuit omen] Sternuendo dedit omen. De auspicio ejusmodi per sternutationem ipsius Amoris Catull. Epig. XLVI. Theocrit. Thalisiis Idil. VII. Σιμιχίδᾳ μὲν Ἔρωτες ἐπέπταρον: 'Simichidæ amores sternuerunt:' id est, sternuendo signum præbuerunt. Ubi interpres: Καθὸ τῶν πταρμῶν οἱ μὲν εἰσιν ὠφέλιμοι, οἱ δὲ βλαβεροί. Meminit idem in Helenæ Epithalamio. Eustathius autem in sua Iliad. dextram sternutationem felicem, ait, fuisse habitam: et XIV. Odyss. Penelope e sternutatione Telemachi gaudio perfunditur. Ubi multa idem Eustath. Aristot. I. de Anim. Nat. Sternutamentum rem sacram et vim augurii habentem spiritum ait. Idem in Probl. Quæst. XX. quærit cur in sternutatione salutemus: et Plin. cap. II. et VI. lib. XXVIII. qui, sternutamento revocari mensam ferculumve, ait, si non postea gustetur aliquid, inter diras haberi. *Passerat.* Omnino vid. Rhodiginum lib. XXIV. cap. XXVII. et Scioppium Verisimil. l. 4. c. 12.

25 *Hæc tibi contulerunt*] Duplicanda hæc sunt: *Hæc tibi contulerunt cœlestia munera Divi, Hæc tibi: ne matrem forte dedisse putes.* Scal.

30 *Romano accumbes prima puella Jovi*] Noster liber in margine corrigit *loco* pro *Jovi.* Sic lib. IV. eodem modo, ubi in vulgatis est 'furto polluit ille locum,' vetus lectio habet, *Jovem.* Verum igitur est hic perperam editum esse *Jovi* pro *loco.* Nam hoc vult: Inter puellas Romanas tu prima eris: inter Græcas et peregrinas secunda post Helenam. Sic infra: 'Et tibi Mæonias inter heroidas omnes Primus erit, nulla non tribuente, locus.' Tralatitie ergo dixit. Nam in conviviis digniori personæ potior locus datur. Quam diversam igitur sententiam in animo habebant, qui *Jovi* reposuerant? Est enim, ut dixi, metaphora a conviviis. Ut in discubitorio potiori personæ potior locus datur, ita et tibi in sessimonio Romanarum puellarum. In triclinio, ut notio verbi indicat, tres lecti erant. Horatius: 'Sæpe tribus lectis videas cœnare quaternos.' Medius lectus honoratior erat. Septem, ut proverbium fert, convivium faciebant. Itaque in medio unus tantum discumbebat, nempe honoratior, sive consularis aut prætorius inter Senatores: sive senator inter inferioris gradus homines esset, in duobus reliquis lectis singuli tres. Sin octo essent, in medio, honoratior persona quæ erat, interior discumbebat. Hæc probantur observatione loci Sallustiani ex tertia Historia, qui ita, ut et interpungi et legi debet, a me apponetur: 'Igitur discubuere interior Sertorius in medio: super eum Tarcus Fabius Hispaniensis senator, ex proscriptis: in summo Antonius, et infra scriba Sertorii Versius, et alter scriba Mæcenas: in imo medius inter Tarquinium et Dominum Perperna.' Hic enim in medio lecto duo tantum, Sertorius, et Fabius, seu Fadius. Octo erant scilicet in hoc stibadio. *Scal.*

Accumbes] Ambigue de accubitu mensæ et tori. Nam accubitu mensæ Dii Deæque fiunt. De accubitu lecti nihil necesse dicere, quæ Venus novit. *Passerat.*

Prima] At cum Juturna prius concubuit. Sed nimirum Juturna non

Romana erat, sed Apula: et 'prima' est, imprimis, nulli secunda. *Livin.*

31 *Nec semper nobiscum*] Melior antiqua scriptura, et primæ editiones, quæ habent, *Nec tantum mecum Romana cubilia vises.* Persistit in metaphora a discumbendo. Digniori enim, ut diximus, primus locus datur. Nec tantum in stibadiis Romanis prima discumbes: hoc est, nec tantum inter Romanas formosas numeraberis. Tu etiam in peregrinis nomen habebis. 'Mecum,' ut in Catullum notavimus, est, me judice: ut Catullus: 'Nam tecum multus homo es:' id est, te judice, tuo judicio. *Scal.*

32 *Post Helenam*] Ergo explicat quid voluerit illa allegoria: 'Romano accumbes prima puella loco.' Nam quia hic dixit, Tu forma secunda es post Helenam, illud erit, Tu prima forma es ante omnes puellas nostrates. Ineptissime igitur hæc corruperant ii, qui non solum hæc non intelligebant, sed etiam, ut ne alii intelligerent, effecerant. Certe nemo negaverit veram horum versuum sedem esse, nisi aut zelotypus aut imperitus. *Idem.*

33 *Tu quia poscebas, tu quia lentus eras*] Utrumque translatum a creditoribus: et 'poscebas,' id est, res raptas repetebas: et 'lentus eras:' nam lenti debitores, qui moram faciunt in solvendo. Lucilius apud Nonium in 'Lentum:' 'Lucin' Cotta senex, Crassi pater huju', Panæti, Magnus trico fuit nummarius: solvere nulli Lentus.' Facilis, inquit Nonius. Imo 'solvere nulli,' id est, nulli solvebat, quia lentus erat. *Passerat.*

39 *Pro qua vel obiret Achilles*] Lego *Atrides:* id est, Agamemnon: ut utrinque summi duces numerentur, inter Trojanos Priamus, Græcos Agamemnon, sine quorum alterius sanguine bellum hoc extingui non posset. *Livin.*

41 *Siquis, &c.*] Admonuerunt quidam viri docti *inante* pro, ante, esse positum: et dixit mihi Gifanius, in vetustissimo libro se reperisse *exemplar.* Sed quid hæc ad declarandum obscurum hunc versum? Putares conjungi debere: ante meam dominam: quum tamen secus sit. Hoc ait: Siquis eo nomine laudari vult, quod dominam adeo formosam habeat, ut cum veteribus heroinis conferenda sit, ille heic Cynthiam meam ad exemplum anteponat. *Scioppius Verisimil. l.* 4. *c.* 3.

42 *Ponat inante*] Pro, proponat. Sic Tibullus: 'Agricolæ ponitur ante Deo:' et Plautus: 'Bonum antepônam prandium pransoribus.' 'Inante' autem antique pro, ante, sicut et 'inusque' pro, usque. *Livineius. Hic dominam exemplo ponat inante meam.* Ita leg. cum Fabricio. Sed quod Cic. in ante diem seu A. D. Kalend. Jan. &c. dicit, huc non pertinet. *Gipham.*

44 *Uret et eoos, uret et hesperios*] Post hunc versiculum repone septem disticha, quæ immerito hinc divulsa fuerunt, et eundem casum communem cum aliis passa sunt. Eorum initium est, QUUR HÆC IN TERRIS FACIES HUMANA MORATUR. *Scal.*

51 *Turpia perpessus*] Theocritus: Τὰν ἀγέλαν χὼ μάντις ἀπ' Ὄθρυος ἄγε Μελάμπους Ἐς Πύλον. ἁ δὲ Βίαντος ἐν ἀγκοίνῃσιν ἐκλίνθη Ματὴρ ἁ χαρίεσσα περίφρονος Ἀλφεσιβοίας. Tangit et hanc sive fabulam, sive historiam, sed paucis, Homerus lib. undecimo Odyss. quam e Græcorum commentariis uberius ac fusius explicatam proponere institui. Tyro, Salmonei filia, mortuo patre, in Deionei patrui tutela fuit, qui eam Cretheo in matrimonium dedit. Interjecto aliquo tempore, cum ipse quoque Deioneus excessisset e vita, Iphiclus, qui ejus in Phylaces provinciæ imperio successor fuit, partem quandam eorum, quæ ad Tyronem pertinebant, occupavit. Neleus, Tyronis filius, ut maternas injurias ulcisceretur, si quis Iphicli boves (erant autem illæ eximia pulchritudine) abduxisset, filiam suam, cui nomen

erat Pero, præstanti virginem forma, ei se uxorem daturum pronunciavit. Difficile id factu omnibus videbatur. Nam et bubulci robustissimi et ferocissimi canes Iphicli armenta servabant. Sed Bias, Amythaonis filius, qui miro ejus puellæ amore teneretur, fratri suo Melampodi, vati peritissimo, ut id negocium susciperet persuasit. Hic, etsi non erat nescius fore, ut caperetur, profectus est tamen, fraternæ voluntati cupiens obsequi. Captus igitur et Iphiclo traditus, deinde in carcerem conjectus, diligenter asservabatur. Qui autem ei ministraret, vir quidam una cum uxore est attributus: quorum ipse viro quidem facili et comi, sed muliere molesta et aspera utebatur. Cum ergo ibi diu delituisset, quodam die vermium supra tectum strepitum ac stridorem quendam audiit: erat autem ita purgatis auribus, ut intelligeret ac perciperet etiam ea, quæ a bestiis dicerentur. Sensit itaque eos mures significare inter se, trabem sibi jam corrosam et exesam esse; quare ruinam metuens, simulat sibi male esse, ita ut consistere non posset. Petit igitur ut vir quidem anteriorem, mulier vero posteriorem lectuli sui partem apprehenderet, ipsumque ita ambo extra domunculam ferrent. Quod eis facere aggressis, cum et vir et totus prope lectus extra tectum esset, derepente, collapsa trabs mulierem obruit atque enecavit. Servatus vir rem totam ex Melampode cognitam defert ad Phylacum Iphicli patrem. Is eam Iphiclo enunciat. Iphiclus hominem ad se accersitum, quis esset, quoque consilio boves subreptum venisset, interrogat. Is omnia illi, ut erant, indicat. Tum Iphiclus, Et domum, inquit, liber ac solutus redito; et tecum boves, quas petis, abducito, si rationem mihi aliquam, qua liberos procreare valeam, indicaveris. Melampus, cum illum bono animo esse jussisset, cæsis rite hostiis, regiones captandis auguriis divisit: advolant aves omnis generis, præter vulturem. Vates ex omnibus, ecqua ratio esset conficiendi Iphiclo liberos, sciscitatur; illis se ullam tenere negantibus, venit postremo vultur: ac primum profert caussas, quæ Iphiclo, ne generaret, impedimento erant: Phylacum patrem, olim ipsi puero quadam de caussa iratum, persecutum esse eum stricto gladio: sed, cum eum comprehendere nequiisset, gladium in pyrum quandam silvestrem impegisse, ipsum gladium postea crescentis arboris cortice obtectum et involutum: simul et arborem ipsam, et eam partem, qua lateret gladius, indicavit: affirmans timorem, ea ex re conceptum, jam tum Iphiclo sterilitatem attulisse. Iret igitur, et rupto cortice gladium educeret, rubiginemque illius e vino per decem dies Iphiclo potandam daret. Hoc remedio usus Iphiclus generandi potestatem recuperavit. Melampus, acceptis bobus, domum reversus, fratri eas tradidit: qui cum eas Neleo, dotis nomine, dedisset, puellam, quam amabat, accepit. *Muret.*

52 *Surripuisse*] Surripere voluisse. *Muret.*

53 *Quem non lucra*] Non enim lucri caussa eas abducere volebat. *Muret.*

ELEGIA IV.

1 *Multa prius dominæ*] Hæc Elegia septem tantum distichorum est. Nam quatuor rejecimus in primam Elegiam, ut suo loco indicavimus. *Scal.*

3 *Corrumpas dentibus ungues*] Rodere ungues, gestus iratorum: ut Eleg. ult. lib. III. 'Ungue meam morso sæpe querere fidem.' Delicatiores quique eos per artificem curiose secabant. Tibul. 'Quid ungues Artificis docta subsecuisse manu.' *Livineius.*

4 *Et crepitum dubio*] Græci vocant ψτερνοκοπεῖν. *Scal.*

Et crepitum dubio suscitet ira pede] Hoc est, quod etiam Seneca inter cætera irascentium signa commemorat lib. I. de Ira: 'Et complosa sæpius

manus et pulsata humus pedibus, et totum concitum corpus.' *Dousa P.*

5 *Nequicquam perfusa meis*] Μίμησις. Iracundus, inquit, amator hoc dicit secum stomachabundus, 'Nequicquam perfusa,' &c. Frustra igitur me ornavi amicæ. Nihil absurditatis erit etiam hæc ex persona ipsius Poëtæ dicta videri. *Scal.*

6 *Ibat et expenso*] Tibullus: 'O quoties ingressus iter, mihi tristia dixi Offensum in porta signa dedisse pedem.' *Idem.*

Expenso] I. gravi et lento: quia, qui res expendunt, lentius et consideratius id faciunt. An *expenso* pro numerato, ut dicimus 'expensum ferre?' An *expanso?* Sed vet. lib. *extenso:* quia, qui extendunt gradum, lente eunt, ut cum gradibus metimur spatium soli. *Passer.*

8 *Non per Medeæ*] Citeis Medea est. Ne igitur bis eand. continenter nominaverit, malim legere *Non Perimedea gramina cocta manu:* quo modo et Beroaldus in quibusd. vetustis libr. legi ait. Perimedes autem veneficæ insignis meminit Theocritus Pharmaceutria: φάρμακα ταῦθ' ἔρδοισα χερείονα μήτε τι Κίρκης, Μήτε τι Μηδείας, μήτε ξανθᾶς Περιμήδης. Estque hæc ead. quæ ab Homero vocatur Agamede: Ἣ τόσα φάρμακα οἶδεν, ὅσα τρέφει εὐρεῖα χθών. *Muret.*

13 *Ambulat, et subito miratur funus amici*] Id est, sicuti ego expono, eum funus esse, hoc est, funeri acerbo traditum, redactumque quasi in favillas et cinerem. Quæ phrasis a Propertio aliena sane haud fuerit, tametsi in diversa sententia Cantherum nostrum deditum animadverto. *Dousa P.*

15 *Sum præmia*] Pro, spolia ex se dare. 'Præmia' pro præda: et hoc jam alibi dictum.

16 *Decies somnia versat annus*] An 'decies,' pro sæpius; certus numerus pro incerto? An ob præstantiam denarii numeri? nam ad decem usque progredimur numerando, et decem decies, centum; decies centena, mille; decies mille, myrias. *Passerat.*

Somnia versat] An animo sæpius volvit, per conjecturam explicatura; unde 'versuti' dicti Ciceroni? An quia sortibus in urna versatis utebantur aniculæ? et sortes somniorum vertere se dicuntur veteri poëtæ apud Cic. I. de Divinat. 'Tum conjectorem postulat pacem petens; Ut se edoceret obsecrans Apollinem Quo sese vertant tantæ sortes somnium.' Vet. Glos. 'Somniortator ὀνειροπόλος. An *Somniversator?* Defert vero Eleg. XXIX. infr. ad conjectorem somniasse se. *Passerat.*

17 *Hostis*] Solebant Veteres, quæ a se deprecabantur, hostibus optare. Sic alibi, 'Hostibus eveniat lenta puella meis.' *Livia.* Sic apud Senec. in Octavia Act. IV. Sc. I. Poppæa mala et tristia somnia sacrificiis expiare constituens optat, UT TERROR IN HOSTES SUOS RECIDAT. Vid. Brisson. de Form. lib. I.

18 *Gaudeat in puero*] Puerum amet, et amato potiatur. 'Gaudere in aliquo,' ut lib. IV. Eleg. VIII. 'Cynthia in exuviis gaudet.' Τὸ 'in' sæpe vacat apud Propertium. *Passerat.*

ELEGIA V.

4 *Et nobis Aquilo, Cynthia, ventus erit*] Et nobis erit suda tempestas. Proverbium. Nam Aquilo sudificus: unde αἰθρηγενέτης. Horat. tamen de Leuconoto idem canit: 'Albus ut obscura deterget nubila cœlo Sæpe Notus.' *Scal.*

Et nobis, Aquilo, Cynthia, ventus erit] Id est, nobis etiam, non tantum tibi. Palmerius ait minitari discessum: ut versu ab hoc IX. infra: et vento se vela daturum. Turneb. cap. XI. lib. XVII. Ut aquilo, inquit, mare turbat, et vertit, sic nostra mens illo tanquam procelloso vento inflata mutabitur et vertetur, aliamque inveniam, quam amem. *Non ita Carpathiæ, &c.* Ego

sic explico: Fides tua, ut aquilo ventus, res levissima et inconstantissima, sic et nostra fides futura est. Ita enim dixit Eleg. II. lib. I. 'Osculaque opposito dicat sibi debita vento.' Ubi ventus pro fide inani et futili; vel id ait: Nos ventos nihil aliud quam ventos putabimus, et verba tua verba mera esse. *Passerat.* Vide Salmas. Plin. Exercitat. pag. 746.

11 *Non ita Carpathiæ variant Aquilonibus undæ*] Maris Carpathii aquæ diversim feruntur a ventis sævissimis. Carpathos insula e regione Ægypti inter Rhodum et Cretam, quam II. Iliad. Κράπαθον Homerus vocat κατὰ μετάθεσιν. Plin. lib. IV. cap. XII. Strab. in fin. lib. X.

17 *Per Dominæ Junonis dulcia jura*] An 'jura' matronis tributa, quibus matrona Juno præesset, et 'cui vincla jugalia curæ?' An quia Cynthia jam peperit, ut Eleg. XVI. infra, 'Viderit hanc, si quam jam peperisse pudet?' An 'jura' pro religione et numine? Ut Eleg. V. lib. III. 'Sub terris sint jura Deum.' Sane omnia mulieres Junoni accepta ferebant, eratque Juno mulierum, ut Genius virorum; unde jusjurandum Tib. Eleg. ult. lib. III. 'Quod si perque suos fallax jurarit ocellos, JUNONEMQUE suam, perque suam Venerem.' *Passerat.*

26 *Cujus non hederæ circumiere caput*] Qui poëta non sit, sed a Musis absens omnique humanitate. Hedera Poëtæ coronabantur. Hederam vero sacram esse Baccho constat, quia, ut ille juvenis semper, ita semper hæc viret. Fest. Serv. in Ecl. VII. Poëtas edera coronari ait, quia Baccho sacri et insani: vel quia Carmina semper virent, poëtisque et aliis æternitatem pariunt. Plin. lib. XVI. cap. XXXIX. Poëtas eo genere hederæ coronari ait, cujus semen crocatum sit. *Passerat.*

28 *Cynthia forma potens, Cynthia verba levis*] Beroaldus, ut et alia permulta in hoc Poëta obscurissima, hoc prætermittit. Et tamen luce magis indigebat, quam ea, quæ ille desultorio suo more scribendi jactat, quæ et pueris nota sunt. Nam quis est hodie, qui hunc versum intelligat? nemo profecto, ut libere fatear, quod sentio. An: Cynthia est forma potens, hoc est, formosa? ut illi objiciat, formæ ejus adjunctam inconstantiam? Ita igitur intelligemus: O Cynthia, tu forma quidem potens es, tu es potens venustas, sed in verbis levissima. At, si hoc intellexisset Propertius, magis probarem, quod adolescentuli excogitaveramus: *Cynthia formipotens, Cynthia verbilevis:* quod sane diu arrisit nobis. Sed nolumus affirmare ita Propertium scripsisse. Putamus igitur parva admodum licentia legendum; *Cynthia forma potens Cynthia verba lues:* aut *luis:* quod propius lectionem accedit. *Cynthia forma*, et *Cynthia verba*, ut flumen Rhenum, Stertinium acumen Horatio, Parnasus honos Statio. Pulchre igitur comminatur formæ damna perjurii ex Veterum religione, qui putabant θεήλατόν τι πάσχειν ὅς τις ἐπίορκον ὀμόσῃ. Sic infra: 'Hoc tibi lingua nocens, hoc tibi forma dedit.' In Declamatione antiqua in Ciceronem: 'Uxor perjuriis debilitata.' Horatius: 'Ulla si juris tibi pejerati Pœna, Barine, nocuisset unquam, Dente si nigro fieres vel uno Turpior ungui, Crederem: sed tu simul obligasti Perfidum votis caput, enitescis Pulchrior multo, juvenumque prodis Publica cura.' Vide necessario Elegiam Ovidii, 'Esse Deos credamne,' libro tertio. Quod autem perjurium illi objici verum sit, planum fit iis, quæ superius dixit: 'Nec tibi perjuro scindam de corpore vestes.' Deinde, 'pallori,' hoc est, tremori, propter religionem violati juris, aut perjurii: quamvis videatur pro pu-

dore accipere. Ait enim 'quanvis contemnas murmura famæ,' hoc est, quanvis non pudeat te famæ. Mirum igitur affectum pro affectu accepisse, pallorem pro rubore. *Scal.*

ELEGIA VI.

1 *Non ita complebant*] De meretricibus, quæ hic nominantur, multa jucundissima leguntur ap. Athenæum XIII. quibus referendis, brevitatis caussa, supersedeo. Unum de Phryne præterire non possum, quam Beroaldus et Volscus Phyrnen inepte nominant; neque historiam, quæ hic a Propertio tangitur, vident. Eam vero exponit Athenæus his verbis; Ἐπλούτει δὲ σφόδρα ἡ Φρήνη, καὶ ὑπισχνεῖτο τειχιεῖν τὰς Θήβας, ἐὰν ἐπιγράψωσι Θηβαῖοι· Ἀλέξανδρος μὲν κατέσκαψεν, ἀνέστησε δὲ Φρήνη ἡ ἑταίρα. *Muret.*

4 *Tanta in qua populus lusit*] Lusit eadem phrasi Catullus: 'Et domus, in qua olim lusimus, et domina.' *Dousa P.*

Lusit] Ludendi verbum subputidum est, et lascivæ significationis. Livius Andronicus apud Festum in 'Ad fatim;' 'Ad fatim edi, bibi, lusi.' 'Ludunt formosæ; casta est quam nemo rogavit.' *Ramires.*

8 *Oscula nec desunt, &c.*] Plin. lib. XIV. cap. XIII. 'Cato [scribit] ideo propinquos feminis osculum dare, ut scirent, an temetum olerent.' Idem Gellius lib. X. cap. XXIII. Plut. in Rom. morem illum muliebrem salutandi propinquos, ait, manasse a mulieribus Trojanis, quæ, Roma duce, cum incendissent naves, osculo iratos maritos placarunt. Suet. in Claudio cap. XXVI. 'Illecebris Agrippinæ Germanici fratris sui filiæ, per JUS OSCULI, pellectus in amorem.' Idem in Tiberio cap. XXXIV. 'Quotidiana oscula prohibuit edicto.' Vide Plut. Probl. Quæst. VI. et in libello de Claris Mulierum Factis. *Passerat.*

9 *Nomina*] An quia subscripta tabulis nomina eorum, quorum pictæ facies? An quia nomina quædam excogitantur, sub quibus latent amatores? Vet. lib. *Numina:* id est, Deorum imagines et signa; quia sub specie Jovis, Mercurii, Phœbi potest latere amator. *Passerat.*

10 *Me tener in cunis et sine voce puer*] Hæc tria aliena a suspicione, quia TENER, vitulus pro tauro: quia in CUNIS, ubi constrictus jacet, nec se commovere potest: quia SINE VOCE et blanditias ac delicias dicere non possit. TENER ergo minus utilis ei militiæ. *Passerat.*

12 *Me soror*] Versus hic antea ita legebatur: *Me soror, et cum qua dormis amica simul.* Neque animadvertebant, qui hanc scripturam, sequebantur, mendum inesse in verbo *dormis*, vel in puero scutica dignum. *Dormit* et in meo vet. lib. legitur, et omnino legend. est. Hoc autem dicit: Et soror tua lædet me, et amica, cum qua simul ipsa dormit. *Muret.*

Cum qua simul] Ut Virg. 'Mecum una.' Horat. 'Tecum simul.' Explico: Et amica sororis, cum qua simul ipsa soror dormit. Huc pertinent versus Plauti Asin. Act. IV. Sc. I. 'Alienum hominem intromittat neminem: quod illa aut amicum, aut patronum nominet, aut quod illa amicæ amatorem prædicet.'

13 *Lædent*] Malim *lædunt.* [Vide Notas Dousæ F.]

15 *His olim, ut fama est, vitiis*] Hæc quatuor disticha alio traduximus, ut suo loco indicabitur. *Scal.*

22 *Per te nunc Romæ quidlibet audet amor*] Huic versui adglutinandum distichon ILLE ETIAM ABREPTA DESERTUS, cum quinque distichis sequentibus. Continuantur enim exempla super eadem re, hoc est, super rapta. *Scal.*

27 *Quæ manus obscœnas depinxit, &c.*] 'Manus' pro artifice. Ita et Petronius: 'Zeuxidos manus vidi.' 'Obscœnæ tabellæ,' spurcæ et libidinem excitantes: Festus in 'Oscum.' *Passerat.*

34 *Cum paries nullo crimine*] Olim, inquit, non fuerunt figuræ obscœnæ

in domibus priscorum: et nullus paries habebat imagines lascivas depictas. M. Cato Censorinus villas suas inexcultas et rudes, ne tectorio quidem exornatas fuisse dicit. Antiqui non excolebant parietes domesticos picturis. Unde ait Plinius lib. xxv. 'Nulla in Apellis tectoriis pictura erat: nondum libebat parietes totos pingere.' Arellius pictor scorta pingebat. 'Crimen' appellat Propertius, picturam obscœnam in pariete, quæ caussa solet esse impudicitiæ muliebris. *Beroald.*

35 *Velavit aranea fanum*] Dicit merito araneas telis tegere templa Deorum, ne scilicet visantur picturæ lascivæ, quibus etiam templa exornabantur. In hanc sententiam ait D. Hieronymus: 'Fuligine et aranearum telis omnia Romæ templa cooperta sunt.' *Idem.*

ELEGIA VII.

1 *Legem*] An JULIAM? Si quis stuprum adulteriumve faceret sciens dolo malo. Tacit. lib. II. Ann. An legem JULIAM, de maritandis ordinibus, qua certæ pœnæ in cœlibes? Gell. lib. II. cap. XV. Horat. in Carm. Secul. Tertull. in libr. de Monogam. Ulpian. tit. XIV. Inst. Atqui utraque mansit. An caput aliquod legis sublatum? Sed juvat Suet. in Aug. cap. XXXIV. qui Augustum ait, cum hanc legem superiorem ferret, non potuisse perferre præ tumultu recusantium, nisi adempta demum lenitave parte pœnarum. Idem ibidem dicitur et de pudicitia legem tulisse. *Pass.* Vid. Torrent. Comment. in Sueton. ad loc. cit. Item Lipsium ad Tacit. lib. III. Ann. de moderanda Papia Poppæa.

3 *Ni nos divideret*] *Ni*, pro, ne, posuit, ut Virgil. III. Æneid. 'Lethi discrimine parvo Ni teneant cursus.' Sunt etiam qui, *Ne nos divideret*, in Propertio legunt. Plaut. Act. I. Sc. II. in Menæch. 'Ni mala, ni stulta sis, ni indomita,' &c. *Turneb. lib.* III. *cap.* XII.

7 *Nam citius*] Imitatus videtur Ovidius, cum scribit 'Ante recessisset caput hoc cervice cruenta, Quam tu de thalamis abstraherere meis.'

8 *Quam possem nuptæ perdere amore faces*] Id est, desiderium tui deponere atque impendere amori conjugali, eaque ratione perdere et corrumpere voluptatem, quam hactenus ex tua jucundissima consuetudine percepi. Ovidius. *Dousa P.*

9 *Aut ego*] Sic locus ille mendosissimus scribendus: *Anne ego transirem tua limina clausa maritus, Respiciens udis obdita luminibus? Ah mea tum quales faceret tibi tibia somnos, Tibia funesta tristior illa tuba.* Pro *obdita* vulgati nullo sensu *perdita*, scripti *prodita*, quod paulo ante præcesserat: 'Quam possim nuptæ prodere amore facem.' Ita enim illic reponi debere recte vidit Passeratius ex illo Virgiliano, 'Non jam conjugium antiquum, quod prodidit, oro.' Tertio versu cum vulgati agnoscant, *caneret mea Cynthia cantus*, scripti omnes *caneret mea tibia somnos*, repone *faceret somnos;* quod id elegans et Latinum sciam. Ovidius: 'Et faciat somnos hæc tibi cura breves.' *Heinsius ad Ovidii Artem, l.* 2. *vers.* 636. 'Ante recessisset caput hoc cervice cruenta, Quam tu de thalamis abstraherere meis.'

10 *Perdita luminibus*] Melius scriptus liber, *prodita.* Scal.

11 *Ah mea tum quales caneret*] Hæc omnia perversa sunt, et in officina Beroaldi cusa, quia multa, quæ non intelligebat, corrupit. Scriptura enim plane habet: *Aut mea quum tales caneret tibi, Cynthia, somnos.* Hæc omnia igitur ita interpungenda: *Nam citius paterer caput hoc discedere collo, Quam possem nuptæ perdere amore faces, Aut ego transirem tua limina clausa maritus, Respiciens udis prodita luminibus, Aut mea quum tales caneret tibi, Cynthia, somnos Tibia, funesta tristior illa tuba.* Citius morerer, inquit, quam

amorem meum nuptiis mutarem, aut transirem respiciens tua limina maritus factus, aut canente tibi somnos nuptiali tibia. Tibiam intelligit nuptialem, qua novam nuptam mariti domum deducebant noctu. Tunc enim deducebatur nupta, quum jam concubia nox esset. Itaque dicit εἰρωνικῶς: Quum mea tibia induceret tibi somnos. Atqui contra vult. Ea tibia enim ipsi potius adimeret, quum audiret novæ nuptæ amore amicum Propertium sibi ademptum. Allusum autem ad cantum, quem καθυπνωτικὸν, καὶ κατακοιμητικὸν vocabant, quo Mercurius Argum oculatum somno deposuisse dicitur. *Scal.*

Ah, mea tum quales caneret tibi Cynthia cantus Tibia, funesta tristior illa tuba] Ad quem morem respexit etiam Horatius, unicus pol hujusdem loci interpres: ubi Asterien officii sui admonet his verbis: 'Prima nocte domum claude, nec in vias Sub cantu querulæ dispice tibiæ.' Galli *un aubade* vocant. *Dousa P.*

Caneret tibi somnos Tibia] Potest et exponi de tibia amatorum, qua sub noctem transeuntes ante amicarum domos suas miserias deflebant. Tibia autem quiddam querulum sonabat. Lucret. lib. IV. 'Dulcesque querelas Tibia quas fundit, digitis pulsata canentum.' Ubi querela ad tibiam. Tibia funeribus plebeiorum adhibebatur, ut scribit Lactantius Grammaticus.

12 *Funesta tristior illa tuba*] 'Funestæ,' quia funeribus adhibebantur. Ad tubam funera fuisse elata ψαμμακόσιοι, ut eum Græcis dicam, mihi testes sunt. Vide Kirchmann. lib. II. cap. IV. de Funerib. Rom.

Tibia funesta] Ovidius pene idem de eadem re: 'At subito nostras ut hymen cantatus ad aures Venit, et accenso lampades igne micant, Tibiaque effudit socialia carmina vobis, At mihi funesta tristior illa tuba.' *Scal.*

13 *Patriis triumphis*] Nam legis illius ferendæ occasio fuit, ut exhausta bellis civilibus juventute nova soboles matrimoniis pararetur. Horat. Carm. Sec. 'Prolisque novæ feraci Lege marita.' Negat igitur posse se prolem tollere, quæ ad militiam patriæ servire queat. *Livin.*

15 *Quod si vera mea comitarem castra puellæ*] Ubi aliquis egregius antiquitatis thesaurus est, ibi manus suas ab aliquo insigni flagitio non abstinuerunt temeratores isti. Tamen antiqua jam est hujus loci labes. Nam ita habet et vetus scriptura. Sed non dubium quin corrupte, quum legendum sit: *Quod si Romanæ comitarent castra puellæ:* et, ut ingenue fatear, liber noster habebat *comitarent*, non *comitarem*. Præterquam quod iste mos antiquus Romanorum notissimus est, testatur et Propertius ipse alibi: 'Romanis utinam patuissent castra puellis: Essem militiæ sarcina fida tuæ.' Quam dolendum erat hæc ita corrupta esse! *Scal.*

20 *Hic erit et patrio sanguine*] Post hunc versum pone distichon quod alterius Elegiæ calce positum est, ut hanc Elegiam claudat: 'Uxor me nunquam, nunquam me ducet amica.' Quis negabit recte huc translatum? *Scal.*

ELEGIA VIII.

3 *Nullæ sunt inimicitiæ, nisi amoris acerbæ*] Non hoc dicit, quod tamen verum est, ex amore nasci atrocissimas inimicitias, ut in proverbio, 'Fratrum iræ acerbissimæ;' sed nullas graves inimicitias, nisi amoris et ereptæ puellæ caussa, susceptas. *Pass.*

6 *Nec mea dicetur quæ modo dicta mea est*] Ab hoc versiculo repone distichon ex libro III. Elegia 'Plausus ab umbroso.' Cujus distichi initium: 'Hic olim ignaros.' Deinde ordine sequitur distichon HIS OLIM UT FAMA EST VITIIS, cum tribus sequentibus. De raptu enim mulierum sermo est, ut exemplis doceat se justo dolore affici, quod amica sibi rapta esset.

Unde pulchre concludit, 'Per te nunc Romæ quidlibet audet Amor.' Nec mirum, inquit, in tot exemplis licentiæ, si injuria et mihi facta est. Vides inepte hos versus superiori Elegiæ insertos fuisse, ubi tantum conquerebatur τὴν πολυφιλίαν amicæ, et quod multos in ædes intromitteret, non contra quod rapta esset. *Scal.*

9 *Magni sæpe duces*] Ab exemplo ostendit ut in magnis regnis atque imperiis, sic in amore omnium rerum vicissitudinem esse. Ita fore, ut qui nunc admittitur, aliquando excludatur. Idque docet exemplo sui, qui diu admissus tandem exclusus est. Quæ qui non videt recte conglutinata esse, nescio quibus ἴυγξι vel quibus ἐπῳδαῖς persuadebit mihi vulgarem illam perversionem aliquam bonam sententiam efficere. Sed scio esse, quibus proclivius reprehendere, quam confutare. *Scal.*

10 *Steterunt*] Stare dicitur urbs, quamdiu in flore: cum autem dicit stetisse, actum esse putandum est. *Gebhard.*

Altaque Troja fuit] Elegantissime de præterita felicitate, atque in extremam calamitatem conversa, 'Fuisse' dicitur. *Gebhard.*

Altaque Troja fuit] *Ruit* scribendum puto, ut 'Ruit alto a culmine Troja:' et 'Urbs antiqua ruit.' *Heinsius ad Ovid. Remed. Amoris: vers.* 66. Si a viro Nobilissimo, et acerrimi in his judicii, dissentire fas est, dicerem τὸ *fuit* nullo modo mutandum, cum de præteritis 'fuisse' sic usurpent Latini, ut 'Fuimus Troes,' 'Fuit Ilium:' apud Virg. itemque 'Et campos ubi Troja fuit.' Dicam quod præcedens 'steterunt' illud *fuit* necessarium hic esse indicare videatur. *B.*

11 *Munera quanta dedi*] Et ego dedi munera, ut iste: sed tamen infelici successu. *Scal.*

15 *Ecquando ire tibi*] Reposui ex scriptura, *Ecquandone.* Scal.

28 *Sua permiscuit ossa Puellæ*] Vetus Inscriptio ad Cyprianum a Popma in Not. ad Sall. HAVE MEA ADRIANA. UBI OSSA MEA TUIS MISCUERÒ. UTERQ. SIMUL BENE VALEBIMUS. Albinus ad Liviam: 'Miscebor cinerique cinis, atque ossibus ossa.' Sueton. in Domit. cap. XVII. 'Reliquias templo Flaviæ gentis clam intulit, cineribusque Juliæ Titi filiæ, quam et ipsam educaverat, commiscuit.'

30 *Cessare in tectis*] Præfero lectionem Cod. Ms. Comel. *Cessare in Teucros.* Cessant enim arma, quæ seposita sive suspensa hostium sanguine non inebriantur. Plaut. Milite, Act. I. Sc. I. vers. VII. Græci, cum arma deponunt, dicuntur illa πασσαλεύειν. Euripides Hec. vers. 920. Ἔκειτο ξυστὸν δ' ἐπὶ πασσάλῳ. Quod Propertius infr. lib. III, Eleg. VII. 'Vel tibi Medorum pugnaces ire per hostes, Atque onerare tuam fixa per arma domum.' Item cum in templis religionis ac voti gratia figunt. Euripides Rheso vers. 180. Θεοῖσιν αὐτὰ πασσάλευε πρὸς δόμοις. *Gebhard.*

Et sparsas cæde jacere] Ἑλληνίζει. φόνῳ πεφυρμένας. *Scal.*

36 *In erepto amore*] H. e. ob ereptum amorem, nempe Briseida. Sic et infra: 'In te ego et æratas rumpam, mea vita, catenas.' I. e. propter te tuique amoris gratia. Cui explicationi asserendæ vehementer fecerit locus iste Ciceronis ex 7. Epist. 'Imprimisque me delectavit tantum studium in me bonorum stetisse contra incredibilem contentionem clarissimi et potentissimi viri.' *Dousa P.*

37 *At postquam sera captiva est reddita pœna*] Seram pœnam vocat, leges in quas tandem fœdus initum est: et quibus partes victæ obligantur. Silius libro secundo: 'Jam medio seram bello poscentia pacem Ductorisque simul conceptas fœdere pœnas.' Nam video hæc vulgo ignorari. Pœnas vocat Silius, quibus victori victus aliquid facere damnas est. *Scal.*

40 *Mirum si de me jure triumphat amor*] Post hunc versiculum sequi debet distichon, MAGNI SÆPE DUCES. Postea, OMNIA VERTUNTUR. Deinde, ISTE QUOD EST. Tum, MUNERA QUANTA DEDI, cum duobus sequentibus. Postremo, PENELOPE POTERAT. Quæ omnia sententiæ tenor suis patritis sedibus restituit, ut alienis ejecit absurditas. *Scal.*

ELEGIA IX.

1 *Sed fors et in hora*] Scribo, *Fors sit*, Prisciano doctore. Integrum est Forsitan, Fors sit an. Ita etiam Fortasse an, ut in Varronem docuimus. Nam nomen est Fortassis, et Fortasse: ut, Necessis, et Necesse. *Scal.*

7 *Visura et quamvis*] 'Ελληνικῶς. 'Sperаret Visura.' Silius in fine libri noni: 'Quem vinctum colla catenis Staturi ante tuos currus promisimus urbi.' Scio hodie *Staturum* legi, non *Staturi*. Scal.

11 *Dominum lavit mærens captiva*] Nam, simul quis animam efflasset, corpus ejus statim lavari solebat et ungi. Vide Kirchmannum de Funer.

12 *Appositum fluviis in Simoënta vadis*] Sine dubio versus νόθος. Itaque ὀβελιστέος. *Scal.*

Appositum fluviis] Locus vexatissimus scribendus: *Appositum flavis in Simoënta vadis*: ni mavis *Apposito Simoënte*. De *fluviis vadis* nollem argutati essent viri eruditi. *Heinsius ad Ovid. Amor. lib.* 3. *Eleg.* 6.

14 *Maximaque in parva sustulit ossa manu*] Hoc est, quod huic consimili fere argutia lib. IV. postea exprimit Cornelia ad Paulum: 'En sum, quod digitis quinque levatur, onus.' *Dousa P.*

16 *Scyria nec viduo Deidamia viro*] In margine libri nostri apposita diversa lectio *toro* pro *viro*. Quod rectum est. Potius enim viduus torus, quam viduus vir dicitur. *Scal.*

26 *Quum capite*] Vetustus codex Neapolitanus, *Cum capite hoc Stygiæ jam poterentur aquæ*. Auson. Epitaph. Heroum: 'Fortis progressis ut potereris equis.' Valer. Flaccus lib. 7. 'Scilicet Æoliæ pecudis poteretur auro.' Sic et ibi scribendum. *Heinsius ad Metam. l.* 13. *vers.* 130.

27 *Et lectum flentes circumstaremus amici*] Seneca Controv. III. 'Non servorum turba lectulum circumstabat, non amicorum; inter infantem et mulierculam deficientis spiritus in adventum meum sustinebatur.' *Dousa P.*

30 *Aut mea si staret navis in Oceano*] I. e. restaret seu detineretur ventis adversis aut contraria tempestate, nimirum defixa anchoris ne progredi posset. *Dousa P.*

32 *Opus*] Τὸ *opus*, fraudes, vetus ac versutum mulierum ingenium notat, quod gerunt ad fraudationem virorum. Stat. lib. I. Theb. 'Quod sævæ Junonis opus.' Didicisse vero ac scire Feminæ maleficiis, sceleribus, fraudibusque exercitatæ perhibentur. *Gebh.*

38 *Tela, precor, pueri, figite acuta magis*] Pro *figite* scriptura nostra habet *promite*. Apparet igitur interpolatum. *Scal.*

39 *Atque hanc mihi solvite vitam*] Noster, *solvite curam*. Proximum plane illi: 'Accipite hanc animam, meque his exolvite curis.' *Scal.*

40 *Sanguis erit vobis*] Ab hoc versiculo locum habent illa, quæ superius reliquimus, sex disticha: SIC IGITUR PRIMA MORIERE ÆTATE, PROPERTI. Miror quomodo docti homines, qui antehac Propertium legebant, potuerunt aliquid hic reperire, quo sibi satisfactum in ejus lectione putarent, quum omnia propter hanc transpositionem absurdissima sint. *Scal.*

41 *Sidera sunt testes*] Mirus affectus amantis, a comminationibus ad commiserationem sui descendit. Porro

Servius v. Ecloga ita hunc locum adducit: *testes sunt sidera nobis.* Sed est σφάλμα μνημονικόν. *Scal.*

Matut. pr.] Sic Ov. M. III. 'Matutinæque pruinæ.' *Dousa P.*

46 *Non licet esse tuum*] Leg. *tuo*, non *tuum*, quod nunc legitur. *Heinsius in Addendis ad Ovid.*

47 *Atque utinam si forte pios eduximus annos*] Catullus: 'Di, date mi hoc pro pietate mea.' *Scal.*

49 *Non ob regna magis diris cecidere sub armis*] Hic est initium Elegiæ: et magno scelere se impiarunt, qui ita hæc cum superioribus alienis conjunxerunt, ut sequentia, quæ horum propria sunt, divellerent. Quin furorem simplicem furere noluerunt. Nam, ubi scriptura vetus habebat, SED TEMPUS LUSTRARE ALIIS, ipsi, ut initium Elegiæ facerent, pro SED legerunt JAM. Atqui hoc volebat Propertius: Verum est, me paratum nullum a capite meo deprecari periculum pro amica mea: sed ut addictus illi sim, quemadmodum antea fui, hoc vero quominus faciam, impedit me novum consilium a me initum. Alio me vocat institutum meum. Hæc sunt plena affectus amatorii, nec nisi a politis ingeniis intelligenda. Itaque non miror, si infaceta capita hæc mutarunt: est enim hic quasi quædam valedictio amicæ, propter ejus ingratum in Poëtam animum. Sic Catullus: 'Vale, puella; jam Catullus obdurat.' *Scal.*

50 *Thebani duces*] Etheocles et Polynices, fratres et duces, reges. Petron. Arbiter eo allusit: 'Ne Thebanum par humilis taberna spectaret.' 'Magis,' si per se stat, est, cupidius; sed conjungendum, 'magis diris,' sævioribus, tristioribus. 'Dira arma,' quia diris filios insectatur Œdipus; unde secutum internecinum bellum, quo fratres singulari certamine multis vulneribus ceciderunt, et mox mater sibi manum attulit. Vide Sophoclem in Œdipode, Euripidem in Phœnissis, et Statium Theb. lib. XI. *Passerat.*

ELEGIA X.

1 *Jam tempus*] Indicavi SED TEMPUS legendum esse ex veteri scriptura. Etiam in libro nostro hæc male divulsa sunt a superioribus. *Scal.*

2 *Et campum Hæmonio*] Proverbium Ἵπποι Θεσσαλαί. Ἵπποι Θεσσαλικαί, Λακεδαιμόνιαί τε γυναῖκες. *Scal.*

9 *Nunc volo subducto gravior procedere vultu*] 'Subducto vultu,' id est, subtracta, sive contracta fronte, cum caperat frons severitudine, ut Plaut. loquitur. Vide Proverbium: 'Frontem exporrigere.' An *subducto*, sursum educto et erecto? Nonius: 'Subducere, sursum ducere, levare.' Turpilius: 'Cum antehac videbam stare tristes turbido vultu, subductis cum superciliis senes.' *Passer.*

14 *Crassos se tenuisse dolet*] I. e. Dolet Euphrates se tenuisse Crassos, hoc est, reliquias Crassorum, et cadavera insepulta. Unde dictum est a Lucano: 'Umbraque erraret Crassus inulta:' et, 'Crasso quærente sepulchrum.' *Beroald.* Constat ea tempestate Augustum in animo habuisse Arabiæ et Parthis bellum inferre, ejusque belli caussa delectum habuisse. Unde Horatius Od. XXXV. libri I. 'Et juvenum recens Examen Eois timendum Partibus Oceanoque rubro.' Et Maro lib. VII. 'Sive Getis inferre manu lachrymabile bellum, Hircanisve Arabisve parant, seu tendere ad Indos, Auroramque sequi, Parthosque reposcere signa.' *Turnebus.*

ELEGIA XI.

1 *Scribant de te alii*] Hæc male divulsa sunt a superioribus, etiam in manuscripto. Hæc respondent initio Elegiæ: Non recuso pro te omne periculum subire, sed consilium non est

mihi amplius de te scribere, neque frustra tempus in tuis laudibus prædicandis, quod antea feci, conterere. De te alii scribant, an taceant, id vero susque deque fero. *Scal.*

2 *Ludet qui sterili*] Et sententia, et scriptura libri nostri postulat, *Laudet*. Idem prope cum eo: 'Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Mævi.' Sic hic: Laudet te, qui vult operam perdere. *Idem.*

3 *Omnia crede mihi tecum uno munera lecto*] Hæc et sequentia omnino similia sunt illis, quæ Sappho ei exprobrat, quam indignam Carminibus suis censebat: Κατθανοῖσα δὲ κείσεαι, Οὐδέ ποκα μναμοσύνα σέθεν Ἔσσετ', οὐδέ ποχ' ὕστερον· Οὐ γὰρ πεδέχεις ῥόδων Τῶν ἐκ Πιερίας. Ἀλλ' ἀφανὴς κὴν ἀΐδα δόμοις Φοιτάσεις. οὐδεὶς δέ σε Βλέψει πεδ' ἀμαυρῶν Νεκύων ἐκπεποταμέναν. *Idem.*

ELEGIA XII.

1 *Quicunque ille fuit*] Hæc pene ad verbum ex lepidissimis versibus Eubuli Comici accepta sunt. Sunt autem hi: Τίς ἦν ὁ γράψας πρῶτος ἀνθρώπων ἄρα, Ἢ κηροπλαστήσας ἔρωθ' ὑπόπτερον; Ὡς οὐδὲν ᾔδει πλὴν χελιδόνας γράφειν. Ἀλλ' ἦν ἄπειρος τῶν τρόπων τῶν τοῦ θεοῦ· Ἔστιν γὰρ οὔτε κοῦφος, οὔτε ῥᾴδιος Ἀπαλλαγῆναι τῷ φέροντι τὴν νόσον, Βαρὺς δὲ κομιδῇ. πῶς ἂν οὖν ἔχοι πτερά; Postremos enim ita adumbravit Propertius: 'Sed certe pennas perdidit ille suas: Evolat e nostro quoniam de pectore nusquam.' *Scal.*

2 *Quicunque ille fuit*] Quo modo Amor pingatur, et caussas, cur ita pingatur, summa elegantia exponit. Sed hanc Elegiam perfecte intelligere qui studet, legat Alexandrum Aphrodisiensem, Problem. 87. *Muret.*

5 *Idem non frustra ventosas addidit alas*] Idem omnino Alexis: Λέγεται γὰρ λόγος Ὑπὸ τῶν σοφιστῶν, μὴ πέτεσθαι τὸν θεὸν Τὸν ἔρωτα, τοὺς δ' ἐρῶντας. αἰτίαν δ' ἔχειν Ἐκεῖνον ἄλλως. ἠγνοηκότας δὲ τοὺς Γραφεῖς ἔχοντα πτέρυγας αὐτὸν ζωγραφεῖν. *Scal.*

9 *Hamatis manus est armata sagittis*] Hinc dicitur sagittarius, quoniam amore capti, perinde ac si telo icti essent, afficiuntur: neque se, postquam vulnerati fuerint, bonis adjungunt, sed procul illos intuentur:' Plin. de Nat. Deor. 'Hamatis,' id est, in hami speciem recurvo ferro, quod exsertam imitetur serpentis linguam. Ovid. lib. III. Trist. Eleg. X. 'Pars cadit hamatis misere confixa sagittis.' Idem lib. II. Am. Eleg. IX. 'Quid juvat in nudis hamata reponere tela Ossibus?' *Passer.*

10 *Gnosia*] I. Cretensis, quia Cretenses nobiles sagittarii. Horat. lib. I. Od. XV. 'Et calami spicula Gnosii.' Sed eo respexit quod Cretenses sagittarii ex insidiis adoriuntur, ut et Amor ipse. *Pass.*

15 *Evolat e nostro*] Certe quidem versus hic integer non est: nam quid est *Evolat e de nostro pectore?* F. igitur ita legendus sit: *Evolat, heu, nostro quoniam de pectore nusquam*. Muret.

18 *Si pudor est*] Ita recte docti viri ex veteri lectione: *Si puer est*. Sed sequentia variant, *alio trajice puella loco*. Inepte. Nam, quia pro *pudor* legerunt *puer*, ita etiam, pro *tela*, *puella*. Scal.

ELEGIA XIII.

1 *Non tot Achæmeniis armantur Susa*] Primus Beroaldus emendavit *Susa*, pro eo, quod antea legebatur, *Etrusca*. Idem etiam ait emendationem suam confirmari libro Pici Mirandulæ, in quo ita scriptum erat. Ego sane nihil delibero. Et mihi videtur aliquod portentum mendi sub voce *Etrusca* latere. *Scal.*

Susa sagittis] Ante Beroaldum *Etrusca* legebatur. Pontanus *itura* reposuit. *Susa* tueor, quæ Persarum regia fuit: unde 'Susiana regio' et Claud. de Bello Gildonico vers. 31. *Scottus Observ. l. 2. c. 7.* Optimo epitheto dixit 'Achæmeniæ sagittæ,' quoniam Persæ, Parthique, omnesque fere Orientis gentes sagittis bella

conficiunt, ut auctor est Plinius lib. XVI. *Beroald.*

17 *Nostros mors claudet ocellos*] De hoc ritu videatur Kirchmannus lib. I. cap. VI. de Funer.

Mors claudet ocellos] Videtur legendum, *nox claudet*. *Nox* pro morte Virgilio: 'In æternam clauduntur lumina noctem.' Lucanus lib. 3. de Argi patre moribundo: 'Nox subit, atque oculos vastæ obduxere tenebræ.' *Heinsius ad Metam. l. 2. vers. 502.*

23 *Desit odoriferis ordo mihi lancibus*] Post lectum ferebantur in lancibus thura, aliaque aromata, comburenda, una cum mortuo. Et erant hæ lances magno numero. Inde illa Statii Sylv. lib. V. de Priscillæ funere: 'Quis carmine digno Exequias, et dona malæ feralia pompæ Perlegat? omne illic stipatum examine longo Ver Arabum, Cilicumque fluit, floresque Sabæi, Indorumque arsura seges, præreptaque templis Thura.' Inscribebaturque illis, quid quæque continerent. Stat. Theb. VI. 'Portant inferias arsuraque fercula primi Graiorum, titulisque pios testantur honores.' *Meursius.*

24 *Plebeii parvæ funeris exequiæ*] Plebeium funus, quia tenuiorum funus minima curabatur impensa: idque per vespillones. Suet. in Domit. cap. XVII. 'Cadaver ejus populari sandapila per vespillones exportatum.' Festus in 'Vespa' et 'Vespillones.' Vespertino autem tempore eos efferunt, qui funebri pompa duci propter inopiam nequeunt; quo respexit Horat. Sat. VIII. lib. I. 'Huc prius angustis ejecta cadavera cellis Conservus vili portanda locabat in arca.' Sic in Ibin, Ovid. 'Et dare plebeio corpus inane rogo.'

25 *Sat sit magna*] Nescio quomodo jubet tres libellos sibi πομπεύειν, quos nondum scripserat, ut qui ne secundum quidem dimidium confecerit. *Scal.*

30 *Syrio munere plenus onyx*] Videtur hoc nomen ὄνυξ commune marmori et gemmæ. Plinius: 'Exponenda est hæc onychis ipsius natura, propter nominis societatem; hoc in gemmam transilit ex lapide Carmaniæ.' Hodie docti prope omnes onychem gemmam cum onyche marmore confundunt: quidam etiam dedita opera studiose id contendunt. Ubicunque 'onyx' pro unguentario vase ponitur, non de gemma accipi debet, sed de lapide, vel marmore. Propertius hoc loco. Martialis: 'Profertur Cosmi nunc mihi siccus onyx.' Horatius: 'Nardi parvus onyx eliciet cadum.' Et sic passim apud poëtas 'onyx' est alabaster, id est, vas unguenti ex marmore onyce, non e gemma. Plinius de marmore Onychite lib. XXXVI. cap. VIII. 'Hunc aliqui lapidem alabastriten vocant, quem cavant ad vasa unguentaria, quoniam optime servare incorrupta dicitur.' Ubi inepte annotat herbariorum et medicorum cymbalum, parum attente Plinium Onychitin gemmam, quam Galli vocant Cassidoniam, confundere cum alabastrite. Immo ipse parum attente: nec enim de gemma Plinius, sed de genere marmorei lapidis agit, quem Græci ὄνυχα quoque dixere: et, quoniam ad vasa unguentaria et alabastros cavabatur, etiam ἀλαβαστρίτην nomen ei fecere. Cum Plinio facit omnium auctorum, præcipue poëtarum, consensus, quibus 'onyx' pro vase unguentario passim usurpatur, quod ex onyche lapide cavaretur. Dioscorides: Ἀλαβαστρίτης, ὁ καλούμενος ὄνυξ: igitur ἀντιθετικῶς onyx lapis etiam vocatus ἀλαβαστρίτης, quod in alabastros formaretur, &c. *Salmasius:* quem vide in Plin. Exercitat. ad Solinum.

33 *Laurus superaddita busto*] Sepulcra designabantur in agris, et in fronte ponebatur scriptio, quæ contineret latitudinem et longitudinem soli sepulcro destinati; quod spatium soli

amœnum erat. Horat. Sat. VIII. lib. I. 'Pantalabo scurræ, Nomentanoque nepoti, Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum Hic dabat: heredes monumentum ne sequeretur.' In hoc spatio erigebantur obelisci, pyramides, arcus, et alia sepulcralia ædificia. Alii arbores ponebant, quæ crescentes locum monumenti opacarent, quod sibi optat Propertius hoc loco. Unde perspicue colligitur seri solere has arbores, quod felicibus manibus perpetuas et virentes arbores convenire existimabant: ideo eligebant Buxos, Cupressos, Lauros, quæ nunquam amittunt folia: quo respexit Juvenal. Sat. VII. vers. CCVII. cum dixit; 'Di majorum umbris, tenuem et sine pondere terram, Spirantesque crocos, et in urna perpetuum ver,' &c. Quod idem observabatur in floribus. *Ramires.*

35 *Qui nunc jacet arida pulvis*] Vetus scriptura, *horrida pulvis.* Et ita citatur a Charisio, ubi male *nunciet* pro *nunc jacet.* Scal.

38 *Quam fuerant Phthii busta cruenta*] 'Cruenta,' propter Polyxenem. 'Alta Polyxenia madefient cæde sepulchra.' *Scal.*

39 *Memento Hoc iter ad lapides cana veni memores*] Longe melior et concinnior lectio, quam excogitavimus, *memento Hoc itere ad lapides cana venire meos.* Vel *hoc iter.* Nam utrumque dici potest: sed inversa erant, *veni memores*, pro, *venire meos.* Scal.

47 *Si tam longæva*] Corrupit hunc locum Beroaldus impudentissime, quum ita antea legeretur: *Quis tam longævæ meminisset fata senectæ Gallicus Iliacis miles in aggeribus?* Quis, inquit, temerarius et stolide fortis tam potuisset vivere? Vult dicere: Nestor se ipsum tam longæ vitæ reservavit, ut tot mala videret, et mortem filii. Nam, si se objecisset morti præsenti animi magnitudine, non illa vidisset, quæ illi doluerunt postea. 'Gallicus miles' proverbialiter dicitur temerarius. Κελτικὸν θράσος proverbium est; Aristoteles Nicomacheon tertio: Εἴη δ' ἄν τις μαινόμενος καὶ ἀνάλγητος, εἰ μηθὲν φοβοῖτο μήτε σεισμοὺς, μήτε κύματα, καθάπερ φασὶ τοὺς Κελτούς. Melius autem legeretur, *Quis tam longævæ*, in dativo, *Queis* pro, quibus. Nam allusum ad locum Homeri, ubi Nestor meminit longæ vitæ suæ. Quibus, inquit, potuisset Nestor narrare vitam suam longam, ut facit apud Homerum, si Gallicus miles et non prudens fuisset? Nam nota prudentia est Nestoris. Ego vero præpostera fortitudine morti me volo objicere. Ita igitur interpretabimur. *Scal.*

55 *Illis formosum flevisse*] Commentitia lectio. Nam liber noster, non *flevisse*, sed *lavisse.* Notus mos. 'Corpusque lavant frigentis et ungunt.' Supra: 'Et dominum lavit mœrens captiva cruentum.' *Scal.*

ELEGIA XIV.

5 *Nec sic Electra*] Vocem suum, quam indoctus aliquis h. l. inferserat, quæque in omnes prope libros propagata versum corrumpebat, ejeci et expunxi. *Muret.*

12 *Diceber sicca*] Proverbium. Martialis: 'Quod sicca redolet palus lacuna.' *Scal.*

16 *Cineri nunc medicina datur*] Commentum Beroaldi, ni fallor. Nam vetus lectio *emeriti nunc medicina datur.* Lege, *emeritis.* Pulchrum proverbium. Emeritus miles qua medicina opus habet, quum omni vulneris periculo careat, utpote functus militia? vel emeritus gladiator, quod malo, eadem sententia. At cineri medicinam dare, aut mortuo, cujus esset stoliditatis? Atqui Propertius ait se functum militia, qui nullos sentit fastus amicæ: hæc enim est amantum militia. *Scal.*

19 *Contemnite amantes*] Noster *contendite:* obfirmate vos. Utro utaris

tamen, illo an illo, non magni interest. *Scal.*

22 *Mecum habuit &c.*] Plaut. 'Nunquam cum illa limavi caput.' *Dousa P.*

25 *Dona tua figam, Cytherea, columna*] Quæcunque Deorum placandorum causa aris inferebantur, ea 'dona' appellabant: Nonius: 'Dona consuetudine hæc habentur, quæ aut propitiandis Diis dantur, aut hominibus pro benefactis redduntur.' Cic. lib. II. de Legib. 'Impius ne audeto placare donis iram Deorum.' Et rursus ibidem: 'Donis impii ne audeant placare Deos.' Et hujusmodi quidem dona proprie figi dicebantur, et tamdiu dona appellabantur, quamdiu non profanabantur. Utriusque Servius auctor est, qui lib. III. Æn. ad versum, 'Postibus adversis figo,' proprie locutum Virgilium adnotat. 'Figi enim,' ait, 'dona dicuntur, ut, 'Sacra ad fastigia fixi.' Et sciendum est inter sacratas res etiam dona esse, sicut in libris sacrorum invenitur: quæ tamdiu dona dici possunt, quamdiu non profanantur.' *Brissonius.*

26 *Taleque sub nostro nomine*] Noster, *nostro munere:* et verum est. Donario enim subjici nomen, clarum est. *Scal.*

Munere] 'Dona,' quæ Diis sacrabantur, dicebantur et 'munera.' Arnob. lib. VII. 'Diis hostias et cetera impendimus munera.' Virg. lib. IV. Georg. 'Tu munera supplex Tende, petens pacem.'

Carmen] Similiterque donis, quæ figebantur, dicabantur, sacrabantur, inscriptiones addi consuevisse ostendit Tacitus lib. XV. 'Ipse eum pugionem,' inquiens, 'apud Capitolium sacravit, inscripsitque JOVI VINDICI.' Suetonius quoque in Caligula cap. XXIV. eum tres gladios in necem suam præparatos MARTI ULTORI, addito elogio, consecrasse scribit. Sic et Solinus refert Julium Cæsarem VENERI GENITRICI thoracem gemmis Britannicis factum subjecta Inscriptione dedicasse. Ovid. lib. I. Amor. Eleg. XI. 'Non ego victrices lauro redimire Tabellas, Et VENERIS media PONERE IN ÆDE morer; Subscribam, VENERI FIDAS SIBI NASO TABELLAS DEDICAT.' Propertius hoc loco: 'Magna ego DONA tua FIGAM, CYTHERÆA, columna, Taleque sub nostro MUNERE carmen erit: HAS PONO ANTE TUAM TIBI, DIVA, PROPERTIUS ÆDEM EXUVIAS, TOTA NOCTE RECEPTUS AMANS.' Hujusmodi Inscriptionum sollemnia verba erant hæc: DONUM DEDIT, vel DONUM POSUIT, quibus antiqui Lapides abundant; ac plerumque notis hisce perscribitur, D. D. et D. P. Sed enim hujus generis inscriptiones aliquot oculis subjicere satius fuerit. Ex earum ergo turba has selegi: HERCULI INVICTO M. CASSIUS HORTENSIUS PAULINUS. PR. XV. VIR SACRIS FACIUNDIS DONUM DEDIT. Q. NUMMIUS DONUM DEDIT JOVI SABAZIO. EUMOLPUS CÆSARIS A SUPELLECTILE DOMUS AURIF. ET CLAUDIA PALLAS SOLI ET LUNÆ DONUM POSUERUNT. Quin etiam caussa doni dati titulo plerumque comprehendebatur. Quod significat Tibullus lib. I. Eleg. X. cum ait, 'VENERIQUE MERENTI FIXA, NOTET CASUS AUREA PALMA MEOS.' Id quod sequens Inscriptio testatur: MINERVÆ MEMORI CŒLIA JULIANA INDULGENTIA MEDICINARUM EJUS INFIRMITATE GRAVI LIBERATA D. P. *Brisson.*

27 *Has pono*] Legerem *Hæc pono ante tuam tibi, Diva, Propertius ædem:* non *tuas ædes*. Heinsius in Addendis ad Ovid.

28 *Exuvias*] Vestes appellat quibus intectus esset et cum Cynthia nequam fecisset; ut naufragi vestimenta ea, quibus naufragium evaserunt, Neptuno suspenderunt. Horat. 'Me tabula sacer Votiva paries indicat uvida Suspendisse potenti Vestimenta maris Deo.' Virgil. Æn. XII. 'Olim venerabile lignum, Servati ex undis ubi figere

dona solebant Laurenti Divo, et votas suspendere vestes.' *Livin.*

29 *Nunc ad te veniat*] Hæc profecto nescio an aliquis bene intelligat. Certe in nostro optima lectio concepta est: 'Nunc ad te, mea lux, veniat mea littore navis Servata, an mediis sidat onusta vadis, (Quod, si forte aliqua nobis mutabere culpa,) Vestibulum jaceam mortuus ante tuum.' Vel defunctus curis, ut nunc, vel in curas conjectus, ut si forte mihi irascaris; utrumvis igitur mihi accidat, ego ante fores tuas moriar. Ita scriptum invenimus in libro nostro; sed nos eam interpunctionem adhibuimus. 'Quod,' quod genus, cujusmodi. Quod genus mihi accidere potest, si tu mihi mutata irascaris. *Scal.*

ELEGIA XV.

3 *Apposita lucerna*] Eleganter Gallienus Aug. in Epithal. 'Ite agite, o juvenes, pariter sudate medullis Omnibus inter vos; non murmura vestra columbæ, Brachia non hederæ, non vincant oscula conchæ; Ludite, sed vigiles nolite extinguere lichnos; Omnia nocte vident; nil cras meminere lucernæ.' Martial. Epig. XXXVIII. lib. X. 'O quæ prælia! quas utrimque pugnas Felix lectulus et lucerna vidit!'

7 *Lassos*] *Lapsos* libri veteres. Supra lib. I. Eleg. 3. 'Dum me jucundis lapsam sopor impulit alis:' ubi frustra *lassam* Lipsius. *Heinsius ad Ovid. Amor. l. 3. Eleg. 5.*

11 *Venerem committere*] Probo *committere*, quod ex libro scripto reposuit Scaliger. Sic infra lib. 4. Eleg. 7. 'Sæpe Venus trivio commissa' reponendum ex Vet. Cod. Modii, cum in vulgatis *commista* legatur. *Bynæus.* *Corrumpere*] Sic dictum, ut a Crispo: 'Sed se suasque spes corrupturum.' *Dousa P.*

12 *Oculi sunt in amore duces*] [Vide quæ notata sunt supra ad Eleg. I. lib. I.] Apud Quanahacenses est serpens virulentus, quem vocant *Teximinani*, nostri *Oculipetam*, quia de arbore se jaculi instar in oculos demittit; in hoc simulacrum præbens amoris, qui ex conspectu nascitur: unde illud ἐκ τοῦ ὁρᾷν τὸ ἐρᾷν, Ex visu est quod ames. *Vossius de Origine et Progressu Idololatriæ lib.* IV. *cap.* LVII.

Necdum inclinatæ prohibent te ludere mammæ] Sollius Apollinaris lib. III. Ep. XIII. 'Taceo fractas pondere arvinæ jacere mammas, quasque fœdum esset in pectore virili vel prominere, has ut ubera materna cecidisse.' Inclinatas quoque intellexit Naso lib. X. Met. 'Instat anus, canosque suos et inania nudat Ubera.' Nam deficiente lacte spongiæ instar flaccescunt in vetulis. Contrario modo in virginalis flore ætatis stantes turgent. *Gebh.*

22 *Viderit hæc si quam jam peperisse pudet*] Non prorsus mala est lectio libri nostri: *Viderit hoc, si quis jam peperisse putet.* Si quis peperisse putet suam. *Scal.*

31 *Terra prius falso*] Forte *salso*, ut significet terram prius squammosum pecus et marina monstra producturam. *Dousa P.*

52 *Quæ passim calathis*] Folia coronarum decidentia in pocula inter commessationes: cujus rei infinita extant apud scriptores exempla. Nam calathi hic non quasilli, sed pocula. Virgilius: 'Vina novum fundam calathis Ariusia nectar.' Et Martialis in Apophoretis. *Scal.*

53 *Magnum speramus*] *Spiramus:* μεγαλοφρονοῦμεν. *Scal.*

ELEGIA XVI.

1 *Prætor ab Illyricis*] Prætor Macedoniæ et Achaiæ idem. Auctor Pausanias. At Illyrium erat in Macedonia: vel potius Macedonia Illyrium continebatur. Nam Durrachium in Macedonia censebatur. *Scal.*

20 *Stramineas posset*] Noster, Gra-

misea. Intelligit cæspitiam casam. Horatius: 'Nec fortuitum temnere cæspitem Leges sinebant.' *Scal.*

27 *Barbarus excussis agitat vestigia lumbis*] Hoc versu, agitare vestigia est, vestigia agere et incedere. Barbarum enim amore petitum et victorem incedere magnifice dicit. *Turnebus.* Et sane sic alibi: 'Et campo quo movet illa pedes.' Non tamen probat mihi hanc interpretationem: nam, si de incessu tantum sermo est, quid opus 'excussis lumbis?' 'Agitat vestigia' dictum obscœne, pro, movet pedes in Veneris certamine. Sic Plauto in Casina, 'conturbare pedes.' Et Ciceroni Epist. I. lib. II. ad Atticum 'tollere pedes.' 'Vestigia' pro pedibus, ut Eleg. III. lib. I. vers. IX. 'Excussis,' quatiendo vibratis, vel exhaustis venere. Apuleius lib. II. 'Lumbis sensim vibrantibus spinam mobilem quatiens.' Catull. de ineptis ad hanc militiam: 'Qui duros nequeunt movere lumbos.' Lumbi, ψόαι, ἰξὺς, ὀσφύς. Isidorus lib. XI. 'Lumbi, ob libidinis lasciviam dicti; quia in viris caussa corporeæ voluptatis in lumbis est; ut in umbilico mulieribus.'

Barbarus &c.] Puto Poëtam nequiuscule innuere velle, Prætorem, Propertio interim exclusissimo, lectum et amorem Cynthiæ occupasse. 'Excutere' est, movere. Virgil. 'Gaudetque comantes Excutiens cervice toros.' Jam vero 'movere lumbos' plane amatorium et nequam est. Catullus: 'Qui duros nequeunt movere lumbos:' h. e. qui in illa Veneris palæstra adeo triti sunt, ut ad eam ægre possint revisere. Lumbi enim valentes et vegeti ad Venerem requiruntur. Prætor ergo, excussis et motis lumbis, sive faciens cum Cynthia quod ante sæpe Propertius, agitat vestigia, h. e. relinquit vestigia; e quibus jacuisse eum in lecto cum amica intelligas. De talibus vestigiis supra Eleg. 8. 'Nec domina ulla meo ponet vestigia lecto:' et infra Eleg. 29. 'Apparent non ulla toro vestigia presso, Signa volutantes nec jacuisse duos.' *Scioppius Verisimil. l. 3. c. 16.*

28 *Et subito felix nunc mea regna tenet*] Sic idem lib. II. 'Ut regnem mistas inter conviva puellas:' et Tibullus: 'Parva loquor: regnum ipse tenet, quem sæpe coëgit Barbara gypsatos ferre catasta pedes.' *Douza P.*

Quæ tibi terra] Sic Tibullus: 'Muneribus meus est captus puer: at Deus illa In cinerem et liquidas munera vertat aquas.' Uterque autem sumpsit ab Homero: Ἀλλ' ὑμεῖς μὲν πάντες ὕδωρ καὶ γαῖα γένοισθε. *Muret.*

Quæ tibi terra velim, quæ tibi fiat aqua] Proculdubio legendum: *Qua tibi terra, precor, qua tibi fiat aqua.* Plautus Milite, 'qua mares, qua feminea.' Item 'qua sacrum, qua publicum.' *Scal.*

49 *Vidistin' toto*] Scribe, *Vidisti moto sonitus procurrere cœlo.* Heinsius 3. Fast. vers. 347.

ELEGIA XVII.

1 *Mentiri noctem*] Hæc cum superioribus continuanda. Perjurium, inquit, severe a Diis vindicatur. Tonare enim solet Deus in perjuros. Nam pejerare, et promissis ducere amantem, hoc impium juxta cum homicidio est. *Scal.*

2 *Hoc erit*] Nihil muto. Sed liber scriptus habet, *Hoc erat.* Priscis temporibus hoc erat tanquam aliquod parricidium. *Scal.*

3 *Horum ego sum vates*] Hæc ego vere testari possum, si quis alius, qui propter perjuria tua quid non perpessus sum? *Scal.*

4 *Fractus utroque toro*] Hoc est, utraque sponda lecti. Ovidius: 'Cur pressus prior est interiorque torus?' *Scal.*

15 *Sicca requiescere Luna*] Sicca luna, est intermenstruus dies: ἕνη καὶ νέα. Tunc enim spirant Aquilones.

Horatius: 'Thracio bacchante magis sub inter-Lunia vento.' *Scal.*

18 *Tunc flebit quum mi senserit*] Noster, *Quum in me senserit*. Tunc flebit, quum magna fide hæc tacere me audiet. *Scal.*

ELEGIA XVIII.

5 *Quid si jam canis ætas mea candeat*] Liber noster recte *caneret*, non *candeat*. Canere, est πολιοῦσθαι, in utraque conjugatione, ut 'Fervere Leucaten,' et similia. Caneret, faceret sunt ejusdem temporis: quare ita reponendum. Ante hunc versum autem legendum illud distichon: 'Quin ego deminuo curam.' Sperat vicissitudinem rerum, ut supra. *Scal.*

7 *At non Tithoni*] Certe hæc non cohærent cum superioribus, et ἀποσπασμάτιον est alius Elegiæ. *Scal.*

10 *Quam prius adjunctos*] Lege, *abjunctos*. Abjungere equos et dejungere idem. Paulo diversius interjungere, hoc est dejungere equos, donec cibo recreati sint. Abjugassere quoque est idem quod abjungere: ἀποζεῦξαι, Glossarium. Martialis: 'Interjungere quæris ad Bovillas.' Idem: 'Et hora Interjungit equos meridiana.' *Scal.*

Quam prius adjunctos] Non est moris hoc aurigis seu equisonibus, ut tum demum equos aquatum ducant nitidentve, cum sunt adjungendi, sed ante labore fessos ac sudore plenos pulvereque sordidos lavent. At hoc facit Aurora, cum illi mane a Tithono discedenti ad officium terrarum orbi impendendum revertendum est. Hæc ideo dico, quod dubitem de lectione jam vulgata *abjunctos*. Nam, si lavit *abjunctos equos*, non discedit, sed toto die ac plurimo noctis requiescit. Pall. duo, Colinæi editio aliæque *adjunctos*. Onomasticum 'Adjungo, ἐπιζεύγνυμι.' Sed rectius *abjunctos*, q. d. Cum a terris discedit, nihil Auroræ prius est quam Tithonum in ulnis fovere, relictis equis etiam sudore manantibus. *Gebhard.*

15 *Quum majora*] *Cui majora*, Liber. *Scal.*

20 *Ipsa anus haud longa*] Continuandus versiculus cum eo disticho: 'Quum tibi nec frater nec sit tibi filius ullus.' Quum, inquit, tu sis anus propediem curva futura, et nullus sit nec frater, nec filius, qui te possit γηροτροφεῖν, præter me, qui eorum vice tibi sum. *Scal.*

24 *Ludis et externo*] Insere post hunc versum distichon illud: 'An si cæruleo quædam.' Neque explicatione indiget. *Scal.*

26 *Turpis Romano Belgicus*] Quid esset, jam dixit: 'Ludis et externo tincta nitore caput.' Intelligit enim mutari capillum sapone Belgico. Martialis: 'Caustica Teutonicos accendit spuma capillos.' Ovidius III. de Arte: 'Femina canitiem Germanis inficit herbis: Et melior vera quæritur arte color.' Idem dicit quod Propertius. Sed unde saponem putavit esse herbas? An ex isatide etiam fiebat ille color? Subjicit enim: 'An si cæruleo quædam sua tempora fuco Tinxerit, idcirco cærula forma bona est?' *Scal.*

Turpis Romano Belgicus ore color] Batavi, exemplo ferme cæterorum Germanici nominis, cæsariem aluere flavam, unde epitheto 'auricomos' Poëtæ, et inter hos Silius Italicus, dixerunt: quomodo et Vandalos χρυσοειδεῖς, id est, auricolores capillos Procopius habere ait. Eum colorem in crinibus gelidi cœli beneficio reddi existimat Plinius; ego etiam usu smegmatis et lixivii, quo crines rutilabant; cujus rei fidem facit Epigrammatarius, qui spumam Batavam lixivium appellat illo versu, 'Et mutat Latias spuma Batava comas;' et causticam alibi: 'Caustica Teutonicos accendit spuma capillos.' Ab ignea vi cineris, qui lixivio incoquitur, ex quo smegma sive sapo conficitur, tam liquidus, quam spissus; quem in trochiscos orbiculosve etiam conformabant, talemque 'Mattiacam pilam' nominat Martialis, a Mattiacorum gente, ut Bataviæ vicina, ita et eodem in ob-

sequio Romanis devincta, quos Selandos nunc dicimus. In promiscuum autem et viris et fœminis usum eo usque cesserat rutilandi capillos mos, ut non puduerit Antoninum Imp. capiti flavam cæsariem aptare, quæ mentiretur Germanicæ tonsuræ modum, ut refert Herodianus. Domitianum quoque cultiorem fore ait Martialis, si captivorum Germanorum comis adscititiis adornetur; quæ poëtæ Cæsari adulantis adhortatio studium illud æmulum facile prodit, dum quadam excusationis imagine ad regendam heri sui mollitiem utitur. Tacit. scribit: 'Germanis oculos esse truces et cæruleos, et comas rutilas.' Similiter Horat. Germanam pubem appellat cæruleam. Et Juvenal. Sat. XIII. 'Cærula quis stupuit Germani lumina, flavam Cæsariem, et madido torquentem cornua cirro?' Istud vero rutilandi capillitii studium adeo pertinax etiamnum insedit Frisiorum Cisrhenanorum et Frisiabonum genti, ut, singulis ferme hebdomadibus, lotas caustico lixivio proles, æstivo maxime tempore, locis apricis exponant. *Hadr. Junius Bat. Hist. cap.* VII.

30 *Mi formosa satis si modo sæpe venis*] 'Venis formosa,' hoc est, formosa es; locutio Propertiana. Nam Propertius τὸ 'venire' ἀντὶ τοῦ τυγχάνειν usurpat. Satis, inquit, formosa es, modo mihi uni formosa sis. *Scal.*

33 *Cum tibi nec frater, &c.*] Veteres solebant longe aliter fratris et sororis nomine uti, quam vulgo hodie ea nomina sonant. Fratres enim puellæ blandientes vocabant interdum amatores suos, et eos quibuscum consuerant; ut contra adolescentuli amicas suas, easque quibuscum caput aliquando collimarent, ut Plautus loquitur, sorores blande appellabant. Docet hoc aperte unus Martialis ad Amianum, hac quidem in re satis idoneus auctor; 'O quam blandus es, Ammiane, matri! Quam blanda est tibi, Ammiane, mater! Fratrem te vocat; et soror vocatur. Cur vos nomina nequiora tangunt? Lusum creditis hoc jocumque? non est. Mater quæ cupit esse se sororem, Nec matrem juvat esse nec sororem.' Quo Epigrammate satis facete Martialis Ammianum quemdam incesti cum matre arguit, quam ille, ut amatores solent, sororem, et illa vicissim eum fratrem, quæ nequitiæ nomina sunt, vocabat. Et, ut Martialem breviter explicem, Putatisne, inquit, id jocum esse aut lusum? minime: nam mater, quæ se sororem appellari cupit, et amicæ nomine vocari gaudet, ea certe, ut liberius amoribus suis indulgere possit, neque mater neque vera soror esse optarit. *Lipsius.*

ELEGIA XIX.

4 *Qui te blanditiis non sinat*] Noster *sinit.* 'Non ille sinit magni dominator Olympi.' Virgil. in Cyri: 'Quod nec sinit Adrastia.' Utrunque, pro, sinat: ἀρχαϊκῶς. *Scal.*

5 *Nulla neque ante, &c.*] Negationes duæ pro una, Græcorum more, pro, Nec ulla. Sic Virg. Ecl. v. 'Nulla neque amnem Libavit quadrupes.' Plaut. Asin. Sc. III. Act. I. 'Neque quod velim, neque quod nolim, magni facitis.' *Passeratius.*

10 *Fanaque peccatis plurima causa tuis*] Templa erant diversoria nequitiæ, et in templis adulteria exercebantur: unde exiit illud Satyrici: 'Nam quo non prostat fœmina templo?' Et Ovid. de templo Isidis, quod erat Romæ, loquens, ait: 'Multas illa facit, quod fuit ipsa Jovi.' Gaudet ergo Poëta, quod in agris nulla templa poterunt corrumpere Cynthiam, quæ Romæ erant maxima causa illius adulterii. *Beroal.*

13 *Rara feres inculto thura sacello*] Unusquisque fere in agris et prædiis suis sacellum quoddam Deo cuidam aut Deæ sacrum habebat. Censorinus de Die Nat. 'Et, quum agros atque urbes Deorum munere possíde-

rent, partem quandam templis sacellisque, ubi eos colerent, dicavere.' Plin. lib. IX. Ep. ad Mustium. *Colvius.*

19 *Reddere pinu Cornua*] Apuleius Florid. lib. I. 'Neque enim justius religiosam moram viatori objecerit aut ara floribus redimita, aut spelunca frondibus inumbrata, aut quercus CORNIBUS onerata, aut fagus pellibus coronata.' Cervorum et id genus ferarum cornua de arboribus sacris suspensa Numinibus dedicabant, et Dianæ imprimis. Ut hoc loco Propert. Ovid. Met. 'Telique habet instar, In alta Quæ fuerant pinu, votivi cornua cervi.' Scribit etiam Quæstionib. Rom. Plutarchus, templis omnibus Dianæ cornua cervorum adfigi moris fuisse. Scias et ad aliorum Numinum fanorum limina id ipsum factitatum. Quod indicat Symmachus lib. V. Epist. LXIII. *Colvius.*

20 *Audaces ipse monere canes*] 'Monere,' quod est ἐρεθίζειν. Proprie ἐπιῤῥοθεῖν. Apollonii Scholia ad lib. II. vers. 1197. Ἐπιῤῥοθεῖν κυρίως τὸ τοῖς κυσὶν κελεύειν, καὶ ἐρεθίζειν. Ovid. Epist. IV. 'In nemus ire libet, pressisque in retia cervis Hortari celeres per juga summa canes.' 'Hortari' est ὁμοκλεῖν quoque sicut 'monere.' Unde ὁμοκλὴ hortamentum venatorum et vociferatio, qua canes in premendis feris instigant. Val. Flaccus lib. III. vers. 550. 'Prædæque ferox ardore propinquæ Insequitur; simul Alcides hortatibus instat.' *Gebhard.*

21 *Vastos ausim tentare leones*] 'Captare,' 'tentare,' verba sunt domestica venatoribus. 'Vastos' autem leones vocat, ut Græci ὑπερμεγέθεις, non tam ob molem corporis, quam ingentem rictum sive hiatum. Anacreon χάσμα λεόντες. Papinius lib. IX. vers. CXCIII. 'Præcerpuntque jubas immaniaque ora recludunt.' *Gebhard.* 'Vastos leones' referendum ad vires ingentes omnia sternentes; ut 'vasto impetu,' apud Horat. Et Ovid. X. Met. 'Impetus est fulvis et vasta leonibus ira.' Ubi Venus Adonin monet, ne leonibus aut apris congrediatur. *Passer.*

24 *Figere avem calamo*] Calamum aucupatorium intellige, quo viscato aves capiuntur: cujus meminit Martial. 'Non tantum calamis, sed cantu fallitur ales, Pallida dum tacita crescit arundo manu.' Auceps surgens paulatim calamos elevabat, et eos avibus subjiciebat: quod genus aucupii expressit Silius sic scribens: 'Sublimem calamo sequitur crescente volucrem.' Alii intelligunt de sagitta, qua aves figuntur ab arcu excussa. Calami autem sagittis apud priscos erant accommodatissimi. *Beroal.* Fallitur si quis heic putat 'avem figere calamo' ea notione accipiendum, qua 'columbam figere' dixit Poëta: aut alius, 'damas figere' et 'tigres:' et Firmicus 'pisces cuspide' vel 'tridente figere;' quod est, jaculo vel sagitta trajicere et transfigere. Non de sagitta heic intelligit Propertius, sed de calamo aucupatorio vel crescente arundine, quæ aves tangebat ac veluti fixas vinctasque capiendas dabat. Non *stricto* igitur, sed *structo* legendum: *et structo figere avem calamo.* Per *structum calamum* designat crescentem arundinem: de qua diximus supra. [Quæ autem supra dixerat, hæc erant; In aucupio, quod calamis peragebatur, arundo ad arundinem sic adtexi jungique consueverat, ut sensim cresceret, donec alitis ejus, quæ captabatur, alas viscum tangeret. Hinc 'arundo crescens' hoc genus aucupii vocabatur. Martialis sub lemmate aucupatorii calami: 'Non tantum calamis, sed cantu vincitur ales, Callida dum tacita crescit arundo manu.' Vide Salmas. pag. CXVIII. Exerc. Plinian.] 'Textas arundines' dixit Petronius: σύνθεσιν καλάμων vetus Epigramma, id est, structuram calamorum. Moschus de Aucupe: Καὶ καλάμως σύμπαντας ἐπ' ἀλλάλοισι συνάπτων. Ex his puto intelligere potes,

quid vocet *structum calamum* Poëta. Plura apud modo laudatum Salmasium habes pag. CIƆLXXXVIII. Exerc. Plin.

25 *Qua formosa suo Clitumnus flumina luco Integit*] Clitumnus fluvius ex lacu Vadimonis egeritur, et specu mersus postea oculis redditur. Plinius Cæcilius lib. octavo ad Gallum, postquam de lacu Vadimonis loquutus est, subjungit: 'Idem lacus in flumen egeritur: quod, ubi se paulisper oculis dedit, specu mergitur, alteque conditum meat; ac siquid ante, quam subduceretur, accepit, servat, et profert.' Nos primi nomen illi flumini reddimus apud Plinium, et primi hunc specum Clitumni apud Propertium aperimus, de quo Papinius: 'Umbroque Propertius antro.' Et quia, teste Plinio Cæcilio, lacus Vadimonis, unde egeritur, sacer est, non mirandum, quare sacrum Clitumnum Deum vocet Junius Philargyrus, nisi propterea ita vocaverit, quando absorptus ab illo antro iterum se reddit oculis hominum. Omnes enim fluvii ex specu nascentes aut redditi pro Diis colebantur, eisque aræ statuebantur. Seneca Epistola XLI. 'Magnorum fluminum capita veneramur: subita ex abdito vasti amnis eruptio aras habet.' *Scal.*

32 *Absenti nemo non nocuisse velit*] Duplex negatio unius vice. Alibi: 'Non si Pegaseo,' &c. postea subjungit: 'Nil tibi Mercurii proderit alta via.' *Scal.*

ELEGIA XX.

8 *Sollicito*] Locus castigandus: *Sollicito lacrymæ depluit e Sypylo. Tantum lacrymæ*, ut apud Maronem: 'Nec de concussa tantum pluit ilice glandis.' Errat autem Passeratius, qui 'depluere' non alia opinatur significatione sumi, quam qua 'degrandinare' et 'detonare' sumitur, h. e. pro, pluere desinit. At Columella lib. x. de Jove: 'Inque sinus matris violento depluit imbre.' *Heinsius ad Metamorph. lib.* I. *vers.* 572.

13 *De te quodcunque*] Hoc est, quantum ad te pertinet. Sic supra: 'De me, mi certe poteris formosa videri.' *Scal.*

35 *Hoc mihi perpetuo jus est*] Noster, *Hæc mihi perpetuo vis est*. Scal.

ELEGIA XXI.

1 *Ah quantum*] Frustra circumfertur. Lego *At quantum*. Heinsius in Addendis ad Ovid.

12 *Ejecta est: tenuit namque Creusa domum*] Hunc versum quis non videt corruptum esse? quomodo enim tenuisse domum Jasonis dici potest, quæ ipso nuptiarum die conflagrarit? Scripti plerique *tenuis domo* vel *tenui*. Scribe, *Lecta Creontea est namque Creusa domo*. Creon enim Creusæ pater. *Heinsius ad Ovid. Artem l.* 3. *vers.* 34. Recte vidit Vir illustris locum hunc corruptum esse et medicina indigere. Sed ejus emendationi nescio cur subscribere nequeam, cum a literarum ductu nimium abeat. Propius accedit Gebhardus: *Erecta est tenui namque Creusa domo*. Mihi magis placet: *Electa est tenui namque Creusa domo*; cum ex j in l facillimus sit lapsus. Nec obstat quod *tenuem Creusæ domum* vix vocare posse videatur Poëta, cum regia fuerit: nam tenuis Creusæ domus fuit, si conferatur cum splendore domus Medeæ, quo ipsa gloriatur; et sic prædicat apud Senecam vers. 209. 'Quondam nobili fulsi patre, Avoque clarum Sole deduxi genus. Quodcunque placidis flexibus Phasis rigat; Pontusque quidquid Scythicus a tergo videt; Palustribus quo maria dulcescunt aquis; Armata peltis quidquid exercet cohors Inclusa ripis vidua Thermodontiis: Hoc omne noster genitor imperio regit.' *Bynæus.*

18 *Experta in primo stulta cavere potest*] Lege *potes*. Scal.

ELEGIA XXII.

1 *Here*] Antique, pro, heri. Plaut. Capteivis: 'Adverte animum sis tu istos Captivos duos, here quos emi de præda.' Idem Amph. 'Here venisti media nocte, nunc abis.' Sæpissime Plautus, aliique.

3 *Nulla meis frustra lustrantur compita*] Compitalitios ludos intelligit, qui per vicorum magistros prætextatos fiebant. In illis ludis vidit multas puellas, quæ ludos spectabant, ut ipse innuit. *Scal.*

4 *O nimis exitio nata theatra*] Propter fabulas, quæ agebantur illis ludis. *Scal.*

5 *Sive aliquis molli*] Ludium intelligit. *Scal.*

6 *Seu varios incinit ore modos*] Tibicines καὶ τεχνίτας Διονύσου intelligit, qui erant in scena, et in diverbiis canebant. 'Here' autem initio Elegiæ est χθὲς, non κύριε, ut inepte Beroaldus. *Scal.*

Varios modos] Varii modi, ex discrimine tibiarum; nam graves modi dextrarum tibiarum, qui seriam Comœdiæ dictionem indicabant; leves et acuti sinistrarum et serranarum, quibus jocus ostendebatur; modi mixti et utrarumque tibiarum mixtam joco gravitatem ostendebant. *Passerat.*

7 *Interea nostri quærunt sibi vulnus*] Ἀλγηδόνας ὀφθαλμῶν. Proverbialiter. *Scal.*

9 *Puris in frontibus*] Hoc de puro discrimine est intelligendum. *Turn.*

10 *Indica quos medio vertice gemma tenet*] Intelligit Græcorum ἄμπυκα: de quo Scholiastæ Euripidis et Pindari hæc adnotant. Ἄμπυξ κυρίως κόσμος τις χρυσῷ καὶ λίθοις πεποικιλμένος, ὃν περὶ κεφαλὰς αἱ γυναῖκες φοροῦσιν. Papinius Achill. 'Gemmatis aut nectunt tempora limbis.' Claudianus: 'Substringitque comam gemmis et colla monili.' *Gebh.*

15 *Cur aliquis sacris laniat sua brachia cultris? Et Phrygis insanos cæditur ad numeros*] Mart. 'Alba minus sævis lacerantur brachia cultris, Cum furit ad Phrygios enthea turba modos.' *Dousa P.*

23 *Percontere licet*] Vetus formula. Cujus unum hoc exemplum adducit Brissonius ex lib. II. de Orat. 'Licet, inquit, rogare, Philippus.' Plaut. Mil. Act. II. Sc. VI. 'Licetne? Quin te jubeo:' et Persa Act. IV. Sc. IV. 'D. Hospes volo ego hanc percontari. S. A terra ad cœlum in quidlubet. D. Jubedum ea accedat huc ad me. S. I sane, ac morem illi gere. Percontare, exquire quidvis.' Sic in antestatione: 'Licet antestari?'

40 *Ut sciat esse aliam, quæ velit esse mea*] Hunc respexit declamator ille apud Senecam Controvers. v. lib. II. 'Volo tibi malam gratiam cum sponso tuo facere; habet amicam.' *Dousa P.*

41 *Retinacula*] Retinacula ea omnia dicuntur, quibus quid retinetur et religatur. Sunt et 'retinacula' Virgilio, quibus navis appulsa religatur ad palum, cui nomen 'primnesius,' sive 'tonsilla,' Festo. Anchoræ autem, cum e funibus pendeant, jaciuntur et a prora et a puppi ut firmius stet navis. *Passerat.* Glossarium: 'Retinacula, ἀπόγεια, κατοχεῖς.' Papinius ipsas anchoras vocat retinacula l. III. Silv. 'Uncaque submersæ penitus retinacula velent.'

46 *Speranti subito siqua venire negat*] Propertianum, 'siqua negat,' hoc est, si amica negat. Supra: 'Aut si qua Arabio lucet bombyce puella.' Indefinite: quum tamen Cynthiam intelligat. *Scal.*

48 *Quum recipi quem non noverit ille putat*] Versus interpolatus. Ne sincera quidem scriptura in nostro: *Cur recipi quæ non noverit, illa vetat.* Lege: *Quum recipi quem non noverit illa vetat.* Fingit enim se non nosse, quem vult excludi. *Idem.*

49 *Puerum quærendo*] Servum internuncium, qui et salutigerulus, intelligit. Salutigeruli servi erant, qui

jussu domini dominæve ultro citroque mandata, literas, salutesque perferebant. Ad hos respexit Apuleius de Deo Socratis: 'Hos Græco nomine Δαίμονας nominant, inter terricolas cælicolasque vectores hinc precum, inde donorum; qui ultro citroque portant hinc petitiones, inde suppetias: ceu quidam utriusque interpretes et internuncii.' Vide Plaut. in Aulul. ubi mores mulierum probe memorat.

ELEGIA XXIII.

1 *Cui fuit*] Ait se, relicto amore matronarum, contulisse se ad amandas eas, quæ minore negocio faciunt copiam sui: et colligit multa argumenta, quibus harum amorem tutiorem ac jucundiorem esse concludat. Ead. de re quædam sunt ap. Horat. S. I.

Cui fuit indocti] Continuanda hæc sunt: quod ex sequentibus facile patet, atque adeo ex antecedenti disticho. Cujus sententia suspensa; continuat enim fastidia matronarum. Legendum vero *indocto*, non *indocti*. Qui indoctus, καὶ ἄπειρος fugiebam vagas puellas, nunc re ipsa expertus et doctus illas sector. *Scal.*

2 *Ipsa petita lacu*] Proverbium; volgivagam Venerem intelligit. Nam lacus est publicus. Horatius: 'Omnes Gestiet a furno venientes scire lacuque.' Nunc vagæ puellæ placent, inquit. *Idem.*

4 *Ut commissa suæ*] Vetus scriptura, *promissa*. Nescio an bene. *Idem.*

6 *Integit*] Recte. Porticus enim ambulantibus integumentum. *Dousa P.*

7 *Deinde ubi pertuleris*] Post hoc distichon inserenda tria illa ordine, 'Et modo pavonis caudæ flabella superbæ.' Quæ quam importuno loco leguntur! *Scal.*

Deinde ubi pertuleris, quos dicit fama labores Herculis, ut scribat, Muneris ecquid habes] Huc spectat distichon Epigrammatis Græci ex VII. Anthol. Ἐλπίζειν ἔξεστι; ζητεῖς δὲ τί; νύκτα. φέρεις τί; Χρυσίον. εὐθύμει. καὶ πόσον; οὐ δύναμαι. F. ἔξεστ'; αἰτεῖς δὲ τί; *Dousa F.*

Deinde ubi pertuleris, quos dicit Fama labores Herculis, huic quod das muneris ecquid habes] Ita locum illum ex vestigiis veterum membranarum videri castigandum ad ipsum Propertium pluribus adstruemus. *Heinsius in Addendis ad Ovid.*

9 *Cernere uti possis*] Hæc vulgo non bene distinguuntur. Ita enim legenda potius esse videntur: *Cernere uti possis vultum custodis avari, Captus et immunda sæpe latere casa, Quam care semel in toto nox vertitur anno?* Facete παρὰ προσδοκίαν. Nam, quum deberet dicere: Quam care nox una emitur, ut potiaris optatis; dixit: Ut lateas in immunda casa, et ut pericliteris rejici a duro custode. *Scal.*

12 *Ah pereant si quos janua clausa juvat*] Eubulus Comicus: Ὅστις λέχη γὰρ σκότια νυμφεύει λάθρα, Πῶς οὐχὶ πάντων ἐστὶν ἀθλιώτατος; Ἐξὸν θεωρήσαντι πρὸς τὸν ἥλιον Γυμνὰς ἐφεξῆς ἐπικαίροις τεταγμένας, Ἐν λεπτονήτοις ὑμέσιν ἑστώσας, οἵας Ἠριδανὸς ἁγνοῖς ὕδασι κηπεύει κόρας, Μικροῦ πρίασθαι κέρματος τὴν ἡδονήν, Καὶ μὴ λαθραίαν Κύπριν αἰσχίστην ὅσων Πασῶν διώκειν ὕβρεος οὐ πόθου χάριν. *Scal.*

13 *Contra rejecto*] Jam diximus ex Eubulo, Γυμνὰς ἐφεξῆς, et Ἐν λεπτονήτοις, &c. *Idem.*

14 *Custodum &c.*] 'Tumorem custodum' interpretor custodes tumidos et superbos, qui amatores a foribus amovere solent. Nec adsentior ingeniosissimo Palmerio, qui densam coronam, et fretum illud turbæ, tumorem dictum putat. Sic 'sententia Democriti,' h. e. Democritus, apud Lucret. 'Sententia Catonis' apud Horatium. 'Trabeati cura Quirini' pro Romulo apud Ovidium. *Scioppius Verisimil. l.* 4. c. 9.

19 *Nec dicet, timeo*] Huc pertinet illud: 'Et simulare virum pretium facit.' *Dousa P.*

20 *Hodie vir mihi rure venit*] Lege finem secundi Sermonis libri primi apud Horatium. *Scal.*

21 *Et quas Euphrates*] In versib. Eubuli. Οἷας Ἠριδανὸς, &c. *Scal.*

ELEGIA XXIV.

1 *Tu loqueris, quum sis*] Et in nostro scripto et in editionibus hæc perperam divulsa sunt a superioribus. Quare conjunge, atque ita lege: *Libertas quoniam nulli jam restat amanti, Nullus liber erit, si quis amare volet: Tu loqueris, &c.* Est objectio. Et dicitur μιμητικῶς. *Scal.*

3 *Cui non his verbis aspergat tempora sudor*] Scribe, *surdo*. Quem non hæc verba pudore suffundant, etiam si surdis auribus esset? Alioqui bilca est oratio. *Scal.*

7 *Per totam infamis traducerer urbem*] Est 'traducere' damnatum aliquem populo spectandum, ignominiæ caussa, exhibere. Hispane *sacar a la verguença*. Suetonius in Tito cap. VIII. 'Hos [delatores] assidue in foro flagellis ac fustibus cæsos, ac novissime traductos per Amphitheatri arenam, partim subjici in servos, aut venire imperavit: partim in asperrima insularum avehi.' Antiquior Suetonio Seneca accipiat lucem Epist. CIX. de Attalo; 'Cum cœperat,' inquit, 'voluptates nostras traducere, laudare castum corpus, sobriam mensam,' &c. ubi 'traducere' eleganti metaphora ita reprehendere significat, ut turpitudinem nostrarum voluptatum tanquam in pompam duceret populo exsibilandam. Et Petronius in Satyrico, ubi Quartilla juvenes rogavit, ne quod in Sacello Priapi viderant vulgarent, sic inquit; 'Protendo igitur ad genua vestra supinas manus, petoque et oro, ne nocturnas religiones jocum risumque faciatis, neve traducere velitis tot annorum secreta, quæ vix ulli homines noverunt:' id est, ne manifesta faciatis secreta, et in pompa palam irridenda ducatis. *Ramirez.*

8 *Ureret et quamvis, nomine verba darem*] Id est, suppositicio amicæ nomine populo imponerem, quod fecit Propertius. Ea enim non Cynthia, sed Hostia vero nomine appellata fuit. Auctor Apuleius Apologia I. *Dousa P.*

9 *Quare ne tibi sit*] Hæc concludunt principium Elegiæ, aut paulo post: 'Quæris, Demophoon, cur sim tam mollis in omnes?' Vides ergo importune hæc lacerata fuisse. *Scal.*

Quærere viles] Sane hæc ostendunt superiora importune divulsa fuisse. *Scal.*

11 *Pavonis caudæ flabella superbæ*] Vel flabello muscas exigunt, juxta Martialis distichon: 'Lambere quæ turpes prohibet tua prandia muscas, Alitis eximiæ cauda superba fuit.' Vel ventum faciunt, juxta Terentianum illud in Eunucho: 'Heus tu, Dore, cape hoc flabellum et ventulum huic facito, dum lavamur.' Ovidius de Arte Amandi, 'Profuit et tenui ventos movisse flabello.' Claudianus: 'Et cum se rapido fessam projecerat æstu, Patricius roseis pavonum ventilat alis.' *Ursinus.*

12 *Et manibus dura frigus habere pila*] Pilam lusoriam intelligit, cujus inventor Pithus, ut scribit Plin. lib. VII. cap. LVI. Ea lusitasse etiam puellas auctor Virgilius in Cyri: 'Cum lapsa e manibus (Scyllæ) fugit pila,' de ludo virginali. Lucanus ad Pisones: 'Nec tibi nobilitas minor est, si forte volantem Aut geminasse pilam juvat, aut revocare cadentem, Et non sperato fugientem reddere gestu.' *Passerat.* Beroaldus locum hunc Propertii intelligit de pila puellari ex crystallo, quam matronæ æstivo tempore manibus continent ad æstum refrigerandum.

17 *Hoc erat in primis*] Hic alia Elegia incipit. *Scal.*

31 *Qui nunc se in tumidum*] Post hoc distichon illud reponendum: 'Dura est quæ multis simulatum.' Tu, inquit, simulato amore in falsam spem inducis me. Ast ego non ita: nam me nulla ætas mutabit. Utitur tertia persona more suo, ut supra non semel. Dixit enim: 'Et se plus uni si qua parare potest.' 'Si qua' enim dixit de ipsa Cynthia loquens, quasi diceret: Dura es, quæ te plus uni paras: ut supra: 'Nec si qua Arabio lucet bombyce puella.' 'Si qua' est indefinite pronunciatum. Atqui de finita persona loquitur. *Scal.*

41 *Credo ego, &c.*] Duplici modo verba illa accipi possunt. Ut vel hoc videatur dicere: Credo ego multos ad hunc modum, i. e. tam constanter, quasi ego te amo, amasse; sed rursus credo, multos etiam inconstantes fuisse. Vel illud: Credo, multos quidem talem figuram et pulchritudinem, quali tu es prædita, amasse, sed non omnes certos et constantes fuisse. Ut 'hac figura,' vel pro, hoc modo, vel hac pulchritudine, accipiamus. Posterius frequens est apud Propertium; illud non item. Dictumque videtur, sicut illud Plauti: 'ad hanc faciem,' i. e. talis. 'Perire' autem, ut sæpe, et heic est amare. *Scioppius Verisimil. lib. 3. c. 10.*

49 *Noli nobilibus*] Locus ille castigandus: *Noli nobilibus, noli te offerre beatis; Vix venit extremo, qui legat ossa, die.* Invidiosum illud plane *noli te offerre*, et plus est, quam si dicat: Noli tui copiam nobilibus et divitibus facere. Vulgati nullo sensu, *noli conferre*. Heinsius in Addendis ad Ovid.

52 *Pectore nuda*] Idem, quod, uti Poëtæ loquuntur, 'nuda pectus,' 'nuda genu.' 'Nuda' enim hoc loco nominandi casu positum est. *Dousa P.* Sed rectius alii libri: *pectora nuda*.

ELEGIA XXV.

1 *Unica nata meo*] Et hæc importune a superioribus divulsa. Persequitur enim, quod inceperat. Ait se fore illi uni addictissimam, neque aliam amatorum. Legendum vero: *Unica nata meo pulcherrima cura dolori, Excludi quoniam sors mea, sæpe venis.* Quoniam ita mihi forte evenit, ut, alii nocte promissa, ego excludar, tu eris nihilominus etiam absens unica cura animo meo. Nam verbum veniendi apud Propertium, ut jam indicavi, est τὸ τυγχάνειν. Alioqui quam ineptum erat dicere: Quia ego excludor a te, tu sæpe veni ad me. Quis risum contineret? Hæc sane obscura hactenus fuerant. *Scal.*

2 *Excludit quoniam*] Malo, *Excludi*. Sors mea est excludi. Ut ille Phædria in Eunucho cedit, alteri nocte concessa. Quare superius: 'Dura est, quæ multis simulatum ducit amorem, Et se plus uni si qua parare potest.' Exclusit enim Propertium, quia alii condixerat. *Scal.*

5 *Miles depositis annosus secubat armis, Grandævique negant ducere aratra boves, Putris et in vacua requiescit navis arena*] Eadem fere omnia ab Ovidio recensita habes II. Amorum: 'Fessus in acceptos miles deducitur agros Tutaque deposito poscitur ense rudis, Longaque subductam celant navalia pinum; Mittitur in saltus carcere liber equus.' *Dousa P.*

8 *Et vetus in templo bellica parma vacat*] Mos Veteribus, cum militia se abdicarent, arma sua in Deorum templis suspendere, addita inscriptione. Aristophanis interpres ad Equites: Ἔθος ἦν τὰ ἀπὸ τῶν πολέμων ὅπλα ἐν τοῖς ἱεροῖς ἀνατίθεσθαι. Nemesianus Ecloga I. 'Nunc album caput et Veneres tepuere sub annis. Jam mea ruricola dependet fistula Fauno.' Virgil. Æn. lib. I. 'Genti nomen dedit, armaque fixit Troia.' Et lib. III. 'Ære cavo clypeum magni gestamen Abantis

Postibus adversis figo, et rem carmine signo, Æneas, hæc de Danais victoribus arma.' Ovid. Met. lib. xv. 'Cognovi clypeum lævæ gestamina nostræ, Nuper Abanteis templo Junonis in Argis.' Horat. lib. I. Epist. I. 'Veianius armis Herculis ad postem fixis latet abditus agro.' *Meursius.*

9 *Aut me ab amore tuo*] Post hoc distichon repone illud, 'Et si sæcla forent,' cum sequenti. Nam superior sententia cum illis congruit. Si, inquit, paterentur sæcula ut essem quod nunc tu es, nempe puella antiquis grata, hoc est, jam provectior ætate, jam æqualis provectis: quod tamen ætas mea non permittit: quod tamen per ætatem meam non licet. Nam tu es provectior me. Supra: 'Quum sis Ipsa anus, haud longa curva futura die.' Item: 'Appia cur toties te via ducit anum?' *Scal.*

11 *Nonne fuit satius*] Nonne satius erat hæc pati, quam mutare amorem meum? *Scal.*

14 *Si pateremur aves*] Scita, poëtica, vereque adeo Propertiana locutio illa 'Gorgonis' &c. Quippe 'si' novo more, nullique, quod sciam, Poëtarum usitato, priori narrationi subjunctum est, qua tamen ipse Propertius postea utitur: lib. insequente: 'Issent Phlegræo melius tua funera campo: Vel tua si socero colla daturus eras.' *Dousa P.*

17 *At nullo dominæ*] Aliter et melius legendum ex antiqua scriptura: *At nullo de me teritur sublimine amor, qui Restat.* Sublimen est idem quod limen inferius, ut in Varronem annotamus: ut contra superlimen, hoc est, ὑπέρθυρον in Veteri Glossario. Amor, qui restat de me, durat, quum de ferro nihil tandem restet, quod duret. Liminis autem facta mentio propter vigilatas noctes amantibus ad limina amicarum. *Scal.*

21 *Tu quoque qui pleno fastus*] Referendum ad eum, de quo superius conquerebatur, quum ait: 'Tetra venena libens,' &c. Ut appareat recte nos hæc cum illis conjunxisse. *Scal.*

Qui] *Quid* lego; non, ut in libris formulariis est, *Qui*: hoc modo: *Tu quoque quid p. f. a. a. Credule?* Dousa P.

23 *In mediis persolvit vota procellis*] Vota 'solvi' et 'reddi' dicebantur. Unde Macrobius lib. III. Sat. cap. v. ad illum Virgilii versum lib. v. Æn. 'Hanc tibi Eryx meliorem animam pro morte Daretis Persolvo:' eorum verborum proprietatem observans, adnotat Virgilium, ut nuncupata vota significaret, dixisse 'persolvo,' quod de voto proprie dicitur. Sic et apud Ovid. lib. v. Fast. Flora de ludis sibi ex voto suscepto factis, 'Annuimus,' ait, 'votis: Consul cum Consule ludos Posthumio Lenas persoluere mihi.' Valerius Maximus lib. I. cap. I. 'Item Matri Deum sæpenumero imperatores nostri compotes victoriarum suscepta vota Pessinuntem profecti solverunt.' Festus Pomp. 'Minuitur luctus, cum votum publice susceptum solvitur.' *Brissonius.*

24 *Quum sæpe*] Legendum putabam *Quam*, i. e. antequam: q. d. Noli te amoris tui venustate jactare, quum nondum ad finem amoris perveneris. Nemo enim in mari Dis marinis pro se servato gratias persolvit, antequam ratem in portum securitatemque deduxerit. *Quam* pro, antequam, ἀρχαϊκῶς.

25 *Aut prius*] Observa 'prius deposcit antequam' &c. Sic Virgil. 4. Æneid. 'Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat, Ante, Pudor, quam te violem.' Nisi si heic apud Propertium *Arte* pro *Ante* legendum sit. Arte enim in ludis curulibus vel maxime opus fuisse, quis est, qui ignoret? Et docet illud filium suum Nestor Iliad. ψ'. Μήτι δ' ἡνίοχος περιγίγνεται ἡνιόχοιο. 'Arte etiam aurigas aurigæ vincere suerunt.' *Scioppius Verisimil. l.* 3. *c.* 10.

26 *Septima quam metam triverit arte*

rota] In unoquoque missu a singulis agitatoribus septem exigebantur spatia et curricula. Suet. in Domit. cap. IV. Senec. Ep. XXX. Arnob. lib. VII. Lactant. lib. VII. cap. XXVII. Cassiodorus scribit, 'equos circum septem metas incitari solitos.' 'Metam,' opinor, dictam, quod ea definitum erat circi spatium, a metiendo vel metando. Isidorus cap. XXVI. lib. XVIII. 'Ornamenta Circi, ova, meta, obeliscus, carceres.' Metæ olim ligneæ, sed aureas fecit Imperator Claudius, inquit Suet. in Claudio cap. XXI. Iligneam metam statuit Æneas apud Virg. lib. V. qui et metæ usum docet: 'Hic viridem Æneas frondenti ex ilice metam Constituit, signum nautis, pater: unde reverti Scirent, et longos ubi circum flectere cursus.' Meta erat κωνοειδὴς, turbinata, quæ forma etiam pyramidum et cupressorum; unde Ovid. 'Metas imitata cupressus;' et ita seni statuunt molas, ut vocant rustici. Flexus ipse metæ Græcis modo τροπὴ dicitur; unde τροπικὸς Astrologorum, quia ab eo tempore sit τροπὴ, et reversio solis: modo καμπτὴρ, qua voce tanquam Latina usus Pacuvius apud Nonium. Periculosus autem erat ille flexus. Ideo Nestor apud Hom. Iliad. Ψ. Antilochum filium monet ita metæ appropinquet, ut vitet tamen lapidis tactum, ne et vulneret equos et currum frangat. *Passerat.*

34 *Invidiam quod habet*] Νεμεσητόν τι. *Scal.*

40 *Quantum sic cruciat*] Plane est Herodoti ἀλγηδόνες ὀφθαλμῶν. Supra: 'Interea nostri quærunt sibi vulnus ocelli.' *Scal.*

42 *Dulcis uterque color*] Scribe, ut in nostro, *ducit*. Scal.

48 *Una sit*] Potest etiam legi *Una sat*. Scal.

ELEGIA XXVI.

5 *Qualem purpureis agitavit*] Melius liber, *agitatam*. Scal.

22 *Potens*] Potens hic, qui amore multum potest, ut qui amatur et potitur: ut apud Catullum in Inferiis Fratris, 'Sis in amore potens,' id est, in amore eveniat tibi, ut potiaris: ut Eleg. V. 'Cinthia forma potens, Cinthia verba levis.' *Turnebus.*

ELEGIA XXVII.

1 *At vos incertam*] Conjunge cum superioribus. *Scal.*

3 *Phœnicum inventa*] Multarum rerum inventores et autores Phœnices sunt. Plin. lib. V. cap. XII. Strabo lib. XVI. a Phœnicibus ad Græcos manasse astronomiam, ait, et arithmeticam. Interpres Arati. Q. Cic. apud M. Fr. II. De Nat. Deor. De Cynosura: 'Hac fidunt duce nocturna Phœnices in alto.' *Passerat.*

5 *Seu pedibus Parthos sequimur, seu classe Britannos*] Respicere videtur ad expeditiones ab Augusto susceptas, quarum et Horat. meminit, Britannos istos cum Parthis conjungens; 'Præsens Divus habebitur Augustus adjectis Britannis Imperio, gravibusque Persis.' Quæ evenerunt anno U. C. 723. 'Collegam Lepidum quo duxit Lollius anno.' *Dousa P.*

13 *Jam licet et Stygia sedeat sub arundine remex*] Sæpe mihi dubiam traxit sententia mentem, quid tandem significare voluerit Propertius, cum hæc scripsit. Modo enim de pertica portisculi, id est, hortatoris remigum, qua excursum, ut ait Nonius, et exhortamenta moderatur; modo de calamis et arundinibus forte ad ripam Stygis provenire solitis intelligendum; postremo etiam arundinem istam Stygiam pro receptaculo navali sive tugurio, ac gurgustio arundinum tegulo cooperto ex nostratium consuetudine, quo lenunculi aut cymbæ quieturæ subducuntur, et tanquam in portu collocantur, ne videlicet nudo ætheri expositæ rimis fatiscant, tabulæque ac latera earum nimio cœli æstu contra hiatum ac lucem per commissuras admittant, accipi

posse opinabar. Nunc ad priorem meam sententiam postliminio relabor, et arundinem Stygiam portisculum, id est, perticam, ut dixi, arundineam Charontis interpretor, quam idem ex navali disciplina in manu tenens, umbraticis vectoribus suis signum modumque dat remigandi. *Dousa P.*

ELEGIA XXVIII.

16 *Extremo venit*] Puto legend. *veniet.* Muret.

25 *Quod si forte tibi properarint fata quietem*] Idem Tibullus: 'Seu matura dies fato properat mihi mortem.' *Dousa P.*

29 *Et tibi Mæonidas interque heroidas*] Liber: *Et tibi Mæonidas inter Nereidas.* Neutra lectio bona. Legendum: *Et tibi Mæonias inter heroidas.* Aspiratio pro positione est. Ausonius: 'Mercator hodie, cras citharœdus eris.' *Scal.*

36 *Laurus*] Lauri duo genera ponit Cato de R. R. cap. VIII. Delphicam et Cypriam. Delphica coronabantur Delphis sacrorum carminum victores et triumphantes Romæ. Cypria subcrispa est, foliaque habet brevia et nigra: ea ante curias, domos Cæsarum, Pontificum, et Flaminum ponebatur, et Martiis Calendis renovabatur. Theocritus μελαμφύλλους δάφνας utramque laurum promiscue vocat. Vide Plinium, lib. XV. cap. XXX. Apollini autem dicata a Veteribus laurus; unde etiam in templis ejus coronæ ex lauro confectæ videbantur. Caussa autem, quod laurus vaticinationis symbolum; veteres enim ex lauri crepitu rerum eventa observabant, et, in ignem injecta si cum strepitu conflagrasset, auspicatissimum erat signum, maxime colonis. Si vero sine strepitu consumeretur, sinistrum omen erat. *Meursius.*

43 *Sacro me carmine damno*] Notatu dignum est, eos, qui vota fecerant, reos voti; eorumque compotes factos, quoad promissa solvissent, damnatos voti, appellatos. Macrob. lib. III. Saturn. cap. II. expendens hunc Virgilii versum, 'Constituam ante aras voti reus:' 'Hæc vox,' ait, "Voti reus,' propria est sacrorum, ut reus vocetur, qui suscepto voto se Numinibus obligat: damnatus autem, qui promissa non solvat.' Servius in Schedis: 'Damnare est, damno afficere, id est, debito liberare. Ideo, et cum vota suscepimus, rei voti dicimur, donec consequamur beneficium, et donec condemnemur, id est, promissum solvamus; ut [Virgil. Bucol. Eclog. v.] 'Damnabis tu quoque votis.'' Livius lib. v. 'Camillus identidem omnibus locis concionabatur, haud mirum id quidem esse, furere civitatem, quæ, damnata voti, omnium rerum potiorem curam, quam religione se exsolvendi habeat.' Idem lib. VII. de L. Furio Dictatore: 'Inter ipsam dimicationem ædem Junoni Monetæ vovit; cujus damnatus voti, cum victor Romam revertisset, dictatura se abdicavit.' Et lib. x. 'Ut ædem etiam fieri Senatus juberet, bis ejusdem voti damnata Respub. in religionem venit.' Idem lib. XXXIX. 'Damnatam voti Deum benignitate, exsolvere id velle.' Et lib. XXVII. 'Damnarenturque votorum quæ pro ipsis suscepissent.' Nonius Marcellus: 'Damnare et condemnare pro, liberare, positum est.' Titinnius Veliterna: 'Fortasse votum fuisse, quo die liber foret. Nunc ejus voti condemnatus immolavit hostiam.' Turpilius Leucadia: 'Et amplius illam apparere condecet, quandoquidem voti condemnata est.' Sisenna Hist. lib. IV. 'Quo voto damnati fœtum omnem dicuntur ejus anni statim consecrasse.' *Brissonius.*

45 *Ante tuosque pedes illa ipsa adoperta sedebit*] Duo adorationis signa, velari, et sedere. De velatione notissimum vel ex illo: 'Et caput ante aras Phrygio velavit amictu.' Juvenalis: 'Stetit ante aram, nec turpe putavit Pro cithara velare caput: dic-

tataque verba Protulit.' De sedendi ritu Tertullianus de Oratione: 'Porro quum perinde faciant nationes adoratis sigillaribus suis residendo, vel propterea in nobis reprehendi meretur, quod apud idola celebratur.' Pythagoricum autem illud est, et ex ea schola in ritum Romanorum migravit. Notum enim symbolum, *προσκυνήσαντα ἐπικαθῆσθαι*. *Scal.*

Adoperta] Capite operto salutatos Deos ostendit Plautus in Curcul. Act. III. Sc. I. his verbis: 'Quis hic est, qui operto capite Æsculapium Salutat?' Hinc et in Amph. Act. II. Sc. I. ab Alcmena parturiente Deos capite operto invocatos refert. Idemque aperte Plutarchus ἐν Αἰτίοις ἤτοι Ῥωμαϊκοῖς, tradit: *Διὰ τί*, inquiens, *τοὺς Θεοὺς προσκυνοῦντες, ἐπικαλύπτονται τὴν κεφαλήν*; Et mox; *Τοὺς δὲ Θεοὺς οὕτω προσεκύνουν, ἢ ταπεινοῦντες ἑαυτοὺς τῇ ἐπικρύψει τῆς κεφαλῆς, ἢ μᾶλλον εὐλαβούμενοί τινα φωνὴν προσπεσεῖν αὐτοῖς ἔξωθεν εὐχομένοις ἀπαίσιον καὶ δύσφημον, τῶν ὤτων ἀνελάμβανον τὸ ἱμάτιον*. Et certe non a salutantibus modo et adorantibus, sed et a sacrificantibus, Deos (Saturnum, Honorem, et Herculem excipio) capite operto, obvoluto, vesteque ad aures adducta, coli consuevisse constat. Saturno namque et Honori, *θύειν ἀκαλύπτῳ* vel *ἀπαρακαλύπτῳ τῇ κεφαλῇ*, moris fuisse Plutarch. *ἐν Αἰτίοις* auctor est. Festus Pomp. 'Lucem facere dicuntur Saturno sacrificantes, id est, capita detegere.' Macrob. lib. I. Sat. cap. X. de Saturno: 'Hinc est quod ex instituto peregrino huic Deo sacrum aperto capite faciunt.' Proinde apud eundem lib. I. cap. VIII. ubi de æde Saturni scriptum est: 'Illic Græco ritu capite operto res divina fit: quia primo a Pelasgis, post ab Hercule, ita eam a principio factitatam putant;' legendum proculdubio est, *capite aperto*. Quo ritu etiam Herculi rem divinam factam Halicarn. lib. I. docet. Hoc idem Macrobius lib. III. Saturn. cap. VI. confirmat, Cornelii Balbi hæc verba adferens: 'Apud aram Maximam observatum, ne lectisternium fiat: custoditur in eodem loco ut omnes aperto capite sacra faciant. Hoc fit, ne quis in æde Dei habitum ejus imitetur. Nam ibi operto ipse capite est. Varro ait, Græcum hunc esse morem: quia sive ipse, sive ab eo relicti, qui aram Maximam statuerunt, Græco ritu sacrificaverunt. Hoc amplius addit C. Bassus: Idcirco enim hoc fieri, dicit, quia ara Maxima ante adventum Æneæ in Italia constituta est, qui hunc ritum velandi capitis invenit.' Et certe morem hunc purum putum Romanum fuisse, et ex patriis Latinorum institutis, docet Virgil. lib. III. Æneid. cujus versus ipsos, quod perspicue hujus ritus non minus originem, quam caussas aperiant, subjeci. His enim præceptis vates Æneam instruit: 'Quin ubi transmissæ steterint trans æquora classes, Et positis aris jam vota in litore solves, Purpureo velare comas adopertus amictu: Ne qua inter sanctos ignes in honore Deorum Hostilis facies occurrat et omnia turbet. Hunc socii morem sacrorum, hunc ipse teneto, Hac casti maneant in relligione nepotes.' Ubi casti maneant in relligione nepotes.' Ubi Servius, 'Sane,' ait, 'sciendum est, sacrificantes Diis omnibus, capita velare consuetos ob hoc, ne se inter religionem vagis offerret aliquid obtutibus, excepto tantum Saturno.' Festus Pomp. in Verbo 'Saturnia;' 'Saturnii quoque in imo clivo Capitolino immolabant: ubi ara dicata ei Deo ante bellum Trojanum videtur, quia apud eum supplicant apertis capitibus. Nam Italici auctore Ænea velant capita: quod is, cum rem divinam faceret in litore Laurentis agri Veneri matri, ne ab Ulysse cognitus interrumperet sacrificium, caput adoperuit, atque ita conspectum hostis evitavit.' Aurelius Victor in Brevi-

ario Hist. Romanæ de Æneа loquens: 'Cum interim immolata sue in litore sacrificium perageret, traditur forte advertisse Argivam classem, in qua Ulysses erat: cumque vereretur ne ab hoste cognitus periculum subiret, itemque rem divinam interrumpere summum nefas duceret, caput velamento obduxisse, atque ita pleno ritu sacra perfecisse: inde posteris traditum morem ita sacrificandi, ut scribit M. Octavius.' Hinc Varro lib. IV. LL. 'Ricam,' ait, 'a ritu dictam, quod Romano ritu sacrificium feminæ cum faciunt, capita velant.' Livius lib. x. 'Si conspiciatur cum capite ac lituo, capite velato victimam cædat.' Ex hoc porro ritu apud Valerium Flaccum lib. v. Mopsus vates, dum manes veneratur, iisque vinum dat, caput obnubit. *Brissonius.*

49 *Sunt apud infernos tot millia formosarum: Pulcra sit in superis scilicet una locis*] Hanc et numerorum et loquendi generis rationem expressit Secundus noster, lib. II. Elegiar. ubi scribit: 'Cuncta patent tibi, Somne, cubilia formosarum: Nocte brevi vigilet scilicet una mihi.' *Dousa P.*

53 *Et quot Troja tulit*] Vereor, ut satis vera sit hæc lectio. Nam diversa est scriptura: *Et quot hioa tulit*, et eadem manu in margine, *Hiona*. Ego puto eum dixisse *Iona*, pro Ἰωνία. Nam et 'Arabus' dixit, pro Ἀράβιος, et Virgilius in Culice, 'Cilicus' pro Κιλίκιος. Sane legendum, *Et quot Iona tulit*. Scal.

54 *Et Phœbi et Priami*] Noli dubitare, quin legendum sit, *Et Thebe, et Priami diruta regna senis*. Si ergo hic Trojæ meminit, quare superius idem dixisset? aut potius, quare hic repeteret, si jam meminerat? Non dubium est, quin legendum, ut indicavimus, *Iona*, metaplasmo, quo dixi. Deinde non verisimile est, quum regiones καλλιγύναικας recenseret, tacuisse formosissimarum mulierum nutricem Ioniam. Hoc sæpe bonos auctores corrupit, Latinitatis priscæ mysteria ignorare. *Scal.*

58 *Longius aut propius*] Horatius: 'Serius ocius Sors exitura.' *Scal.*

60 *Munera Dianæ debita redde choro*] Repone veterem lectionem, *choros*. Infra: 'Quum videt accensis devotam currere tædis In nemus, et Triviæ lumina ferre Deæ.' *Scal.*

61 *Redde etiam excubias*] Infra: 'Tristia jam redeunt iterum solennia nobis: Cynthia jam noctes est operata decem.' *Scal.*

62 *Votivas noctes et mihi solve decem*] *Redde*, non *solve*, habet noster codex. Et profecto melius. Votivas noctes decem pervigilabant Isidi: quod jam attigimus, et cognoscimus ex eadem infra: 'Cynthia jam noctes est operata decem.' Et ex Tibullo: 'Ut mea votivas persolvens Delia noctes Ante fores lino tecta sacras sedeat.' Apuleius de casto Isidis etiam dies jejunare: 'Decem continuis illis diebus cibariam voluptatem coërcerem.' Vult Propertius illi eas imputari, et sibi reddi. *Scal.*

Votivas noctes et mihi solve decem] Tot enim noctes ex voto, quod Isidi fecerat, 'sejuncta,' ut Poëtæ ipsius verbis utar, 'cubuerat' Cynthia. Idem officii quoque a Philenio sibi evenire stipulatur, exigitque porro Diabolus Plautinus. Sic enim est in Asinar. 'Si forte pure velle habere dixerit, Tot reddat spureas quot puras habuerit.' *Dousa P.*

ELEGIA XXIX.

2 *Me servorum duceret ulla manus*] Servos adversitores intelligit; quorum ministerium est ire ad herum foris cœnitantem, et eum domum reducere ac comitari. Plaut. Mostell. 'Solus eo nunc adversum hero ex plurimis servis. Hanc rem die crastino quom herus resciverit, Mane castigabit eos exuviis bubulis.' Idem Casina Act. II. Sc. ult. 'Et idem me pridem,

quom ei adversum veneram, Facere atriensem voluerat sub janua.' Idque præter Plautum testatur etiam Terentius in Adelph. 'Neque servulorum quisquam advorsum ierat.' Ubi Donatus ait proprie locutum Terentium, dicendo 'advorsum,' nam inde adversitores dici. *Popma.*

14 *At tu nescio quas quæris inepte fores*] Non placet *fores*, sed *foris*, vel certe *foras*. Ineptum enim videtur foris quærere, quod habes domi, præsertim cui Cynthia in mundo sit, et quæ desiderio tui oblanguens in multam noctem te insomnis in cubili suo expectet; cum tu interim, quod illa præbere parata est, aliunde a scortis et nescio quibus nugis hominum superbus et superfluens vage eas quæsitum. *Dousa P.*

15 *Sidoniæ nocturna ligamina mitræ*] Mitra muliebris capitis ornamentum et molle, non fuit Sidoniorum et Phœnicum, sed Lydorum. Ipse Eleg. XVII. lib. III. 'Cingat Bassaricas Lydia mitra comas.'

16 *Atque oculos moverit illa graves*] Quum experrecta adhuc somno graves oculos in te conjecerit. Sed nihil mutandum. *Scal.*

21 *Atque ita*] Scribo: *Atque ita mi injecto dixerunt rursus amictu, I nunc, et noctu disce manere domi. Noctu* malo quam *noctes*, quod ante legebatur. Sic secundo lib. Eleg. 22. 'Et cælum noctu bis sine rege fuit.' 'Noctu' Tibullus quoque dixit lib. I. Eleg. 6. *Mi dixerunt* pro *me duxerunt*, quod hic locum non habebat. *Heinsius ad Metam. l. 5. vers.* 114.

23 *Si sola*] 'Si' pro, an, more Græcorum. Terent. Heautont. 'Visam si domi est.' Idem Eunucho: 'Atque adeo visam, si domi est.' Plaut. Bacchid. 'Ibo et visam huc ad eum, si forte est domi.' Virgil. Æn. lib. IV. 'Sed fatis incerta feror, si Jupiter unam Esse velit Tyriis urbem.' *Laurenberg.*

27 *Narratum somnia Vestæ*] Veteres ad depulsionem malorum somniorum, quam viderant speciem narrabant Diis, ac sæpenumero domesticis, ut Vestæ, et Græci Apollini *προστατηρίῳ*, ut apud Sophoclem Clitæmnestra in Electra: *Τοιαῦτά του παρόντος, ἡνίχ' ἡλίῳ Δείκνυσι τοὔναρ, ἔκλυον ἐξηγουμένου.* Soli autem ideo narrabant, quod, quemadmodum sua luce tenebras fugat mundumque illuminat: ita noctis species somniaque discutere et irrita reddere putabatur: nox enim somniorum parens habebatur, cui radiatus et lucidus sol contrarius est. *Turneb.*

29 *Talis visa mihi &c.*] Puto inducendum punctum post 'recenti,' nec sententiam absolvendam ante alterius distichi exordium, ut Pentameter prior ille: 'Heu quantum per se candida forma valet,' hoc modo parenthesi includatur, et 'visa' participialiter, non verbaliter, accipiatur, quum alii, est, subaudiendum putaverint inepta sententiæ connexione. *Dousa P.*

ELEGIA XXX.

1 *Quo fugis ah demens*] Pulcherrima hujus Poëtæ Elegia mirum in quot membra distracta sit, ut mirer quid in mentem venerit istis *βιβλιοτρίβαις*, qui non prius mentem Poëtæ diligenter perpenderent, quam hæc ita de suis sedibus injuste deturbarent. Elegia autem incipit ab eo disticho: 'Quæris cur veniam tibi tardior?' *Scal.*

6 *Nil tibi Mercurii*] Duæ negationes pro una. Nam prius dixerat, 'Non si Pegaseo.' 'Non nil,' est, Nil tantum. *Scal.*

12 *Si modo præsentes*] Deinceps lege, 'Num jam dura paras' cum sequenti: 'Spargereque alterna.' *Scal.*

15 *Illorum antiquis onerentur*] Catullus: 'Rumoresque senum severiorum Omnes unius æstimemus assis.' *Scal.*

16 *Hic locus est*] 'Hic,' in convivio. *Scal.*

17 *Quæ non jure vado Mæandri*] Telestes Selinusius: Ἣν σοφὸν σοφὰν λαβοῦσαν (Οὐκ ἐπέλπομαι νόῳ) Δρυμοῖς ὀρείοις Ὄργανον δίαν Ἀθάναν Δυσόφθαλμον αἶσχος ἐκφοβηθεῖσαν Αὖθις ἐκ χειρῶν βαλεῖν. *Scal.*

18 *Turpia quum faceret*] Deinceps revertere ad illud, 'Tyndaris externo.' Ut ostendat se moveri, quod Cynthia conviviis tempestivis intersit, item quod se plus quam uni parat. *Scal.*

19 *Nunc jam dura paras*] Malo, *Num jam:* quanquam parum interest utro modo legas. Quo fugis? inquit: num militatum proficisceris, ut ex cædibus ditata cruentam prædam domum reportes? *Scal.*

22 *Et ferre ad patrios*] Nunc redi ad illud: 'Nil agis insidias in me:' Quis non tantam confusionem mirabitur? *Scal.*

23 *Una contentum*] Recte et ordine persequitur narrationem. *Scal.*

Una contentum] Si Jupiter et Semelen et Io deperiit, cur aliquis mihi objiciat me plures amare, neque una contentum esse? *Scal.*

25 *Libeat tibi Cynthia*] Libeat tibi hac venire mecum in eam porticum, aut potius templum Apollinis Palatini. Subjiciendum autem statim distichon: 'Nec tu virginibus.' *Scal.*

27 *Illic adspicies*] Melius, *aspicias.* Illic ait etiam Musas pictas fuisse. Et sane omnino convenit, ubi Apollo esset, ibi et Musas esse. Scopulis hærere ait, quia ita pingerentur pendulæ in rupibus Heliconis. *Scal.*

30 *Denique ut ad Trojæ*] Post hunc versum insere distichon, 'Qui videt is peccat:' a quo disticho inepte alius Elegiæ initium fecerant in vulgatis. *Scal.*

31 *Quod si nemo extat*] Si ex illa pictura ne Deos quidem immunes ab amore cognoscimus, quid mirum si et ego amo? Ita ille Terentianus: 'Ego homuncio hoc non facerem?' Vides, quam male lacerata fuit hæc Elegia. Statim subjiciendum distichon: 'Una contentum,' cum sequenti: 'Mi nemo objiciat.' *Scal.*

33 *Nec tu virginibus reverentia*] Nec ullo pudore Musarum, quæ ibi pictæ sunt, moveare. Tu tuo facto illas pudore non suffundes. Αἰδοῖα πρόσωπα intelligit per 'reverentia ora:' παρθένος αἰδοίη Poëtæ. *Scal.*

35 *Si tamen Œagri*] Τὸ 'tamen' παρέλκει. Supra, 'Quippe ubi nec caussas, nec apertos cernimus ictus; Unde tamen veniant tot mala, cæca via est:' hoc est, unde veniant. Item: 'Nec tu tam duros per te patieris amores. Trux tamen a nobis ante domandus erit:' Τὸ 'tamen' ibi quoque παρέλκει. Horatius: 'Nequicquam Deus abscidit Prudens oceano dissociabili Terras, si tamen impiæ Non tangenda rates transiliunt vada.' Non igitur Musas pudebit tui facti, si quidem aliqua de illarum numero idem fecit. Nam Calliope ab Apolline compressa Orpheum peperit. *Scal.*

38 *Et medius docta cuspide*] Malo, *tecta cuspide: θύρσον* intelligit. Catullus: 'Horum pars tecta quatiebant cuspide thyrsos.' *Scal.*

40 *Nam sine te nostrum non valet*] Post hunc versum lege distichon, 'Hoc utinam spatiere loco:' cum sequenti, 'Quum videt accensis.' *Scal.*

ELEGIA XXXI.

1 *Quæris cur veniam*] Mutilam esse hanc Elegiam, finemque illius desiderari, cum diu suspicatus essem, postea veterum librorum indicio deprehendi. Sunt, qui eam, quæ proxime sequitur, cum hac continuent, unamque ex duabus faciant: quos valde errare arbitror. *Muret.*

3 *Tantam erat in speciem*] Liber *Tota*, non *Tantam.* Ego lego: 'Tota erat in species Pœnis digesta columnis.' *In species, εἰς ἰδέας*: picturas species vocat, quia oculis objiciuntur,

a speciendo. Sic supra easdem visa vocat: 'Et posuit casta turpia visa domo.' Species igitur pluraliter legendum. Unde subjicit, 'Inter quas Danai.' 'Inter quas,' species scilicet. *Scal.*

Pœnis digesta columnis] Significat columnas e marmore Numidico, quas Horat. lib. I. Od. XVIII. vocat 'Columnas ultima recisas Africa.' Cato apud Festum in 'Pavimenta,' Pœnica pavimenta vocavit, marmore Numidico constrata. De his columnis, Ovid. lib. III. Trist. Eleg. I. 'Ducor ad intonsi,' &c.

4 *Femina turba senis*] Noster *nurus*, non *senis*. Ovidius de hac porticu loquens ejusdem picturæ meminit: 'Ducor ad intonsi candida templa Dei: Signa peregrinis ubi sunt alterna columnis Belides, et stricto stat ferus ense pater.' *Scal.*

5 *Hic equidem Phœbo*] Apollo ipse Palatinus, opus Scopæ. *Scal.*

9 *Tum medium claro*] Lege *Clario*. Non vult dicere templum Apollinis Palatini Clario marmore structum, sed ædem eam esse Phœbo cariorem templo, quod in Claro est, et illo, quod est in Delo. *Scal.*

11 *Auro solis erat*] In nostro, *Aurea solis erant*. Utranque lectionem agnoscit Beroaldus. *Scal.*

16 *Pythius in longa*] Post hunc versum interpone duo disticha, 'Illic adspicias scopulis hærere sorores:' et sequens, 'Ut Semele est combustus.' *Scal.*

ELEGIA XXXII.

1 *Qui videt is peccat. Qui non te*] Lege, *Qui non et viderit*. Quicunque, inquit, aspiciet eam picturam, peccabit exemplo, ut ille adolescens in Eunucho ex tabula Danaæ audacior factus ad vitium virgini inferendum. Sic supra: 'Quæ manus obscœnas depinxit prima tabellas, Et posuit casta turpia visa domo, Illa puellarum ingenuos corrupit ocellos, Nequitiæque suæ noluit esse rudes.' Protinus autem legere debes illud distichon: 'Quod si nemo extat qui vicerit.' *Scal.*

3 *Prænestis dubias sortes*] Cic. II. de Divinat. de Sortibus: 'Quid in his potest esse certi, quæ, fortunæ monitu, pueri manu miscentur atque ducuntur?' Idem II. de Divin. Numerium Prænestinum jussum, ait, in somnis silicem cædere, unde sortes eruperint in robore insculptæ priscarum literarum notis: easque sortes in area elogina fortunæ monitu tolli, pueri manu: refertque jocum Carneadis: 'Nusquam se fortunatiorem, quam Præneste vidisse fortunam.' Suet. in Tib. cap. LXIII. 'Vicina vero urbi oracula etiam disjicere conatus est: sed majestate Prænestinarum sortium territus destitit: cum obsignatas devectasque Romam non reperisset in area, nisi relatas rursus ad templum.' Vid. Torrent. ad hunc locum. Item Crinit. lib. XXII. cap. III. de honesta discipl.

6 *Appia cur toties*] Sequitur 'Scilicet umbrosis,' &c. *Scal.*

7 *Hac utinam spatiere loco*] Continuat, quod dixerat supra invitans Cynthiam: 'Libeat tibi, Cynthia, mecum,' &c. *Scal.*

Quocunque vagaris] Repone ex nostro libro *quodcunque vacabis*. Scal.

Quocunque vagaris] 'Vagare' pro, vagari, poni notat Nonius: quod huic loco explicando recte adducit Lipsius in Tacitum, et *vagabis* legit. Explicationem probo; lectionem retineo: itaque *vagari* hic non ἀπαρεμφάτου accipio, sed potius subjunctivi modi: *vagaris* scilicet, pro, vagaveris; ut 'amaris' pro, amaveris: neque mutandum puto in *vagabis*. Dousa P.

9 *Cum videt accensis devotam currere tædis In nemus, et triviæ lumina ferre Deæ*] De hoc Statius III. Silvar. 'Jamque dies aderat, profugis quum Regibus aptum Fumat Aricinum Triviæ nemus, et face multa Conscius Hippolyti splendet lacus.' *Dousa P.*

10 *In nemus, et Triviæ*] Post hæc lege distichon, 'Nam quid Prænestis,' cum sequenti, 'Curve te in Herculeum.' *Scal.*

11 *Umbrosis sordet Pompeia columnis Porticus*] Porticus quandoque theatris, quandoque templis, et illustrium virorum domibus adjungebatur. Ante balnea similiter fuisse porticus ambulationi dicatas, scribit Galenus lib. v. de Tut. Val. cap. xi. Quandoque solæ et separatæ exstruebantur, quales plurimæ Romæ olim fuerunt, quarum vestigia nunc admirationem spectatoribus pariunt: et qualis fuit Pompeiana: de qua et Ovid. 'Tu modo Pompeia lentus spatiare sub umbra.' Et Martial. lib. xi. 'Cur nec Pompeia lentus spatiatur in umbra.' Propertius hic et lib. iv. 'Tu neque Pompeia spatiabere cultus in umbra, Nec cum lascivum sternet arena forum.' Ex quibus trium poëtarum verbis clare patet, Pompeianam porticum ad deambulationes exædificatam fuisse, quemadmodum et quamplures alias in id constructas esse, apud Cicer. lib. iii. de Orat. disputatur. *Mercurialis.*

14 *Flumina sopito*] Maron flumen in Peloponneso non longe a fluvio Alpheo, et fortasse commiscetur cum ipso Alpheo. Nam Μάρωνος καὶ Ἀλφειοῦ ἡρῷον in Laconia erat, teste Pausania. Ergo innuit simulacrum Maronis dormiens projicere ore, auribus, et aliis partibus flumina. Nam sane et fluminum quædam simulacra dormientia hodie extant, et Tiberis ita describitur a Sidonio: 'Pars proxima Tibrim Exprimit: hic scabri fusus sub pumice tofi Proflabat madidum per guttura glauca soporem. Pectus palla tegit, quam neverat Ilia conjux, Liquenti quæ juncta toro vult murmura lymphis Tollere, et undosi somnum servare mariti.' *Scal.*

16 *Quum subito Triton ore recondit*] 'Recondit,' contrarium τῷ condit.

18 *Non urbem demens*] Hic inserendum distichon, 'Quo fugis ah demens,' cum quinque sequentib. Non dubito doctos viros statim propriam sedem horum versuum agnituros, sententia ipsa ita bene arridente. Quare, eorum judicio confisus, rationibus supersedebo. *Scal.*

21 *Sed de me minus est*] Magis placet scriptura *minor est.* Scal.

25 *Sed tu non debes*] Lege, *Sed te non debes.* Non debes te famæ credere, hoc est, non debes committere, ut de te loquatur vulgus. Idem pene supra: 'Credam ego narranti, noli committere, famæ.' *Scal.*

30 *Non me crimina parva movent*] Parvum crimen puto perpotare. Hoc me non movet. Postea lege, 'Ista senes licet accusent,' cum duobus sequentibus distichis. *Scal.*

32 *Et sine decreto est*] 'Sine decreto,' οὐχ ὑπόσπονδος. *Scal.*

Et sine decreto est viva reducta domum] Eandem significantia hujus vocis, ni fallor, apud Senecam vi. Controver. 'Audes servum dicere Olynthium etiam post bellum et ante decretum?' *Dousa P.*

34 *Nec minus in cælo semper honesta fuit*] Hoc eleganter persequitur Euripides Hippolyto: Ὅσοι μὲν οὖν γραφάς τε τῶν παλαιτέρων Ἔχουσιν, αὐτοί τ' εἰσὶν ἐν μούσαις ἀεὶ, Ἴσασι μὲν, Ζεὺς ὥς ποτ' ἠράσθη γάμων Σεμέλης, ἴσασι δ' ὡς ἀνήρπασέν ποτε Ἡ καλλιφεγγὴς Κέφαλον εἰς Θεοὺς Ἕως Ἔρωτος οὕνεκ'. ἀλλ' ὅμως ἐν οὐρανῷ Ναίουσι, κοὐ φεύγουσιν ἐκποδὼν Θεούς. *Scal.*

40 *Supposita excipiens Naica dona manu*] Corruptissimus locus. Nam quo refertur τὸ 'legisti?' neminem enim nominavit. Sed legendum: *Supposita excipiens, Nai, caduca manu.* Error, quia scriptum fuerat *cadoca,* more illorum librariorum solenni omnia depravate scribendi. Caduca poma, alii vocant cadiva. Naida non dubium est hic Œnonen vocari. *Scal.*

43 *O nimium &c.*] Vult dicere non solam Cynthiam ita levem et vagam fuisse, et nimis castam ac felicem

fore Romam, si una tantum puella contra leges faceret. Fecisse idem Catullianam Lesbiam, idque absque invidia et reprehensione. Quare si et altera ejus imitetur exemplum, tantopere non esse culpandum, et peregrinum in urbe, nec gnarum satis morum Romanorum esse oportere, qui illo seculo priscorum mores, qui sub Tatio Sabinorum duce fuerunt, requirat. 'Contra mores facere,' est contra leges committere, quod leges ex iis plerumque fiant, quæ moribus diu recepta fuerunt. Jurisconsulti dicunt 'adversus bonos mores facere,' vel etiam 'malo more,' quod Virgilius 'sine more:' 'Raptæ sine more Sabinæ.' L. 1. §. Si cui. 12. D. de Extraord. Cognit. et L. 8. D. Quod metus causa: et leg. 19. §. 1. D. de Negot. Gest. *Scioppius Verisimil. l.* 4. *c.* 4.

45 *Hæc eadem ante illam*] Lege: *Hæc eadem hæc ante:* ut sit ἀναδίπλωσις. *Scal.*

46 *Invidiosa*] Invidiosum dicit invidendum, cui jure invideri et succenseri possit. Sic Eleg. I. lib. II. 'Mecænas nostræ spes invidiosa juventæ:' i. e. de quo ego juvenis nimia usque ad invidiam mihi promitto. *Scioppius Verisimil. l.* 4. *c.* 4.

47 *Durosque Sabinos*] Lego *durasque Sabinas.* Ovid. 'Forsitan antiquæ Tatio regnante Sabinæ Noluerint habiles pluribus esse viris.' *Dousa P.* Perperam legitur *durosque Sabinos* pro *durasque Sabinas.* Agit enim de puellarum moribus illa Elegia: et mox subjungit ipse: 'Quod seu tu Graias, seu sis imitata Sabinas.' *Heinsius in Addendis ad Ovid.*

52 *Is mos Saturno regna tenente fuit*] Puto punctum hic collocandum, et post sequentis Pentametri finem, 'Deucalionis aquas,' loco puncti comma arbitror poni debere: ut cum sequentibus construatur, quæ hinc majore cum elegantia, quam prioris distichi sententia, dependere videntur, hoc modo: *Is mos Saturno regna tenente fuit. Et cum Deucalionis aquæ fluxere per orbem, Et post antiquas Deucalionis aquas, Dic mihi quis potuit lectum servare pudicum?* v. 62. *Dousa P.*

62 *Semper vive meo libera judicio*] Eadem sententia Ovidio amanti fuit, quum scribit: 'Et si non caussa, judice vince tuo.' *Dousa P.*

ELEGIA XXXIII.

2 *Decem*] Decem, quia, ut Cicero de Legib. docet, culpas tolli vel aspersione aquæ vel dierum numero. Sic Livius lib. XXXIX. cap. IX. 'Se pro ægroto vovisse, ubi primum convaluisset, Bacchis se initiaturam damnatam voti Deum benignitate exsolvere id velle. Decem dierum castimonia opus esse, decimo die cœnatum, deinde pure lautum in sacra ritum deducturam.' Festus: 'Denariæ, vel tricenariæ, cæremoniæ quibus sacra adituris decem continuis diebus, vel triginta, certis quibusdam rebus carendum erat.' Apul. lib. XI. Asini Aurei: 'Præcepit decem continuis illis diebus cibariam voluptatem coërcerem, neque ullum animal essem, et invinius essem.'

18 *An quoniam agrestem*] Nove dixit agrestem pro ferina: ἄγριον εἶδος ἀντὶ τοῦ θηριώδους. *Scal.*

20 *Cum Tiberi Nilo gratia nulla fuit*] Lege *fuat:* οὐ γένοιτ᾽ ἄν. *Scal.*

21 *At tu quæ nostro nimium placata dolore es*] Lege *dolori. Nostro dolori* Propertianum, hoc est, nobis dolentibus. Sic 'scelus Polymnestoris' pro Polymnestore scelesto: 'error Herculis' pro errante Hercule. Comicum est, 'scelus viri,' scelestus. *Scal.*

22 *Noctibus his vacui ter faciamus iter*] Quid sit *ter faciamus iter*, ne illi quidem, qui mutarunt, intelligant. Sed nos emendamus, *refaciamus iter.* Ita 'refacere' pro, reficere, dicebant: quod sæpe in Veteribus notare potes. Quod iter se reficere velit, non est ignotum, quum dicat se vacuos esse his

noctibus, quibus in casto Isidis esse oportebat. 'Re' præpositio Veteribus producebatur. 'Retulit,' 'repulit,' 'reperit,' longa sunt. *Scal.*

29 *Icare Cecropiis merito jugulate colonis*] Vide Tibull. lib. IV.

31 *Eurytion*] Dicitur Eurytus et Eurytion. Ovid. de Arte Amandi: 'Occidit Eurytion stulte data vina bibendo.' Vide eundem lib. XII. Metam.

37 *Cum tua*] Lege, *Cum tua prœpendent demissæ in pocula sertæ.* Coronas subintellige. Ita enim Charisius legit, et vetustus codex, quo Neapoli sum usus, non *tua serta.* N. Heinsius ad Trist. Eleg. 2.

Quum tua præpendent] Restituimus lectionem Charisii: *Quum tua præpendent demissæ in pocula sertæ.* Scal.

39 *Largius effuso*] Uno spiritu cum sequenti disticho continuanda. Quanvis affatim et vinum et epulæ sint, tamen aliud volunt fœminæ. *Scal.*

Largius effuso] Passeratius scribendum censebat *affuso.* Sed vide ne *infuso* illic reponendum sit, cum de potatione agat potius quam de libatione. *N. Heinsius ad Ovid. Artem Amandi lib.* 1. *vers.* 65.

44 *Elevat adsiduos*] Juvenalis: 'Voluptates commendat rarior usus.' *Scal.*

ELEGIA XXXIV.

1 *Cur quisquam faciem dominæ jam credat amico*] *Amico* est commentum Beroaldi, ut ipsemet fatetur, quum antea legeretur, *amori.* Quod repone. Sic Tibullus: 'Infelix dum requiescit amor:' id est, ego amans. *Scal.*

9 *Lynceu*] Lynceum hunc Ponticum vero nomine opinor: de quo poëta lib. II. El. 7. 'Dum mea jucundas exponet cura querelas.'

Lynceu, tune meam potuisti tangere curam? Perfide, nonne tuæ tunc cecidere manus] Quem locum Ovidius quoque in Amoribus imitatus videtur, ubi ait: 'Ipse meos humeris vellem cecidisse lacertos: Utilius potui parte carere mei.' *Dousa P.*

Curam] I. Amasiam, more Græcorum, qui dicunt τοὐμὸν μέλημα. Sappho: Ἵνα σε, τοὐμὸν μέλημα, περιπτύξωμαι. *Scal.*

12 *Posset ut in tanto*] Aliter noster: *Posses in tanto vivere flagitio?* utrunque bene. Utrum melius, nescio. *Scal.*

28 *Aut rerum dicere posse vias*] 'Rationem mundi' vocat infra, hac Eleg. Sic lib. III. El. VII. 'Naturæ miseras auximus arte vias:' i. naturales caussas mortis. Virg. II. Georg. 'Sunt alii [modi] quos ipse via sibi repperit usus.' Id est, ratione, inquit Servius, ut in IV. Æn. 'Inveni, germana, viam.' Ciceroni sæpe ars, ratio, via, idem; ut in Topicis: 'Indicandi vias persecuti sunt Stoici:' et II. de Divin. 'Nullas dant vias nobis [Dii] ad scientiam futurorum.' In Pervigilio Veneris eadem significatio: 'Jussitque mundum nosse nascendi vias.' *Passerat.*

Aut quid Cretæi] In nostro sine diphthongo *Cretei.* Volunt Epimenidem, qui Cretensis fuit, intelligi. Atqui non ita loquutus fuisset, non magis quam si Atheniensem simpliciter pro aliquo scriptore Atheniensi intelligi vellet. Ego puto corruptum locum esse, et mutilum: atque ita primo in illo exemplari scriptum fuisse: *Aut quid . . . cretei:* ut prima syllaba deperierit: quum deberet legi, *Lucretei,* hoc est, Lucreti. Nam et in hoc libro archaismos scripturæ reperi, ut supra: 'Auribus et pureis scripta probare mea:' pro quo fecerant, *pueris.* Scal.

Aut quid Cretæi] Cretæum illum qui noverit, nondum conveni quenquam: aut igitur pro Epimenide Crete dictum est, ut a Beroaldo traditum est; constat autem eum scriptorem Carminum fuisse; aut *Lucreti* legendum est, cujus elegantissima Carmina de Rerum Natura hodieque ex-

tant. Fortasse enim ea superstitiose Lynceus legebat, cum et ipse poëtas amaret, et versus scriberet, et ex illius ætatis secta se ad Epicuri sententiam propensiorem et dociliorem præberet. Ea enim philosophia tum in amoribus et delitiis erat: et 'Nil juvat in magno vester amore senex,' de Epicuro dictum accipi poterit non incommode: probabilior tamen Bèroaldi sententia videtur. *Turneb.*

31 *Tu satius memorem Musis*] Obsecro quid est *memorem Musis?* an, quod putavimus aliquando, *ταῖς μούσαις μεμηλότα*; minime. Atqui suboluit mihi semper de mendo hujus loci, præsertim quum antiqua scriptura legat: *Tu satius Musis memorem imitere Philetam.* Lege, *musis meliorem:* neque dubium est hoc verum esse. Meliorem musis vocat, *εὐμουσότερον, χαριεντέστερον, καὶ γλαφυρώτερον.* Mollis carminis palmam Philetæ defert, et meliorem Callimacho dicit. *Scal.*

Philetam] Olymp. CX. multo etiam ante, ac post, claruit Philetas Cous, quem Ovidius ac Propertius celebrant. Hic claruit non modo sub Philippo et Alexandro, sed etiam admodum senex a Ptolemæo Lagide Præfectus fuit studiis filii Philadelphi. Grammaticus idem ac Criticus fuit, et Elegias, Epigrammata, atque alia reliquit: quorum testis Suidas. Vide et quæ de Phileta diximus lib. III. de Hist. Græcis pag. 401. *Voss.*

32 *Et non inflati somnia Callimachi*] Hæc aliter accipit vulgus, ac voluit Propertius. Ipsi putant a Propertio hic Callimachum laudari, quod eum non inflatum vocaverit. Ego contra inflatum eum vocari aio, ac propterea non laudari. Ait enim: Mollem ac delicatum versum Philetæ potius imitare, quam somnia inflati Callimachi. Somnia Callimachi vocat *τὰ Αἴτια*, opus morosum, ac obscurum, ut et Martialis innuit, quum dixit, 'legas Ætia Callimachi:' quum suadet non alium librum quærere quam Ætia Callimachi, siquidem obscuris delectatur. Somnia autem vocat, quia Callimachus historias antiquissimas atque ab omni cognitione remotissimas scripturus, finxit somniantem aliquando se intervenisse Musarum cœtui, quas quum de rebus obscurissimis interrogasset, accepisse ab iis ea, quæ postea literis mandavit. Ostendit autem Epigramma ἀδέσποτον in eum: Ὦ μέγα Βαττιάδαο σοφοῦ περίπυστον ὄνειαρ, Ἦ ῥ' ἐτεὸν κεράων, οὐδ' ἐλέφαντος ἔφυς. Τοῖα γὰρ ἄμμιν ἔφηνας, ἅτ' οὐ πάρος ἀνέρες ἴσμεν, Ἀμφί τε ἀθανάτους, ἀμφί τε ἡμιθέους. Εὖτέ μιν ἐκ Λιβύης ἀναείρας εἰς Ἑλικῶνα Ἤγαγες ἐν μέσσαις Πιερίδεσσι φέρων. Αἱ δέ οἱ εἰρομένῳ ἀμφ' ὠγυγίων ἡρώων Αἴτια καὶ μακάρων εἶπον ἀμειβόμεναι. Ait igitur: Tu melius feceris, si Philetæ amores, quam si obscurissimum poëma Callimachi Ætia imiteris. Id enim aggrediebatur iste, ad quem scribit, quod ex sequentibus apparet. At, dices, quomodo Callimachum inflatum vocat, quem profitetur se imitari? Age mitto imitari. Cujus nomine ipse se appellat? 'Umbria Romani patria Callimachi.' Propertius tantum deterret eum ab Ætiis Callimachi, cui poëmati simile aggrediebatur ille Propertii amicus: non autem ab Amoribus aut Elegiis Callimachi, quas ipse imitari se, ut dixi, profitetur. *Scal.*

33 *Nam rursus*] Profecto legendum: *Non rursus.* Inepte enim loqueretur, si dixisset: Nam, licet referas rursus fabulam Acheloi, quid prodest Amphiarai mors? Hæc sane et pueri riderent. Sed hoc vult: Non tibi licet rursus ea tractare quæ Callimachus tractavit. Callimachus enim ea omnia ἐν Αἰτίοις tractaverat, et fabulam Acheloi, et Mæandrum fluvium, et Nemea ad Archemori exequias. Nam hæc in Ætiis tractata fuisse ostenderit vel unum ver-

bum 'Rursus,' quo utitur. Si enim ab eo rursus tractantur, a Callimacho ergo antea tractata fuerant. Hæc ne minimum quidem suspicabatur vulgus Grammaticorum. *Scal.*

Nam rursus] 'Rursus' hoc loco, retrorsum, significat, et cum 'fluxerit,' non cum 'referas' construendum. Sic et idem dixerat supra: 'Atque ita me injecto duxerunt rursus amictu:' i. e. reduxerunt illo, unde me abduxerant prius. *Dousa P.*

Nam rursus Ætoli] De Acheloi et Herculis certamine Ovid. IX. Metam. Hygin. Fab. 31. *Passerat.*

37 *Adrasti fuerit vocalis Arion*] Arion fuit equus Adrasti, quem ei dono dedit Neptunus, ut scribit Probus. Vid. Pausan. in Arcad. 'Vocalis' dicitur, quia humana voce præditus. Narrat lib. V. Theb. Stat. ut Arion excusserit Polynicem rectorem, quem invitum gerebat, requirens dominum Adrastum. Ideo hic 'tristem' etiam in victoria dixit. Victor equus ipse per se sine rectore, sed tamen Amphiaro et ipsius equis data palma: nam, ut ait idem Statius lib. prænot. 'Gloria mansit equo [Arioni] cessit victoria vati:' id est, Amphiaro. *Passerat.*

38 *Ad Archemori funera*] In ludis funebribus Archemoro dicatis, qui Nemei dicti. Vide Hygin. Fab. LXXIV. et CCLXXIII. et Scalig. Poëtices lib. I. 15. *Passerat.*

39 *Non Amphiareæ*] Depravatum esse vs. hunc constat. Nam ab Amphiarao neque Amphiaraæ neque Amphiaream deduci potest. Numeri præterea non constant. In meo vet. lib. legitur *Amphiaraeæ nil prosunt tibi fata quadrigæ:* unde si quis vocem *tibi* sustulerit, quæ versum ὑπερκατάληκτον facit, veram, ut opinor, scripturam restituerit. *Muret.*

Amphiaraea] Versus interpolatus. Vetus lectio: *Non Amphiaria prosunt tibi fata quadrigæ Aut Capanei grata ruina Jovi.* Lege: *Non non Amphiaraëæ tibi fata quadrigæ Prosunt, aut Capanei grata ruina Jovi.* Amphiaraëus, Ἀμφιαράειος. *Scal.*

Amphiaraæ] Vid. supra El. XIII. Et Stat. lib. VII. sub finem.

40 *Aut Capanei magno*] Jam ostendimus et hunc quoque versum interpolatum esse, quem etiam emendavimus ex veteri scriptura. *Scal.*

Aut Capanei magno] Eod. lib. auctore hic reposui vocem *magno*, quæ ab imperitis detracta numeros corruperat. *Muret.*

Capanei grata ruina] Ruinam gratam Jovi ait, quia Deos ipsumque adeo Jovem lacessebat Capaneus. Vid. Hygin. Fab. LXVIII. Apollod. lib. III. *Passerat.*

41 *Desine et Æschyleo*] Quia Æschylus scripsit tragœdias, propterea hunc locum ita legendum esse censuerunt, quum tamen vetus lectio habeat *Desine Achilleo.* Nam intelligit Tragœdiam Achillen. *Scal.*

42 *Et ad molles membra resolve toros*] Lege, *choros*, ut vetus liber.

43 *Versus includere torno*] At noster, *versus componere.* Et profecto versus torno includi recte dici non potest. Quicquid vero in hoc Poëta mutatum est, id prope omne ex officina Beroaldi prodiit: qui parum hunc Poëtam illis suis immanibus Commentariis juvit: et raro mentem poëtæ tangit, aut assequitur. *Scal.*

45 *Antimacho*] Olymp. XCIII. an. IV. Archonte Alexia, floruit Antimachus, Clarius (Clarium vocat Ovid.) sive, secundum alios, Colophonius. Vicinæ sunt Clari et Colophonis civitates. De ætate est apud Anonymum in Descriptione Olympiadum. Atque hoc eo firmatur, quod æqualis fuerit Lysandro, a quo Nicerato Heracleotæ posthabitus: item Platoni Philosopho, quo audiente, Thebaida suam recitavit: sed adhuc juvene: unde Suidas ait fuisse Platone antiquiorem: uti juniorem dicit Panyasi, et Stesimbroto, quos audiverit. In

heroico secundas ei ab Homero Grammatici dedere, teste Fabio. Reprehensus tamen, ut tumidus, et verbosus: qua de re non est animus Lilium in Poëtarum Historia exscribere: vel etiam Turnebum Advers. lib. XXVIII. cap. XXVIII. Hic cum Hadriani Cæsaris tempore a plurimis ignoraretur, usque adeo tamen illi placuit, ut cogitarit de abolendo Homero, inque ejus locum substituendo Antimacho: quemadmodum ex Dione narrat Xiphilus, pag. CCLVIII. Ed. H. Steph. *Vossius.*

47 *Sed non ante gravis*] Malim *gravi*. Epithetum aratro quam tauro accommodatius. *Dousa P.*

59 *Me juvet æternis*] Noster, *hesternis*: quis non illam vulgatæ præferat? *Scal.*

61 *Actia Virgilium*] Ἀπὸ κοινοῦ 'juvet.' Scriptus liber *Virgilio*. Scal.

63 *Qui nunc Æneæ Trojani suscitat arma*] Apparet Virgilium et tunc principium Æneidos fecisse illum versum, 'Arma virumque cano.' Et Ovidius quoque idem vult: 'Contulit in Tyrios arma virumque toros.' *Scal.*

67 *Tu canis umbrosis*] Hæc ariolatur Propertius. Non enim hæc scripsit Virgilius. Sed alium Bucolicorum scriptorem habebat in animo, ut infra. *Scal.*

69 *Utque decem possint corrumpere mala puellam*] Et hæc ariolatur de Virgilio. Nam non apud Virgilium illa, sed apud Theocritum. Sic enim ille: Ἠνὶ δέ τοι δέκα μᾶλα φέρω. τηνῶθε καθεῖλον, Ὧ μ' ἐκέλευ καθελεῖν τυ. Puero autem, non puellæ, mittuntur: ut apud Virgilium: 'Quod potui, puero silvestri ex arbore lecta Aurea mala decem misi: cras altera mittam.' *Scal.*

70 *Missus et impressis*] Impressa ubera, νήμελκτα, non mulcta: ii enim pinguiores, quorum matres non mulgentur. *Scal.*

Missus et impressis hædus ab uberibus] Ad hoc exemplum etiam est illud: 'Osculaque impressis nixa dedi gradibus:' i. e. pedum signis, quæ a domina vestigia reliqua terræ impressa impactaque resederant. *Dousa P.*

72 *Huic licet ingratæ*] Et hæc non Virgil. sed Theocritus: Κωμάσδω ποτὶ τὰν Ἀμαρυλλίδα. ταὶ δέ μοι αἶγες Βόσκονται κατ' ὄρος, καὶ ὁ Τίτυρος αὐτὰς ἐλαύνει. *Scal.*

75 *Quamvis ille sua lassus*] Emendo: *Quamvis ille suam lassus requiescat avenam.* Alibi: 'Juppiter Alcmenæ geminas requieverat Arctos.' Calvus in Io: 'Sol quoque præteritos meminit requiescere cursus.' Euripides Iphigenia in Tauris: Οἰκείων δ' ὑπὲρ θαλάμων Πτέρυγας ἐν νώτοις ἁμοῖς Λήξαιμι θοάζουσα. 'Sedens in propriis thalamis requiescam alas in dorso meo.' Sed magis insolens illud in Phœnissis: Γεραιὸν πόδα δεμνίοις δύστανον ἰαύων: 'dormiens pedem' est, requiescens pedem. *Scal.*

77 *Ascræi poëtæ*] Hesiodus; sic dictus ab Ascra, vico Bœotiæ.

82 *Sive in amore rudis, sive peritus erit*] Sic 'Me dolor et lacrymæ merito fecere peritum, Atque utinam posito dicar amore rudis.' *Dousa P.*

83 *Nec minor his animis nec si minor*] Ita vetus scriptura. Folium Sibyllæ hic versus: et quem ridicule interpretatur Beroaldus. Legendum vero: *Nec minor his animis, nec se minor.* Nec Virgilius propterea aliquid indignum majestate illa sui carminis aut se ipso fecit, quum lacessitus ab æmulo Ansere non respondit. Virgilius æmulos tres ineptos poëtas habuit, Anserem, Bavium, Mævium. A quibus provocatus dissimulavit. Emiserant enim in illum famosa Carmina, præsertim Parodias, ex ipsius libris: 'Tityre, si toga calda tibi est, quo tegmine fagi?' Negant enim Latinum esse, tegmen fagi: pro umbra et opacitate fagi. Item: 'Dic mihi Damœta, cujum pecus anne Latinum? Non: verum Ægonis: nostri sic rure loquuntur.' Non putant 'cujum pecus' posse dici nisi a rusticis

et caprariis, non autem ab urbanis. In quo eos decipi convincit veterum auctorum observatio. Item riserunt eum, quod hordea pluraliter dixerit: 'Hordea qui dicit, superest ut tritica dicat.' *Scal.*

Nec minor his animis] In his vv. mendi aliquid latere suspicor. *Muret.*

84 *Anseris indocto carmine*] Anser poëta amicus fuit M. Antonii triumviri, atque ejus gesta condidit: eoque nomine ab Antonio donatus est agro Falerno. Huc respexit Cicero Philipp. XIII. 'Hique, qui nunc Mutinam oppugnant, D. Brutum obsident; de Falerno anseres depellantur,' &c. Virgilio infestus erat: qui idcirco eum taxat Ecloga XI. sed oblique, uti et Tullius fecerat. Maronis quidem versus hujusmodi sunt: 'Nam neque adhuc Varo videor, neque dicere Cinna Digna: sed argutos inter strepere anser olores.' Ubi sic Servius: 'Alludit ad Anserem quendam, Antonii poëtam, qui ejus laudes scribebat: quem ob hoc per transitum carpsit. De hoc etiam Cicero in Philippicis dicit: 'Ex agro Falerno anseres depellantur.'' Ipsum enim agrum ei donarat Antonius.' Adi quoque Maronis Vitam, quæ sub nomine Donati prodiit. Meminit et Prop. lib. II. El. ult. Et Ovid. lib. II. Trist. 'Cinna quoque his comes est, Cinnaque procacior Anser.' *Vossius.*

89 *Hæc etiam docti confessa est pagina Calvi*] Quare doctum vocet, Cicero docet, scribens Trebonio: 'Multæ,' inquit, 'erant et reconditæ literæ, vis non erat.' *Scal.*

91 *Et modo formosa*] Nisi fallor, τὸ 'modo' significat nuperam cædem Galli, quam ipse sibi conscivit anno A. C. 727. quo Messala de Gallis triumphavit, sex annis ante decessum Virgilii: ut ridiculum sit Epigramma, quod sub nomine Cor. Galli vulgo circumfertur de morte Virgilii, ejusque Æneide. Est autem Scholastici Poëtæ. *Scal.*

Quam multa] Lege *qui multa.* Antea sententia erat obscurissima. Et Gallus quoque, inquit, idem cecinit, qui mortem sibi conscivit, quum non dudum formosa esset Lycoris. Mira locutio, in qua creber Horatius: 'Neque pessima munerum Ferres, divite me:' id est, si essem dives. 'Quorum secunda, vate me, datur fuga: id est, me vaticinante. 'Diceris Vario fortis et hostium Victor Mæonii Carminis alite:' id est, quum Varius sit poëta epicus: qui locus Horatii male vulgo Magistrorum conceptus. Sic, ut dixi, hic 'formosa Lycoride' eadem figura dictum, id est, quum habuerit Lycoridem formosam, quum ei esset Lycoris materia carminis. Græce, ὃς ἐπὶ τῇ καλῇ Λυκωρίδι ἀπέθανε. *Scal.*

LIBER III.

ELEGIA I.

1 *Callimachi*] Olymp. CXXV. Sub Philadelpho usque ad Ptolemæum III. sive Evergetem, claruit Callimachus Cyrenensis, quod vel cognoscimus ex Carmine de Coma Berenices, Latine reddito a Catullo. Fere Hymnos, vel Elegias, vel Epigrammata scribebat. Quo nomine iniqua experiebatur judicia; unde ipse in Apollinis Hymno: 'Ο φθόνος 'Απόλλωνος ἐς οὔατα λάθριος εἶπεν· Οὐκ ἄγαμαι τὸν ἀοιδὸν, ὃς οὐδ' ὅσα πόντος ἀείδει: quibus contra aggerebat Callimachus μεγα βιβλίον μέγα εἶναι κακὸν, 'magnum librum magnum malum.' Assiduis ta-

men convitiis victus, Hecalen scripsit: ut Scholiastes indicat ad verba, quæ ex Hymno Apollinis adduximus. Imo et Αἴτια ejus majus ipsa Hecale opus. *Voss.*

Callimachi manes] Callimachi et Philetæ manes invocat, ut sibi assint in scribendis Elegis. Tum commendat se ipsum, qui princeps ap. Latinos hoc poëmatis genus excoluerit: immortalemque famam suam fore auguratur. Hos autem poëtas etiam alibi conjunxit: 'Tu satius memorem Musis imitere Philetan, Et non inflati somnia Callimachi.' *Muret.*

Philetæ] Huic secundas partes in elegia tribui solitas, ait Fabius. Eum ita exili corpore fuisse prodit Athenæus, uti necesse habuerit pilas plumbeas ad pedes gestitare, ne subverteretur a vento. Mortuum autem e labore, quem capiebat in studiis, et e molestia, quam contraxit, cum fallacis et captiosæ Stoicorum conclusiunculæ, quam Græci ψευδόμενον, Cicero 'mentientem' vocat, dissolutionem reperire non posset. *Muret.*

3 *Primus ego*] Simile illi Lucretiano 'Avia Pieridum:' et illi Horatiano: 'Libera per vacuum posui vestigia princeps; Non aliena meo pressi pede:' et mox: 'Parios ego primus Iambos Ostendi Latio.' *Muret.*

Sacerdos] Sic Horat. 'Carmina non prius Audita, Musarum sacerdos, Virginibus puerisque canto.' *Muret.*

4 *Itala per Graios*] Romano ore ea, quæ Græcis tantum tractata fuerant, celebrare. *Muret.*

Orgia] Poëtæ enim sacri sunt Baccho. *Muret.*

Choros] Nam in Bacchi sacris choros agebant. Supra: 'Egit ut Evantes dux Ariadna choros.' *Muret.*

5 *Tenuastis*] Secuti sunt enim χαρακτῆρα ἰσχνόν. Unde alibi, non inflatum Callimachum dixit, et angustum ei pectus tribuit. *Muret.*

8 *Exactus*] Ἐξεσμένος. Ovidius: 'Non exacta satis, rudibusque simillima signis.' *Muret.*

10 *Coronatis equis*] Coronati erant triumphantium equi, Ovid. lib. IV. Trist. Eleg. II. 'Hic tibi sic redeat superato victor ab hoste, Inque coronatis fulgeat altus equis.' Item: 'Vinclaque captiva reges cervice ferentes Ante coronatos ire videbis equos.' *Livin.*

13 *Quid frustra*] Quasi curru invehens, et alios pone sequentes respectans, hæc dicit. *Muret.*

14 *Non datur*] Via currere, i. e. via qua curri possit. *Muret.*

25 *Nam quis equo pulsas*] Quasi equus ille machina fuerit πολιορκητική: quod Plin. videtur velle: quemadmodum Phrixum Colchos devectum, non ariete, sed nave, in cujus prora fuerit κριοῦ προτομή. *Scal.*

27 *Jovis cunabula magni*] Quod Idam Phrygiæ cum Ida Cretæ confundunt Veteres, et quæ ab aliis de Jovis cunabulis in Ida Cretæ referuntur, ab aliis ad Idam Phrygiæ transferri, habes apud eruditum scriptorem Strabonem. *Scal.*

29 *Et Polydamantas in armis*] Scribe, *etiam Polydamantas.* Melius autem, *Polydamanta sine armis.* Id est, in nullis armis celeber esset. Nam lingua tantum, non armis, potentem inducit Homerus. *Scal.*

32 *Troia bis Oëtæi*] Seneca Troadibus: 'Meliorque fœtu Fortis armenti lapidosa Trachin, Quæ sub umbrosis latebrosa silvis Misit infestos Troiæ ruinis Non semel arcus.' Idem: 'Bis pulsata Dardana Graio mœnia ferro, Bisque pharetras passa Herculeas.' Tamen Theocritus vocat τρίπορθον, ἐν Βουκόλοις. *Scal.*

39 *Carminis interea*] In antiquis libr. hæc a superioribus distincta ac separata sunt. *Muret.*

ELEGIA II.

1 *Orpheu te tenuisse*] Nihilo deterius noster: *Orphea detenuisse:* ut repetitio illa in verbo *detenuisse* venustior sit. *Scal.*

Orphea detenuisse feras] Inconcinne prorsus, cum idem verbum in pentametro proximo repetatur. Redde Propertio, *Orpheu, te duxisse feras.* Horatius de Orpheo lib. 1. Od. 12. 'Blandus auritas fidibus canoris Ducere quercus.' Et, lib. 3. Od. 11. 'Tu potes tigres domitasque silvas Ducere.' *Heinsius ad Metam. l.* XI. *vers.* 2.

Orpheu] Negat mirum esse, si Carmina, quæ ipse Baccho et Apolline propitiis scribit, a puellis colantur: cum Carminibus Orpheus feras et flumina, Amphion lapides, Polyphemus etiam rudis et agrestis musicus Galatean moverit; nedum puellas, quarum tenerum est et flexibile ingenium. *Muret.*

9 *Quod*] Pro, quamvis, positum est; ut apud Ovidium: 'Illa quod est virgo, quod tela cupidinis odit, Multa dedit multis vulnera, multa dabit.' Terent. in Eunucho: 'Quod dicas mihi, Alium quærebam, iter hac habui: peristi.' Sic apud Plautum multoties, et in Priapeis. *Scioppius Verisimil. l.* I. *c.* 10.

Quod non Tænariis] Nihil mutandum. Sed clarius dixisset, *Non quod Tænariis.* Scal.

11 *Nec mea Phæacias*] Scribe, *Phæacas.* Metaplasmus; 'Arabus' pro Arabe; 'Ionus' pro Ione, aut Ionio. Virgilius 'Cilicus' pro Cilice. *Scal.*

13 *Et carmina*] Ἐμφατικώτερον futurum, si legatur, *at amica cara legenti, At defessa.* Scioppius Verisimil. l. I. c. 10.

ELEGIA III.

1 *Visus eram molli recubans Heliconis in umbra*] Quemadmodum illi fontes (Aganippe, Hippocrene, &c.) poti credebantur facere poëtas; sic vicini montes Helicon, Cithæron, et Parnassus, eos, qui conscenderent, aut inibi versarentur. Hæc quoque superstitio recentior est illis antiquissimis poëtis Homero et Hesiodo, apud quos nihil simile est invenire: præbuit tamen Hesiodus huic fabulæ occasionem, cum caneret, poëtica se facultate donatum fuisse, Ἄρνας ποιμαίνονθ' Ἑλικῶνος ὑπὸ ζαθέοιο. Ait factum se poëtam, cum pasceret oves in Helicone: insecuta ætas accepit, quasi dixisset, ideo Poëtam evasisse, quod in Helicone esset versatus. Ac, quoniam solebant ægroti in Æsculapii vel Apollinis templis incubare, ut insomnia captarent, quibus morborum remedia præscribi credebant: eum morem et superstitionem ad suos illos montes transtulerunt, sibique persuaserunt, eos, qui in illis montibus somniassent, repente poëtas existere: ut hic Propertius. Contra Persius poëtam se negat, quia non somniarit in Parnasso. *Casaubonus.*

11 *Annibalemque lares*] Vide Festum 'Rediculi,' et primum Conjectaneum nostrum. *Scal.*

Hannibalemque Lares Romana sede fugantes] Hanc Historiam nos docet Varro, 'Ἡρακλῆς tuam fidem,' apud Nonium in 'Tutanus:' 'Noctu Annibalis cum fugavi exercitum, Tutatus hoc Tutanus Romæ nuncupor: Hac propter omnes, qui laborant, invocant.' Ennius apud Festum in 'Ob.' Annibal. 'Ob Romam noctu legiones ducere cœpit.' Sed quibusdam terriculamentis territus reduxit exercitum.

21 *Cur tua &c.*] Puto melius: *Cur tua præscriptos evecta est pagina gyros?* Scal.

23 *Alter remus aquas*] Proverbium: Ὁ παρὰ τὴν γῆν πλοῦς ἀσφαλής. *Scal.*

29 *Ergo Musarum*] Vox *Ergo*, quo pertineat, non sane video, deque illius integritate subdubito. Nulla

tamen discrepantia in vett. libris. *Muret.*

39 *Contentus niveis semper vectabere cygnis*] Quid est *vectari cygnis?* Scio columbis, passeribus Veneris, aliorumque aliis animalibus trahi currus. *Palat.* Codd. non agnoscunt *vectabere:* quorum posterior *latabere;* prior *metabere.* Quæ vera est lectio. Jubet esse cygnos metatores Propertio. *Gebhard.* Palmarius error Gebhardi. Quærit: Quid est *vectari cygnis?* Sane docuerat ex Horatio Passeratius Veneris currum ab oloribus trahi. Sunt et Apollinis aves cygni. Quid ergo mirum, si Poëta cantans amores dicatur Veneris curru vehi, ejusdem simul et Apollinis avibus juncto? ut, qui aliorum Deorum res gessisse narrantur, illorum curribus usi: Triptolemus Cereris, Medea draconibus Hecates; et Martis equis Acheronta fugisse Quirinum fabulatur Horatius. Opponitque *vectari niveis cygnis,* ac 'duci fortibus equis:' quia est verbum illud voluptatis et incessus pacati ac modici. Petronius: 'Quæ voluptatis causa huc atque illuc vectatur.' Sed instar omnium Propertium defendit Ovidius 3. de Arte. Ille autem ostentat pro vero, quod ab errore librarii fuit in quodam codice *metabere cygnis.* Jubet, inquit, esse cygnos metatores Propertio. Immo si ita scripsisset, potius juberet Propertium esse metatorem cygnis: aut Latine nescimus. Prorsus hoc nihil est *metari cygnis:* neque enim homo dicitur *metari καθηγητῷ.* Verba autem militaria, quæ in viciniа sunt, omnia prohibet arcetque a Propertio Calliope, minime tribuit ipsi. *Gronovius ad Livii lib.* 38. *cap.* 17.

8 *Contentus niveis semper vectabere cycnis*] Et Ovidius lib. Amor. III. 'Cycnis discedere tempus, Duxerunt collo qui juga nostra suo.' *Dousa P.*

41 *Classica cornu Flere*] Nobilissimus Janus Dousa legebat *Flare.* Quod verissimum est. *Scal.*

42 *Flere*] *Flare* legend. autumo: i. e. inflare. *Dousa P.*

45 *Barbarus aut suevo*] Emendo, *Suevo.* Dio libro uno et quinquagesimo: Γάϊος Καρίνας τούς τε Μορίνους καὶ ἄλλους τινὰς συνεπαναστάντας αὐτοῖς ἐχειρώσατο, καὶ τοὺς Σουήβους τότε τὸν Ῥῆνον ἐπὶ πολλῷ διαβάντας ἀπεώσατο. De hoc igitur bello sentit Propertius. *Scal.*

49 *Sciat excantare*] Recte nos docet, quomodo verbum duodecim Tabularum interpretari debeamus. Nam excantare hic est, cantu forma elicere: tibi fruges excantare, cantatas alio traducere. *Scal.*

ELEGIA IV.

1 *Arma Deus Cæsar*] 'Deus.' Infra: 'Et lacrimas vidimus ire Deo.' Horatius: 'Præsenti tibi maturos largimur honores. Jurandasque tuum per nomen ponimus aras.' Nota est consecratio Aræ Genii Augusti Narbone reperta. Item in compitis Genius Augusti eo vivo adorabatur, cui ex libertinis sacerdotes dati Augustales appellabantur. Illius vero ἀποθέωσιν Ovidius scripserat: ut ipse testatur de Ponto libro quarto: 'Quale tamen potui de cælite, Brute, recenti Vestra procul positus carmen in ora dedi.' Item alibi: 'Pervenient illuc et Carmina forsitan illa, Quæ de te misi cælite facta novo.' *Scal.*

Deus Cæsar] Apud Romanos divino primus honore, dum viveret, affectus est Augustus. Maro Ecl. I. 'Namque erit ille mihi semper Deus: illius aram Sæpe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.' Ubi Servius; 'Semper, id est, post mortem, et dum vivit. Alii Imperatores post mortem in numerum referuntur Deorum: Augustus vivus templa emeruit.' Horat. lib. III. Od. V. 'Præsens Divus ha-

bebitur Augustus.' Item lib. II. Ep. I. 'Præsenti tibi maturos largimur honores, Jurandasque tuum per nomen ponimus aras.' Primitus tamen ea fuit Augusti modestia, ut nullum pateretur Romæ sibi templum exstrui: imo ne in provinciis quidem, nisi pariter nomine Romæ et suo: uti est apud Tranquillum in Vita ejus cap. LII. Sed paulatim, ut solet, crevit ambitio. Itaque Lugduni, eodem Tranquillo teste, in Claud. cap. III. ara Augusto erecta est, Iulo Antonio et Fabio Africano coss. eo ipso die, quo natus est Claudius Imperator: Narbone item in foro constituta ei fuit ara, T. Statilio Tauro et M. Æmilio Lepido coss. Quibus diebus et quomodo ejus numini supplicandum fuerit, et hostiæ immolandæ, marmoreæ docet tabulæ inscriptio, quam habes in Collectaneis Inscriptionum Gruterianis pag. CCXXIX. Imo Augusti, superstitis inquam, ἀποθέωσιν scripsit Ovidius: ut refert in IV. de Ponto, Eleg. VII. et IX. Ab eadem est caussa, quod apud Propertium legas, 'Arma Deus Cæsar dites meditatur ad Indos.' *Vossius.*

Dites meditatur ad Indos] De hac Indica expeditione Virgil. Georgico secundo: 'Et te, maxime Cæsar, Qui nunc extremis Asiæ jam victor in oris, Imbellem avertis Romanis arcibus Indum.' *Scal.*

13 *Qua videam &c.*] Hac El. in magnifica illa Cæsariani Triumphi descriptione, facetissime ad faustas vulgi faventis acclamationes et plausus, equos Cæsaris inter prætereundum resistere facit, idque ipsum convenienti etiam numerorum sono suavissime expressit his verbis: 'Qua videam spoliis oneratos Cæsaris axes Ad vulgi plausus sæpe resistere equos:' nec sine rivali tamen. Nam et Ovidius lib. IV. Tristium Eleg. III. idem aperte æmulatus: 'Ipse sono, plausuque simul, fremituque calentes Quadrijugos cernes sæpe resistere equos.' *Dousa P.*

16 *Incipiam*] 'Inc. spectare,' spectabo. *Scal.*

17 *Braccati militis arcus*] Quis ille braccatus miles? An Gallus? nam Galli braccati. An Dacus? Aut populi Ponti? 'Pellibus et laxis arcent mala frigora braccis.' An Persa? Ovid. lib. III. Trist. Eleg. XI. 'Hos quoque, qui geniti Graia creduntur ab urbe, Pro patrio cultu Persica bracca tegit.' An Indus? In Priapeiis: 'Medis laxior Indicisve braccis.' *Passerat.*

ELEGIA V.

1 *Pacis Amor Deus est*] Duas caussas reddit, cur in bellum ire nolit: quod Amorem colat, qui Deus est pacis: etsi sibi quidem cum domina pacem non esse ait; et quod alioqui magnarum opum, quæ in bello parari solent, cupidus non sit. *Muret.*

4 *Bibit e gemma divite nostra sitis*] Non solum ex argenteis aureisque poculis, sed etiam ex aureis, quæ pretiosis essent gemmis distincta, immo et gemmeis, bibebant. Seneca lib. 'Quare bonis viris mala accidant, cum sit Providentia,' cap. III. 'Quanto magis huic invidendum est, quam illis, quibus gemma ministratur, quibus exoletus, omnia pati doctus, suspensam auro nivem diluit.' Plin. lib. XXXIII. proœm. 'Nec hoc satis est,' inquit; 'turba gemmarum potamus, et smaragdis teximus calices, ac temulentiæ caussa tenere Indiam juvat, et aurum jam accessio est.' Vide plura de poculis antiquorum apud Ursinum de Triclinio.

7 *O prima infelix fingenti terra Prometheo*] Juvenalis: 'E meliore luto finxit præcordia Titan.' Callimachus: Εἴ σε Προμηθεὺς Ἔπλασε, καὶ πηλοῦ μὴ 'ξ ἑτέρου γέγονας. Idem in Mimiambis: Ἦν κεῖνος οὐνιαυτὸς, ᾧ τότε πτηνὸν Καὶ τοὺν θαλάσσῃ, καὶ τὸ τετράπουν οὖ-

τεῖν Ἐφθέγγεθ' ὡς ὁ τηλῶς ὁ Προμήθειος. Scal.

9 *Corpora disponens mentem non vidit in arte*] Propterea conquerens optat Alcæus: *Εἴθ' ἐξῆν ὁποῖός τις ἦν ἕκαστος τὸ στῆθος διελόντα, Ἔπειτα τὸν νοῦν ἰδόντα, κλείσαντα πάλιν, Ἄνδρα φίλον νομίζειν ἀδόλῳ φρενί. Scal.*

14 *Nudus ad infernas*] Melior libri nostri lectio: *Nudus ab inferna, stulte, vehere rate.* Scal.

18 *Optima mors parca*] Parca dies, *ἡ πεπρωμένη ἡμέρα.* Nam veteres Glossæ Parcam, *τὴν πεπρωμένην*, interpretantur. *Scal.*

21 *Me juvat et m. &c.*] Sic et Stat. Sylv. 'Et mentem vincire thoris.' *Dousa P.*

22 *Caput in verna semper habere rosa*] Privatæ lætitiæ index erat rosa; hinc festivissimus Anacreon vult redimiri rosis: 'Mihi cura est rosis coronare caput;' nempe dum agitur convivium. Omnino videndus Carolus Paschalius lib. III. cap. VI. de Coronis. *Scal.*

32 *Purpureus pluvias cur bibit arcus aquas*] Plaut. Curcul. Act. I. Sc. II. 'Ecce autem bibit arcus: pluet, Credo, hercle hodie.' Maro item I. Georg. 'Et bibit ingens Arcus.' Quo de loco Seneca lib. I. Nat. Quæst. cap. VI. Attinetque hoc Tibulli lib. I. El. IV. 'Venturam admittat imbrifer arcus aquam.' Item illud Mart. lib. 12. Ep. XXIX. 'Casuras alte sic rapit iris aquas.' Ac, ne poëtis insistam, Vitruvii est lib. IX. cap. IV. 'Per calorem videmus non minus aquæ vapores a fontibus ad nubes per arcus excitari.' Videntur credidisse, ut Elephanti proboscide, ciconiæ rostro; sic iridem bibere vapores cornu utroque terris incumbente. Verum non vapores ab arcu attolluntur; sed a caussa arcus, sole nimirum. Pluviam autem eo significant, quia non fiunt, nisi in nube rorida; qualis plurimum in pluviam mox resolvitur, nec tamen id sine discrimine. Ostendit hoc Seneca lib. I. Nat. Quæst. cap. VI. &c. Vide Vossium lib. III. de Origine et Progressu Idololatriæ cap. XIV. Rhodigin. lib. XXII. Var. Lect. cap. XXIX. Turneb. lib. XXIX. Adversar. cap. XXXI.

34 *Solis et atratis luxerit*] 'Luxerit' a lugendo, non a lucendo. Cur autem fatalem illam Veterum ἐκτέρωσιν hic innui dicat Beroaldus, non video. Deliquium enim Solis intelligitur: quod diu ignoratum hominum mentes magna superstitione percusserat. Plinius libro secundo: 'Viri ingentes supraque mortalium naturam, tantorum numinum lege deprehensa, et misera hominum mente absoluta in defectibus stellarum scelera aut mortem aliquam siderum pavente: quo in metu fuisse Stesichori et Pindari vatum sublimia ora, palam est, deliquio Solis.' Idem de Pindaro Philo Judæus: *Θείαις φύσεσιν ἡλίου καὶ σελήνης ἐπακολουθοῦσιν ἐκλείψεις. αἱ δὲ μηνύματά εἰσιν ἢ βασιλέων τελευτῆς, ἢ πόλεων φθορᾶς. ὃ καὶ Πίνδαρος ᾐνίξατο γενομένης ἐκλείψεως, διὰ τῶν πρόσθεν εἰρημένων.* Quod igitur et Græcus et Latinus scriptor aiunt formidasse Pindarum, palam est hoc Cantico: *Ἀκτὶς ἀελίου, τί πολύσκοπε Μή σε θεῶμ' ἄτερ ὀμμάτων; Ἄστρον ὑπέρτατον ἐν ἀμέρᾳ Κλεπτόμενον, ἔθηκας ἀμάχανον Ἰσχὺν ποτανόν τ' ἀνδράσι, Καὶ σοφίας ὁδόν. Ἐπισκότεον ἀτραπὸν ἐσσαμένα Ἐλαύνεις τι νεώτερον, ἢ πάρος. Ἀλλά σε, πρὸς Διὸς, Ἵππους θοὰς, ἱκετεύω, Ἀπήμον' ἐς ὄλβον τινὰ Τράποιο Θήβαις, Ὦ πότνια, πάγκοινον τέρας. Πολέμου δ' ἢ σᾶμα φέρεις τινὸς, Ἢ καρποῦ φθίσιν, Ἢ νιφετοῦ σθένος ὑπέρφατον, Ἢ στάσιν οὐλομέναν, ἢ πόντου Κενέωσιν ἀνὰ πέδον, Ἢ παγετὸν χθονὸς, ἢ νότιον θέρος Ὕδατι ζακότῳ διερὸν, Ἢ γαῖαν κατακλύσασα θήσεις Ἀνδρῶν νέον ἐξ ἀρχῆς Γένος ὀλοφυδνόν.* Aperte et Plinius et Philo hoc Canticum Pindari innuerunt. Sed nuspiam tam correctum, quam hic, leges. *Scal.*

36 *Cur coit igne chorus*] Pro *igne* opinor legendum *imbre*, quod Pleiades sint imbriferæ, ut Lucano dicuntur, Statio aquosæ et nubilæ, madidæ Claudiano. *N. Heinsius ad Metam. l.* 10. *vers.* 508.

48 *Crassi signa referte domum*] Indignissime ferebant Romani, cæso cum exercitu Crasso, sua apud Parthos signa ostendi captiva, triumphataque, et ea reposcebant. Proinde Maro VII. Æn. scripsit: 'Auroramque sequi, Parthosque reposcere signa.' *Turneb.*

ELEGIA VI.

6 *Majoremque timens*] In meo vet. lib. est *Majoremque metuens*: deinde alia manu emendatum, *timens*. Ego autem, si quod in illa depravata scriptura veritatis vestigium est, libentius, detractis tribus literis, legerim: *Majoremque metu servus habere fidem*. Ut sententia hæc sit: Timere interdum, ne malis nunciis apportandis dominos ad iram incitent, ὀργιζόμεθα γὰρ τοῖς τὰ κακὰ ἀγγέλλουσιν, ait Aristoteles, ideoque sæpe mentiri, et ea dicere, quæ dominis placitura norint. Id igitur ipse reprehendit, aitque plus in servo homine inesse fidei debere, quam metus. *Muret.*

Majoremque timens servus] *Timens servus*, εὐλαβής. *Scal.*

11 *Nec speculum strato vidisti, Lygdame, lecto*] An in lecto strato nullum erat speculum? An cum lecto strato? Utrumque, nec speculum in lecto, nec lectum stratum fuisse indicium probæ fœminæ. Nam speculum ad commendationem formæ pertinet, et lectus aulæis purpurave stratus ad luxuriam. De speculi usu Apuleius Apologia priore. *Pass.*

20 *Est pœnæ servo rumpere teste fidem*] 'Teste' pro, testi, plane frequens apud Propertium. Testem servum cave intelligas in jure: nam servum hominem caussam dicere leges non sinunt, neque testimonii dictio est, inquit ille in Phormione. Et Comicus apud Philonem: Οὐ γὰρ μετεῖναι τῶν νόμων δούλοις ἔφυ. Sed accipe testem simpliciter, qui interrogatus de aliqua re respondet. *Scal.*

22 *Æqualem nulla*] Emendo, *Ac qualem*. Ille potest dicere domi suæ amicam, qualem in nulla domo alius habere possit. *Scal.*

24 *Si placet, insultet, Lygdame, morte mea*] Lege, *morte meæ*: ut supra 'servo teste.' Lucillius: 'Esuriente leoni ex ore exculpere prædam.' *Scal.*

25 *Improba non vicit*] Totidem verbis versum reconcinnarunt, qui alio ordine verborum scriptus est: *Non me moribus illa, sed herbis improba vicit*. Scal.

30 *Cinctaque funesto lanea vitta viro*] Lanearum tæniarum in sepulchris, quas κειρίας Græci vocabant, meminit Varro. Vide primum Conjectaneum nostrum. *Scal.*

31 *Si non vana canunt*] Malim *Si non vana cadunt*. Eadem pæne phrasi usus est Eleg. 10. lib. 1. 'Neu tibi pro vano verba benigna cadant:' et Eleg. 16. eod. lib. 'At mea nocturno verba cadunt Zephyro.'

Testor] Pro, prædico, auguror, posuit. Ita Corn. Nep. Themistocle: 'Universos pares esse posse aiebat, dispersos testabatur perituros.' Ita locus ille ex v. l. legendus.

32 *Pœna erit*] Legerim: *Pœna erit ante ejus sera sed ampla pedes*. Nondum enim loquitur Propertius, sed Cynthia de Propertio et novis ejus amoribus, quibus discidium prædicit. Confirmant hoc quæ sequuntur: 'Putris et in vacuo texetur aranea lecto.' Ait lectum eorum desertum fore et vacuum. Jam vero, quæ vacua sunt, aranearum plena esse dicimus. Catullus: 'Plenus sacculus est aranearum.' Afranius apud Festum in

'Tamne:' 'Arcula tua plena est aranearum.' Plautus Aulul. Sc. 2. Lectum vacuum idem Propertius lib. 2. Eleg. 2. dicit. Sed quod ait Venerem illorum dormituram, aliter, atque ab aliis factum, interpretor, hoc nim. Tibulliano: 'Silente nocte candidus mihi puer Tepente cum jaceret abditus sinu, Venus fuit quieta, nec viriliter Iners senile penis extulit caput.' Adhuc verba Cynthiæ. Sequuntur jam alia Propertii: 'Quo tibi' &c. ut vel hinc videamus verba præcedentia esse Cynthiæ, quibus illa pœnam Propertio paratam esse dicit. *Scioppius Verisimil. l. 3. c. 20.*

33 *Putris et in vacuo texetur aranea lecto*] Notum Penelopen in Odyssea hoc dicere de maritali lecto suo. *Scal.*

ELEGIA VII.

21 *Sunt Agamemnonias*] Hisce quatuor vv. fabula quæpiam obscurior continetur. Nam de hoc s. Argenno, s. Argynno (quamvis enim ap. Pollucem Ἄργεννος legitur, Ἄργυννος tamen legend. crediderim) de eo igitur nihil aliud reperio, nisi eum fuisse Agamemnoni in deliciis, quod et hic indicatur, et in Cephiso submersum. Alii inepta quædam et a se temere conficta afferunt: quod ego facere non institui. Illis religio erat usquam hærere, et fateri quicquam a se non intelligi: mihi contra religio est, quicquam, quod me non intelligere intelligam, interpretari. Sed, quæcunque illa tandem fabula est, quam ego mihi quidem ignotam esse fateor, suspicor equidem hos quatuor vv. alieno l. positos esse, atque hinc delendos, et reponendos statim post illud distichon, 'Natura insidians' &c. Ibi enim incipit commemorare multos, qui in equis perierunt: quo exemplum hoc quoque pertinere existimarim. *Muret.*

22 *Qua natat Argenni*] Scribe auctore libro nostro: *Qua notat Argyni pœna natantis aqua.* Argynus, deliciæ Agamemnonis, dum natat in Cephiso amne Bœotiæ, a flumine absorptus periit. Auctores Stephanus, Athenæus libro XIII. et alii. Legendum vero *aqua*, non *aquæ*. Quæ litora notat aqua pœna natantis Argyni. Ergo Cephisus exoneratur in Aulidem. *Scal.*

Argyni] Argennus in deliciis Agamemnonis fuit; qui, cum classis in Aulide staret, ventis reflantibus adversis, in litore Bœoto, cecidit in Cephisum amnem, submersusque est, cum eum navi subisset: nec ejus mors tamen secundos solvendæ classi ventos impetravit. Argynus Stephano vocatur. Dicit igitur: Qua natat et fluit Cephisus, videlicet, pœna minantis aquæ Argyni, quod est, in quo mersus minacibus undis oppetiit Argynus, littora sunt testantia Agamemnonis curas; potius, ingressus Cephisum, fortassis minaciter locutus est insultavitque fluvio. *Turneb.*

23 *Hoc juvene amisso classem non solvit Atrides*] Non obscure dicit, quia Agamemnon persequens Argynnum coëgerit eum se præcipitem in Cephisum mittere, unde gurgite absorptus perierit, propterea numinum ira retentam classem Agamemnonis. Contra Seneca dicit non propter Argyni, sed cujusdam regis, qui inter Argonautas fuerit, mortem, Aulidis portum ab eo tempore iniquum fuisse navibus solventibus. Ita enim in Medea canit Chorus: 'Aulis amissi memor inde Regis Portubus lentis retinet carinas Stare querentes.' Jam nullus ex Argonautis Rex eorum tractuum fuit præter Erginum regem Orchomeniorum, quem non obscure ait periisse in Aulide, quum alii aliter eum periisse dicant. Quomodocunque igitur aut ubicunque perierit, Neptunus exegit pœnas cædis ejus in posterum, ut locus, ubi perierit, sit iniquus navibus.

Cujus enim est classes morari, nisi Neptuni? Atqui Neptuni filius erat Erginus. Val. Flaccus: 'Haud minus Erginus proles Neptunia fertur.' Itaque Argynum cum Ergino confudit vel Propertius, vel Seneca. Quod cogitare debebat ille, qui in Tragœdias Senecæ Commentarios edidit. Non enim ego, sed ipsi Poëtæ confundunt; quod tam verum est, quam ridiculum de Tiphy intelligendum apud Senecam, ut ipse vult: quasi Tiphys fuerit Rex. Deinde male interpretatur apud Senecam τὸ 'inde:' quasi referendum ad Tiphyn, quum de expeditione Argonautica accipiendum sit, propter quam ait multos ex Argonautis periisse, et eorum mortem posteritati magno constitisse. Totus enim chorus declamat in eos, qui primi mare navigationibus aperuerunt. Deinde magis ridiculus est Commentator, quum tempora Argonautica Trojanis antiquiora causatur, ut inde nos hallucinatos probet. Atqui hallucinatus est ipsus Seneca, qui culpam sæculi Argonautici confert in classem expeditionis Troicæ. Sed pædagogica pædagogis relinquamus. *Scal.*

25 *Reddite corpus humo, &c.*] Ad hujus loci perspicuitatem mirifice facit ille Petronii locus: 'Et, si nihil aliud, certe diutius junctos mare nos feret, vel si maluerit misericors ad idem littus expellere, aut præteriens aliquis tralaticia humanitate lapidabit, aut, quod ultimum est, iratis etiam fluctibus imprudens arena componet.' *Dousa P.*

27 *Et quoties Pæti transibit nauta sepulcrum, &c.*] Concinnius omnino meo judicio futurum, si rescribatur: *Ut quoties Pæti, &c.*

29 *Et leti texite caussas*] Lege, *caussam.* Caussa leti, est letum ipsum, ut Jurisconsulto, 'caussa bonorum,' bona ipsa. *Scal.*

31 *Terra parum fuerat*] Horat. 'Nequicquam Deus abscidit Prudens Oceano dissociabili Terras, si tamen impiæ Non tangenda rates transiliunt vada.' *Muret.*

42 *In mare cui sóli*] Lego *solum:* ut significet, dolos ubique ei profuisse, præterquam in mari. *Muret.*

46 *Pauper, at in terra, nil ubi flere potest*] Antiphanes Comicus: 'Ἐν γῇ πένεσθαι κρεῖττον, ἢ πλουτοῦντα πλεῖν.' *Dousa P.*

47 *Non tulit hic Pætus*] Vide quid mali fecit transpositio, quia de Pæto hic fit mentio, et quia propter transpositionem obscurum erat, in quem sensum hæc accipienda essent; propterea corrupta fuit lectio etiam in libro scripto, in quo omnes transpositiones et in vulgatis extant. Sed legendum: *Non tulit huic pectus.* Altera comparatio Ulyssis cum Pæto. Non sustinuit, inquit, Ulysses audire stridorem procellæ nisi fultus caput pulvillo. At contra Pætus prorsus submersus est. Totum autem ita legendum: *Non tulit huic pectus stridorem audire procellæ, Et duro teneras lædere fune manus, Sed thyia thalamo, aut Oricia terebinthi Effulto pluma versicolore caput.* Scal.

49 *Sed thyæ thalamo*] Id est, lecto pretioso ex thyæ arboris ligno, quam eandem volunt esse cum citro. De ea Plin. XLIII. cap. 15. et 16. et de ejus usu in supellectile. *Passerat.*

Sed thyiæ thalamo aut Oricia terebintho] Palam est legendum esse, *Oriciæ terebinthi.* Virgilius: 'Inclusum buxo, aut Oricia terebintho.' Serenus: 'Nec non resinas ex Oricia terebintho.' Invidiose autem hæc finxit, Nam apud Homerum nihil tale. Est autem ῥητορικὴ potius quam ποιητικὴ δείνωσις. *Scal.*

Oricia terebintho] Id est, Epeirotica; nam Oricos portus et oppidum Epeiri.

Huic fluctus vivo radicitus abstulit ungues] Hoc verum est naufragis et ungues a cute recedere, et extremi-

tates tabescere. Quod quum videret superstitiosa antiquitas, tanquam naufragium deprecari vellet, quo scilicet sciebat ungues radicitus avelli, solebat sibi ungues præsecare, quoties turbaret mare. Petronius : 'Audio enim non licere cuiquam mortalium in nave neque ungues neque capillos præcidere, nisi quum pelago ventus irascitur.' Ergo irato mari capillorum resectione naufragium deprecabantur, ut evaderent, unguium præsectione, ne enecarentur in mari. *Scal.*

52 *Et miser invitam traxit hiatus aquam*] Proverbium est, πρὸς κῦμα χάσκειν. Et vetus poëta in Catalectis nostris capite de Naufragio : 'Illic immanes mors obsita solvit hiatus.' Ab hoc autem versiculo sequitur, 'Quod si contentus.' Deinde 'Viveret ante suos.' Postremo, 'At tu sæve Aquilo.' Itaque antehac penitus ignorabatur hæc Elegia. *Scal.*

53 *Hunc parvo ferri*] Comparatio Ulyssis naufragii cum isto Pæti. Hunc, inquit, Ulyssem nox improba vidit ferri parvo fragmento, quo tandem incolumis in Phæaciam appulit. At contra infelix Pætus tot malis obrutus non potuit enatare. Parvum lignum vocat, quam Homerus σχεδίην. At hic est μνημονικὸν ἁμάρτημα, vel potius oratorie ad invidiam hæc fingit. Nam hoc non noctu, sed interdiu accidit. Nox improba est, quam κατουλάδα νύκτα vulgo dici solitam temporibus suis scribit Apollonius. Ab hoc disticho illud postea interjiciendum : 'Non tulit.' *Scal.*

60 *Attulimus longas*] Non perjurio debilitatas. Religio Veterum, quam supra tetigimus ex Horatio : 'Ulla si juris tibi pejerati,' &c. Putabant, ut apparet, perjuros membro aliquo debiles, mancos, mutilos fieri. Quare idem significat, quum ait : 'Portabat sanctos alveus ille viros.' Hoc est, non perjuros. *Scal.*

Attulimus longas in freta vestra manus] Innuit reciproca fluctuum ac scopulorum collisione manus digitosque sibi breviores factos, admutilatumque se unguibus et extremis corporis partibus derasis avulsisque radicitus, quos integros attulerat in mare. Id quod solere fieri, atque adeo sæpe evenisse hominibus naufragio in nostrum littus expulsis, non ab acutis scopulis Halcyonum (ut Pæto) qui apud nos nulli sunt, sed arenarum et fluctuum mutuo collisorum attritu gelaque (quod 'acutum' merito vocat Horatius) intentissimi acrimonia, oculati testes esse possumus. Hinc dicit paulo ante : 'Huic fluctus vivos radicitus abstulit ungues.' *Dousa P.*

61 *Adfigar*] Recte. Non *adfligar*, ut habent editiones, et probat Gebhardus. *Gronovius Observ. l.* 4. *c.* 8. quem vide.

62 *In me cæruleo fuscina sumpta Deo est*] Imitatur Homerum in Ulyssis naufragio : 'Ὣς εἰπὼν σύναγε νεφέλας, ἐτάραξε δὲ πόντον Χερσὶ τρίαιναν ἑλών.

In me cæruleo fuscina sumpta Deo est] Neptunum censebant tridente suo non solum mare, sed terram etiam movere et labefactare : sed et partes abrumpere. Maro II. Æn. 'Neptunus muros magnoque emota tridenti Fundamenta quatit.' Quod et Tritonem fuscina etiam facere poëtæ canunt. Accius apud Ciceronem II. de Nat. Deor. 'Aut forte Triton fuscina evertens specus Subter radices penitus undanti in freto Molem ex profundo saxeam ad cœlum eruit.' *Turneb.*

65 *Subtrahit hæc fantem*] Hæc quoque ad verbum ex eodem naufragio : 'Ὣς ἄρα μιν εἰπόντ' ἔλασε μέγα κῦμα κατ' ἄκρης Δεινὸν ἐπεσσύμενον. *Scal.*

66 *Ultima quæ Pæto*] Postea insere distichon : 'Pæte, quid ætatem numeras,' cum sequenti. 'Quid ætatem numeras' ergo dicit, quia paulo ante deplorabat ultimam pubertatem :

'Quo rapitis miseros primæ lanuginis annos?' 'Primæ lanuginis,' *πρωθήβην* se vocat: 'Ora puer prima signans intonsa juventa.' *Scal.*

Ultima quæ Pato, nexque diesque fuit] In hoc versu mirum neminem etiam usque adhuc quod offenderet offendisse: at ego quovis etiam pignore præstare paratus sum, non illo sed hoc modo Propertium nostrum scripsisse; *Ultima quæ Pato voxque diesque fuit.* Dousa P.

Nexque diesque fuit] Veram putamus nobiliss. Jani Douzæ castigationem *voxque diesque fuit.*

ELEGIA VIII.

20 *Hostibus eveniat lenta puella meis*] Plerumque hostibus evenire optabant, quæ aversabantur. Ovid. lib. III. de Arte Am. 'Hostibus eveniat tam fœdi causa pudoris, Inque nurus Parthas dedecus illud eat.' Idem Epist. XV. Heroid. 'Hostibus eveniant convicia talia nostris.' *Brisson.*

Tecta superciliis si quando verba remittis, Aut tua cum digitis scripta silenda notas] Ovid. 'Non oculi tacuere tui, conscriptaque vino Mensa, nec in digitis littera nulla fuit.' *Dousa P.*

27 *Odi ego quæ*] Legendum non male fortassis divinavi, *Odi ego quos numquam pungunt suspiria somnos:* q. d. Non optarim mihi tales noctes, in quibus non interdum crebra ob iratam dominam suspiria somnum mihi adimant. *Scioppius Verisimil. l. 4. c. 4.*

29 *Cum grata per arma, &c.*] Conjeceram *Graia:* sed præcepit Palmerius, ineptus tamen in hoc, quod *Graia per arma* exponit Martem Graiis faventem: atque ille amplius Passeratius, qui dubitabat, an 'per arma ferre gaudia' esset, osculari per galeam. Damnavit hoc ipse ex sequentibus. *Graia per arma* est tempore belli quo Graii infestis armis Helenam repetebant. *Gebhard.*

Grata per arma] Male. *Graia* itaque proculdubio reponendum, eo magis quod eadem plane depravatio sit alibi apud eundem: 'Et Methymnæi grata saliva meri:' ubi legendum *Graia*, præsertim quum Scaliger in veteri suo *Graia* pro *grata* extare moneat. Idem error in Ovidio commissus libro Amorum I. 'Grataque in Iliacis mœnibus uxor erat:' cum et ibi emendandum sit *Graiaque.* Dealbetur et tertius de una eademque fidelia paries nobis; Papinius, dico, Sylvar. III. 'Quid laudem litus libertatemque Menandri, Quam Romanus honos et Graia licentia miscent?' argutissime, ut Græcorum levitas Romanæ quasi gravitatis mixtura aptissime ac decentissime temperetur. Male in impressis omnibus *grata* legitur. Observandum quoque 'arma' eleganter pro bellis posita illo versu: 'Aut tecum, aut pro te mihi cum rivalibus arma Semper erunt.' *Dousa P.*

40 *Offensa*] Ita reposui e vett. libris: cum Beroaldus temere pro *offensa* scribi jussisset *infensa:* est autem *offensa*, irata. *Muret.*

ELEGIA IX.

2 *Intra fortunam*] Lego *infra fortunam.* Seneca Medea Act. 3. 'Fortuna semper omnis infra me stetit.' *N. Heinsius, 3. Trist. Eleg. 4.*

8 *Flamma nec ex æquo*] Malim *Fama*, ut nonnullæ editiones. Jugum trutinæ intelligit, non currum, ut putabat Beroaldus. *Scal.*

10 *Exactis Calamis se mihi jactat equis*] Tangit historiam. Olympiæ dicatus erat ab Hierone tyranno Siciliæ currus æneus cum bigis. Currus factus ab Onata, equi a Calamide: tanquam qui currum fecisset Onatas, non excelleret in equis faciendis, ut Calamis. Habes hoc apud

Pausaniam Eliacorum secundo. Sed quod in quadrigis pingendis excelluerit, Plinius docet. *Scal.*

12 *Pyreicus parva*] Hunc locum ita depravavit Beroaldus, quum antea legeretur, *Parrhasius parva*, ut et habet liber noster: atque adeo in eo serio triumphat, atque exsultat. Subscriptorem etiam jactantiæ Picum illum eruditissimum laudat. Ego multum video recedi a vestigiis lectionis, si pro *Parrhasius Pyreicus* legamus. Præterea quare in artificum illa enumeratione omnium principem Parrhasium prætermisisset, ut vilissimarum rerum pictorem, qui ab eo dictus ῥυπαρογράφος, nominaret? Quamobrem melius est tantum artificem hic securum in suis sedibus relinquere, quam illi tantam injuriam facere. Pro *parva* autem lego *parta*. Partam artem Parrhasii vocat eam, cujus ipse repertor fuit, nempe symmetriam picturæ, argutias vultus, elegantiam capilli, venustatem oris, quæ est picturæ summa subtilitas. Is ea primus excogitavit, ut ait Plinius. *Parta* igitur, propria. Sic infra: 'Praxitelen proprius vindicat arte lapis.' Quare ad hunc locum intelligendum lege amplius Plinium libro quinto et tricesimo. Atque Beroaldum cum sua emendatione μακρὰν κλαίειν τὴν κεφαλὴν jube. Potest et legi *prima*: hoc est *Biaζoόoη*. Et fortasse melius. *Scal.*

13 *Argumenta magis*] Argumenta sunt formæ ipsæ et sigilla: ut et Servius velle videtur in Aspidopœia Virgilii, in illud, 'Argumentum ingens.' Ego in vetustissima Historia Martyrum inveni 'quadrigas solis cum argumentis.' *Scal.*

14 *At Myos exiguum*] Noster liber corrupte, *At mirum exiguus*. Scal.

17 *Sunt quibus Eleæ*] Noster liber, *Est quibus Eleæ:* item, *Est quibus in celeres*. Hellenismus ἔστιν οἷς τισὶν, hoc est, quibusdam. *Scal.*

21 *At tua Mæcenas &c.*] Hoc vult Poëta, Mæcenatem, modo voluisset, aut consulatus dignitatem facile adipisci potuisse, aut imperatorem belique ducem fieri: at sua ipsum se fortuna maluisse involvere, modicumque honorem maximo anteferre, atque hanc summam esse ejus laudem. Idem breviter tangit Pedo Eleg. I. 'Majus erat potuisse, tamen nec velle triumphos: Major res magnis abstinuisse fuit.' Et notavit obiter Tacit. Annal. lib. III. cap. XXX. Ubi de Sallustio Crispo agit, 'Atque ille,' ait, 'quamquam prompto ad capessendos honores aditu, Mæcenatem æmulatus, sine dignitate senatoria multos triumphalium consularium que potentia anteiit.' *Meibomius.*

26 *Onerare fixa per arma domum*] Ita et Livius lib. XXIV. Cum senatum legeret et suppleret M. Fabius dictator, 'legit qui Ædiles, Tribuni, Quæstoresve fuerant, tum ex iis, qui spolia ex hoste fixa domi haberent, aut civicam coronam accepissent.' Ait autem 'domi fixa.' Recte; nam solent postibus ipsis et foribus suspendi, in transeuntium aspectum. Id est quod Polybius dicit, 'in conspectissimo ædium loco posita:' etsi poëta Silius in atriis etiam locat: lib. VI. Sed in postibus magis, et exempla evincunt. Festus: Antipagmenta, valvarum ornamenta, quæ antis adpanguntur, id est, adfiguntur. Antas autem idem explicat, latera ostiorum. Livius lib. XXXVIII. 'Spolia ejus urbis ante currum laturus, et fixurus in postibus suis.' Vide Lipsium lib. V. de Mil. Rom. Dial. XVIII. et Rycquium cap. XXVIII. de Capitol. Rom.

36 *Tota sub exiguo*] Mallem, *Tuta*. Supra in eandem sententiam: 'Tranquillo tuta descendis flumine cymba.' *Scal.*

37 *Non flebo in cineres*] Cineres paternos mire dixit pro cineribus,

quibus caussa pater fuit Œdipus. Notum propter imprecationes Œdipi filios mutuis se vulneribus confecisse. *Scal.*

38 *Prælia clade pari*] Allusum ad proverbium, Καδμεία νίκη. *Scal.*

41 *Mœnia quum Graio Neptunia pressit aratro*] Peregrinam litem Romano jure decidit. Nam illud plane Romani juris est. Horatius: 'Imprimeretque muris Hostile aratrum exercitus insolens.' *Scal.*

Mœnia cum Graio Neptunia pressit aratro] Mos vetustus; quo evertendis urbibus aratrum inducebatur, sicuti in condendis idem adhiberi consueverat: quare oppida, quæ prius circumducta erant aratro, ab orbe et urvo, urbes: et Coloniæ Romanæ omnes in literis antiquis scribuntur urbes, quod item conditæ, ut Roma. Significant id Senecæ verba lib. de Clement. I. 'Deinde,' inquit, 'cædibus in exitiâ gentium serpere, et injicere tectis ignem, aratrum vetustis urbibus inducere.' Horat. Carm. lib. I. 'Imprimeretque muris Hostile aratrum exercitus insolens.' Et Acron interpres: 'Condendis,' inquit, 'atque evertendis urbibus hæc consuetudo fuit, ut aratro fieret.' Virgil. 'Interea Æneas urbem designat aratró.' Modestinus in D. Quibus modis usus fructus amittatur, 'Si,' inquit, 'usus fructus civitati legetur, et aratrum in ea inducatur, civitas esse desinit, ut passa est Carthago: ideoque quasi morte desinit habere usum fructum.' *Rodiginus.*

44 *Et cecinisse modis, Coë poëta, tuis*] Castigatio Beroaldi, *Coë*. Antea, ut et in scripto nostro, *dure*. Minime negotio potuit, *pure*. Ita ergo repone. Purum poëtam Philetam intelligit, cui in mollitie carminis primas dat, ut supra: 'Tu satius musis meliorem imitere Philetan.' Hoc etiam videtur fecisse Hermesianax, quum ait: Οἶσθα δὲ καὶ τὸν ἀοιδὸν, ὃν Εὐρυπύλου πολιῆται Κῷοι χάλκειον θῆκαν ὑπὸ πλατάνῳ, Βαττίδα μολπάζοντα θοὴν περὶ πάντα Φιλητᾶν Ῥήματα, καὶ πᾶσαν ῥυόμενον λαλιήν. *Scal.*

49 *Celsaque Romanis &c.*] Decerpere palatia interpretor, decerpere gramen, quod olim in illo loco erat, ubi nunc est palatium. Sic in Priapeiis sæpe, 'carpere et decerpere hortos, pomaria,' &c. i. e. fructus ex horto. Jam de tauris in palatio optime ipse te docebit Propertius principio libri quarti. *Scioppius Verisimil. lib.* 4. *c.* 4.

54 *Parthorum astutæ*] Sic Manilius lib. 5. 'terræ remissa' dicit pro, a terra remissa. Nihil igitur est hic mutandum, tanquam comptius sit *astutæ fugæ*, ut voluit Freinshemius. *Gronovius Observ. lib.* I. *cap.* II.

ELEGIA X.

4 *Et manibus faustos ter crepuere sonos*] Plaudentes enim dicebant, Io Natalis, ut Io Saturnalia, supra ex Arriano. *Scal.*

Et Manibus faustos ter crepuere sonos] Allusum ad illam ter crepandi plaudendique consuetudinem. Apertum ex Horat. l. Carm. II. Od. XII. 'Lætum theatris ter crepuit sonum.' Vide Turneb. lib. XVIII. Adv. cap. XII.

12 *Et poscentes justa*] 'Justa,' τὰ νόμιμα, τὰ ἱκνούμενα, ut justa funebria. *Scal.*

13 *Ac primum pura somnum*] Persius: 'Et noctem flumine purgas.' Eunapius in Ædesio: Τότε οὖν παῖδα καλεῖ, τὴν ὄψιν καὶ τὸ πρόσωπον ἀποσμήσαι τῷ ὕδατι βουλόμενος. Somniaverat autem ille. *Scal.*

22 *Crocino*] Crocinum unguentum, quod ex aromatibus fiebat et croco, in oleo macerato, ut ait Dioscorid. lib. I. Dictum a cróco crocinum: supple unguentum, ut ab amaraco amaracinum. Plaut. Curc. Sc. II. Act. I.

'Tu stacte, tu cinnamomum, tu rosa, tu crocinum, et casia es.'

26 *Publica vicinæ perstrepat ara viæ*] In nostro, *aura*: et fortasse melius. Est autem hypallage Propertio familiarissima, pro, Aura perstrepat publicæ viæ. Si retinemus *ara*, intelligetur eos κωμάζειν ad aram, quæ proximo compito erat. Sic Dio de Julia Augusti filia: Τὴν μέν τοι Ἰουλίαν τὴν θυγατέρα ἀσελγαίνουσαν οὕτως, ὥστε καὶ ἐν τῇ ἀγορᾷ καὶ ἐπ' αὐτοῦ γε τοῦ βήματος καὶ κωμάζειν νύκτωρ καὶ συμπίνειν, &c. *Scal.*

Publica vicinæ perstrepat ara viæ] Aræ quædam erant privatæ. Unde Cicero: 'Hic aræ, hic foci, hic Dii penates.' Aliæ publicæ, ut publici sacerdotes, augures, feriæ, sacra. Ejusmodi aræ publicæ quædam in via, ut in Mostellaria Plaut. Act. v. Sc. I. 'Aram in via Tranio occupat.' Idem in Mercat. Sc. I. Act. IV. Curcul. Act. I. Sc. I. Aulul. Act. IV. Sc. I. *Passerat.*

28 *Quem gravibus pennis*] At Horatius non sorte, sed mercede bibendi: 'Dicat Opuntiæ Frater Megillæ, quo beatus Vulnere, qua pereat sagitta.' *Scal.*

ELEGIA XI.

15 *Aurea cui postquam nudavit cassida frontem*] Citat hunc versum Charis. lib. I. in 'Cassis' et 'Cassida,' et illum Virgil. XI. Æn. 'Aureus ex humeris sonat arcus, et aurea vati Cassida.' Ubi tamen Servius vult esse accusativum pro nominativo. Sed sic Varro apud Nonium in 'Compedes' 'compedam' dixit, pro compede, et 'chlamyda,' pro, chlamys, apud eundem in 'Chlamys:' et 'Itonida' pro Itonis: Festus. Dicebatur et 'Cassila:' Festus: *l.* pro *d.* Passerat.

17 *Omphale*] De Omphale Donat. in illud Eunuchi Act. III. Sc. VIII. 'Qui minus quam Hercules servivit Omphale.' 'Omphale,' inquit, 'Lydiæ regina fuit, quæ Herculem sibi servientem etiam ad lanificium compulit; cum ipsa calathum, colum, cultusque femineos sagittis, clava, et leonis tegmine mutasset.' Leg. Athen. lib. VI. Plut. in Thes. Ovid. II. de Arte et in Epist. Deianiræ: Apollod. lib. II. et Palæphatus.

18 *Gygæo lacu*] 'Gygæus lacus,' Γυγαίη λίμνη, Homero in Catalogo Navium sub finem. Strabo lib. XIII. Gygæum lacum, qui postea Coloe dictus est, XL. stadia ab urbe Sardibus abesse scribit. Plin. lib. V. cap. XXXIX. 'Hyde civitas Mœoniæ clara stagno Gygæo;' dictus a Gyge rege lacus notissimo fabuloso illo annulo, de quo multum Herodotus et Plato. *Passerat.*

19 *Statuisset in orbe columnas*] De Herculis columnis vid. Apollod. lib. II. Strabo lib. III. et Plin. lib. III.

20 *Tam dura traheret*] Sic alibi: 'Testis erit Dirce tam vero crimine sæva.' *Scal.*

25 *Duxit et Euphratem medium*] 'Duxit,' i. e. induxit, immisit, ut influeret effecit, et quasi Urbem divideret. Diod. lib. II. Non inductum Eufratem, sed constructas hinc inde domos, et conditam urbem scribit Herodot. lib. I.

34 *Et toties nostro Memphi cruenta malo*] Nam Gabinius armis reduxit Ptolemeum in regnum, multique milites illic remanserunt. Deinde Pompeius illic interfectus. Postea Cæsar Alexandriæ obsessus et difficillimo implicitus bello. Postremo M. Antonius ibidem obsessus, multique Romanorum utrimque cæsi. *Passerat.*

35 *Tres ubi Pompeio, &c.*] Victus Pompeius et fœde interemptus in ipso littore omnem vitæ superioris laudem et gloriam amisit. Itaque arena ipsa et littus, ubi cæsus est, illi videtur triplicis triumphi gloriam detraxisse. Cicero pro Sextio: 'Is

qui tripartitas orbis terrarum opes, oras tribus triumphis adjunctas huic imperio notavit.' Plin. lib. VII. cap. XXVI. ter Pompeium triumphasse scribit. Primum Sicilia recepta, et subacta Africa. Deinde in ditionem redacta Hispania. Postremo pacato mari, victo Mithridate, et Oriente pœne subacto. *Passerat.*

39 *Incesti meretrix regina Canopi*] In Epigrammate Augusti Glaphyre dicitur. Erat autem scortum Glaphyra, mater Archelai: quem Antonius regem Cappadociæ fecit. Dio lib. XLIX. De Cleopatra antem Plinius lib. IX. cap. XXXVI. 'Ut regina meretrix ejus lautitiam omnem apparatumque obtrectans.' Incestus Canopus, ob incestum regum Ægyptiorum cum sororibus.

Canopi] Servius in illud IV. Georg. 'Nam quæ Pellæi gens fortunata Canopi.' Canopus civitas juxta Alexandriam dicta a Canobo, gubernatore Menelai. Plin. lib. V. cap. XXXI. Insula, unde Canopicum ostium Nili, Straboni lib. XV.

40 *Una Philippeo sanguine adusta nota*] Malo, *inusta.* Et omnino ita legendum. *Scal.*

Una Philippæo sanguine adusta nota] I. e. infamia genti et sanguini Philippi et Alexandri ita hærens, ut tolli nunquam possit. Translatum a notis quæ inuruntur vel mancipiis vel pecori.

41 *Jovi nostro latrantem opponere Anubim*] Diodorus ait, fuisse in Osiridis exercitu Anubim, canino tegmine contectum: qui et venator fuisse dicitur. Ejus etiam opera, canis instar indagantis membra Osiridis, usa in hoc negotio Isis dicitur. Itaque idem capite pingebatur canino, ut Servius monet in 8. Æn. 'Omnigenumque Deum monstra, et latrator Anubis.' Semicanem Deum cum Lucano, vel semihominem canem dixeris cum Sedulio in opere Paschali. Aliis tamen placet eo fingi κυνοκέφαλον, canino capite, quia fuerit κυνηγέτης: vel propterea quod foret Osiridis et Isidis σωματοφύλαξ, corporis custos. Quomodo ob communem custodiam, et, 'canem' pro custode, et 'custodem' pro cane dixerunt: ut ostendi Oratoriarum Instit. lib. IV. cap. VI. Sect. III. *Vossius.*

43 *Romanamque tubam crepitanti pellere sistro*] Sistrum instrumentum erat Ægyptium e metallo arguto, quo in sacris Isidis utebantur; ab agitatione nomen habet: nam agitatum et concussum tinnitus argutos edebat; eratque parte sui superiore, ut Plutarchus scribit, rotundum, celatumque: eratque in summæ ejus cassidis vertice vultus felis, qua concutiebatur Isidis et Nephthys facies. Hesychius cymbala interpretatur. Quæ infantibus crepitacula tribuuntur crepitum concussu reddentia argutum, sistra dici possunt. Videor vidisse imaginem Isidis cum sistro. Sistri autem species ovalis erat et manubriata in ora, undique tintinabula habens, ut agitatum tinnitum redderet maximum, quæ pulsarentur. *Turnebus.*

44 *Baridos*] Genus navigii et cymbæ apud Ægyptios Baris est, qua vehebantur ad sepulturam cadavera. Diodor. lib. II. et Herod. lib. I. Vide Victorium lib. X. cap. IX.

45 *Fœdaque Tarpeio conopea tendere saxo*] Et Horatius super eadem historia: 'Interque signa, turpe, militaria Sol aspicit conopeum.' Conopeum proprium Ægyptiorum, qui culicibus acriter infestantur. Nam propter paludes Nili et maritima Ægypti eorum ibi magna copia. Plinius libro nono, capite septimo et quadragesimo: 'Adeoque, nihil non gignitur in mari: ut coponarum etiam æstiva animalia, pernici molesta saltu, aut quæ capillus maxime celat, existant.' Lege: *ut conopeorum etiam.* Conopeorum animalia sunt οἱ κώνωπες, culices. Ait Plinius etiam pisces infestari culicibus, et pediculis. Nam

animalia, quæ capillus celat, sunt φθεῖρες; κόνιδας vero allucitas vocavit Petronius, si Placiadæ credimus: 'Nam centum vernales me allucitæ molestabant.' *Scal.*

46 *Jura dare statuas inter et arma Mari*] 'Arma' recte vocatur a Poëta, quod varia armorum miscella Tropæorum moles construeretur: ut præter alios multos Virgilius ostendit initio XI. Æn. cum Statio Papinio lib. II. sub finem Thebaid. et nobilia illa Tropæa Mariana testantur de Cimbris Teutonisque lapidea, quæ a Castello Aquarum (ubi quondam constiterant) in suggestum Capitolinum S. P. Q. R. transferri nuper jussit. *Rycquius.*

48 *Nomine quem simili vita superba notat*] Male legit Passeratius *quam*, et mutat interpunctionem. Fallitur enim, dum existimat loqui Propertium de Cleopatra, non de Antonio. Fugit, inquam, illum ratio; de neutro loquitur, sed de ipso Tarquinio Superbo. Sensus est, nihil profuturum fuisse exactum urbe ac dejectum regno Tarquinium Superbum; si mulieris impotentis jugum Romanis cervicibus accipiendum fuisset. *Nomine quem simili vita superba notat.* Periphrasis est Tarquinii Superbi, qui re et nomine erat superbus, cujus vita non dissentiebat a nomine. Livius, lib. I. cap. XLIX. Florus lib. I. cap. VII. *Gebhard.*

59 *Scipiadæ classes*] Livius lib. XXVIII. sub finem.

Signa Camilli] Signa Romanis adempta in prælio ad Alliam Camillus e Gallis recepit. Plut. in Camillo, Livius lib. V.

60 *Pompeia Bosphora capta manu*] Bosphorum Cimmerium intelligit in ore Mæotidis paludis, qui ob vicinum Pontum in ditione Mithridatis fuit. Cicero pro Muræna Mithridatem Bosphorum confugisse ait. Gentes autem ad illum Bosphorum et Mæotin devicit Pompeius. Plut. in Pomp.

61 *Victi monimenta Syphacis*] Livius libr. XXX. narrat quomodo victus et captus et ductus in triumphum secundum Polybium. Ibidem tamen, in libro extremo, eos sequitur, qui ductum in triumphum negant, aitque mortuum Tibure, et ita subtractum ei spectaculo. De eo rege vide Livium a fine lib. XXIV. ad finem XXX. Val. Max. lib. VI. cap. II. de Scipione (Duorum Regum Syphacis et Persæ ante triumphales currus catenatæ cervices) et cap. ult. lib. VI. exemplo ult. et cap. I. lib. V. Eutrop. lib. III. Syphax Numidiæ rex (qui se Pœnis conjunxerat) captus, et cum infinitis spoliis a Scipione Romam missus.

63 *Curtius &c.*] Cum medium forum in immensam altitudinem desedisset, responsum est compleri non aliter posse, quam ea re, qua plurimum Romanus populus posset. Id M. Curtius de virtute et armis interpretatus, armatus et equo insidens se in eam voraginem immisit, et ita hiatus terræ expletus. Livius lib. VII. non longe ab initio. Val. Max. lib. V. cap. VI.

64 *At Decius misso*] Vide num inversum ac præpostere positum sit, pro: *Admisso Decius.* Quid sit admittere equum, nemo paulo doctior ignorat. Mox noster *Aut modo Pompei.* Scal.

Decius, &c.] Livius lib. VIII. De patre Decio, qui se pro exercitus salute devovit; et de filio, lib. X. Cicero I. Tuscul. III. de Nat. Deor. I. et II. de Divinat.

65 *Coclitis*] Cocles dictus, quod alterum in pugna oculum amisisset, ut scribit Dionys. lib. V. Varro lib. VI. de L.L. 'Ab oculo cocles, quasi ocles, et unoculus, ut in Plauti Curcul. 'De Coclitum prosapia esse arbitror.'' Historia est apud Livium lib. II. Dionys. lib. V. Val. Max. cap. II. lib. III. *Passerat.*

66 *Et cui cognomen Corvus habere dedit*] Hunc M. Valerium, qui a cor-

vo adjutore cognomen invènit, cum in omnibus antiquis libris Corvinus vocetur, eruditi quidam nostræ tempestatis homines, et in Romanæ historiæ cognitione cum primis exercitati, Corvum, non Corvinum, vocari jubent: quod in vetustis lapidibus ita nomen hoc scriptum reperiatur. Ego autem nunquam de istis rebus magnopere contendam: tantum, quod eos aliquando in familiari sermone admonui, id h. quoque l. proponam: eum videl. ab antiquis poëtis aperte Corvinum vocari. Claud. in Eutrop. 'Agmina Brutorum, Corvinorumque catervæ:' ubi profecto, ut ad Brutum illum, qui reges ejecit, respicit, ita ad illum quoque Corvinum, qui primus hoc cognomine affectus est. Quod si quis Claudiani auctoritatem levem ac despiciendam putat, valde ille quidem a me dissentit: sed tamen alium proferemus, quem qui contempserit, is se haud dubie magnum antiquitatis contemptorem ostenderit. M. igitur Manilius, qui unus profecto pro centum lapidibus est, homo eruditissimus, qui Augusti temporibus vixit, aperte eum Corvinum vocat, his versibus: 'Et cum militia volucris Corvinus adeptus Et spolia et nomen, qui gestat in alite Phœbum.' Eod. etiam pacto mutarunt regis cujusdam Albani nomen, eumque pro Tiberino Tiberium nominarunt, freti auctoritate Eustathii Thessalonicensis. Ego autem, qui Græcos homines sæpe in Romanis nominibus falli videam, haud scio an plus in ea re tribuendum sit uni Eustathio, quam omnibus antiquis libris, et Ovidio denique ipsi, cujus hæc sunt: 'Cumque patris regnum post hunc Tiberinus haberet, Dicitur in Tuscæ gurgite mersus aquæ.' Sed tamen his de rebus nunquam cuiquam valde contendendum putarim. Atque hæc in præsentia sint satis: nam, ut neque ultimum librum attingerem, et in ceteris essem restrictior, id mihi caussæ fuit, quod et in hunc Poëtam, et in Tibullum, si quando aliquis mihi Deus ocium fecerit, justos Commentarios paro. *Muret.* De pugna Valerii cum Gallo et corvo auxiliatore Livius VII. Gellius IX. cap. XI.

69 *Leucadius*] Vide Strabonem lib. X. Leucas dicta ab albicanti colore petræ. Apud Plin. lib. IV. cap. I. Leucadia peninsula Epiri; Leucas oppidum; Leucates promontorium.

ELEGIA XII.

12 *Cataphractus*] Cataphractos definit Servius, qui et ipsi muniti ferro sunt, et equos similiter munitos habent. Sallust. Hist. lib. IX. 'Qui prætergrediebantur equites cataphracti, ferrea omni specie: equis paria operimenta erant, quæ lintea ferreis laminis in modum plumæ adnexuerunt.'

13 *Neve aliquid de te, &c.*] Eorum, qui militiæ perierant, ossa in urna in patriam referebantur plerumque, et factis exequiis sepulturæ mandabantur: quod libro II. de Legibus Cicero fieri permittit his verbis: 'Homini mortuo ne ossa legito, qui post funus faciat. Excipe bellicam peregrinamque mortem.' *Turn.*

Urna] Cineres collecti vasculis quibusdam includebantur, quæ Latini Urnas vocant. Proprio tamen nomine hæ urnulæ Ossuaria dicebantur. Græcis ὀστοθῆκαι vel ὀστοδοχεῖα. Vetus Inscriptio: Julia. Fuscinia. ossuarium. viva. sibi. fecit. Meminit et hujus vocis Ulpianus D. de Sepulc. Violato, Leg. II. Vide Kirchman. lib. III. de Fun. Rom. cap. VIII.

18 *Quum sit luxuriæ Roma magistra tuæ*] Hæc non sunt nauci: sed omnia spuria, et a correctoribus jamdudum supposita. Nam eandem falsam scripturam retinet liber noster: atqui aliter scripserat Propertius, nisi nos fallit conjectura nostra. Censemus enim ita scripsisse: *Quid faciet nullo muni-*

ta puella timere, Quum sis luxuriæ sermo magistra tuæ? Quid, inquit, faciet puella libera mariti imperio, quum illi maritus præeat viam luxuriæ? Non erit mirum, a puella virum relinqui, a quo prius ipsa relicta sit. Habet exemplum domi, quod sequatur. *Scal.*

29 *Lampetiæ*] In Sicilia Solis boves atabulabantur, quas filia Lampetie cum sorore Phaëtusa custodiebant, quæ ab Homero Eupolocomæ, hoc est, pulcricomæ, sive bene comatæ cognominantur. Circe Ulyssem admonuit, ut ab hisce gregibus abstineret, si incolumis in patriam reverti desideraret: Ulysses socios jurare coëgit se boves Solis ovesque nequaquam violaturos; qui, annona deficiente, jurisjurandi obliti, clam Ulysse boves Solis interfecerunt, et verubus viscera trementia figentes assarunt: et his epulis exempta est fames. Tunc Lampetie apud Ulyssem questa est de hac injuria, et Jupiter, orante Sole, fœdam procellosamque immisit tempestatem, quæ Ulyssem et Ulyssis socios afflixit. *Beroald.*

ELEGIA XIII.

4 *Luxuriæ*] Recte mihi, Properti, caussam malorum fœminarum impudicitiæ atque adulteriorum luxuriæ assignas. Supra: 'Cum sit luxuriæ Roma magistra tuæ.' Quippe fœminæ assuetæ laute et splendide vestiri, cum ex dote ac censu virorum non suppetat, hoc illicitis artibus ac legibus prohibito obsequio quærunt. Hoc ante nostrum Callimachum intellexit Euripides, nulli alii caussæ abitum Helenes adscribens, quam quod luxuriæ suæ in pauperculi Menelai re satisfacere nequiret. *Gebhard.*

10 *Terunt fastus, &c.*] Ea, quæ nobis in usu sunt, terimus, ut, verbi gratia, vestem: igitur per translationem eas mulieres dicit fastus terere, quæ fastuosæ sunt, quæ fastu utuntur, quæ superbæ et insolentes sunt. *Turneb.*

11 *Matrona incedit census induta nepotum*] Seneca lib. de Vita Beata: 'Quare uxor tua locupletis domus censum auribus gerit.' Idem alibi: 'Video uniones non singulos singulis auribus comparatos: junguntur inter se, et insuper alii bini superponuntur. Non satis muliebris insania viros subjecerat, nisi bina ac terna patrimonia auribus singulis pependissent.' Ovid. II. de Arte: 'Quis furor est census corpore ferre suos?'

15 *Felix Eois lex funeris una maritis*] Servius lib. v. Æn. ad hæc verba, 'famulumque parentis,' 'Fuit,' inquit, 'hæc majorum consuetudo, sicut hodieque apud Indos est, ut, quoties reges moriebantur, cum his dilecti equi vel servi, et una de uxoribus charior circa rogum occisi incenderentur, inter quas de hac erat magna contentio.' Quod vero hic de Indicis mulieribus loquitur Grammaticus, id etiam alii authores adnotare non neglexerunt. Cicero v. Tusc.

19 *Quæ viva sequatur Conjugium*] Hoc est, conjugem. Supra: 'Et totum femina conjugium.' Juvenalis: 'Sed nec Electræ jugulo se polluit, aut Spartani Sanguine conjugii.' *Scal.*

35 *Atque hinuli pellis*] Laborat a syllabis versus, etiam in nostro. Sed τὸ *Atque* additum a pædagogulis. Legendum vero: *Hinulei pellis totos operibat amantes.* Horatius: 'Vitas hinuleo me similis, Chloe.' *Scal.*

Atque hinuli pellis] 'Hinulus' est, hinnulus, ut Græcis tam ἴννος quam ἶνος dicitur, et vomerem utrumque significat. *Dousa P.*

38 *Nec fuerat nudas*] Alibi: 'Magnam Tiresias adspexit Pallada vates, Fortia dum posita Gorgone membra lavat.' Vide Καλλιμάχου Λουτρά. Nota est et fabula Actæonis. Inde Ovidius: 'Nec Dryadas, nec nos videamus labra Dianæ.' *Scal.*

Lætas] Hilares interpretor ex Martiali: 'Exercet hilares facilis hortus umbellas.' Allusum autem ad fabu-

iam Actæonis in sequenti versu, cui Dianam nudam vidisse pœnæ ac noxæ fuerat. Sed nescio an argutius Lipsius, docte certe et perquam scite, *Et fuerat nudas pœne videre Deas:* utiturque eodem loquendi genere atque iisdem pœne verbis in Satyris suis Horatius: 'Cois tibi pœne videre est, Ut nudam.' *Dousa P.*

39 *Corniger Idæi*] Theocritus: Πολλάκι ταὶ δίες ποτὶ τ' αὔλιον αὐταὶ ἀπῆνθον Χλωρᾶς ἐκ βοτάνας. *Scal.*

Pastoris in aulam] Græcorum exemplo 'pastoris aulam' pro caula posuisse videri potest Callimachus noster, cum stabulum vel caulam αὐλὴν indigitent Græci, atque eodem nomine domos etiam regias sive palatia iidem ipsi designent: cui sententiæ καὶ τὰς ἐπαύλεις adjungas licebit. *Dousa P.*

42 *Præbebant vestris verba benigna focis*] In nostro est, *verba secunda*, quæ recta est lectio: hoc est, loquebantur ipsis sermone secundo. Οὔριον est in ea significatione apud Græcos usurpatum. Legendum autem *versis*, non *vestris*. Verrere focum. Nam mensis sublatis, verso foco tempore hiemis, ait eos verba inter se serere consuesse. *Scal.*

46 *Sive petas, &c.*] Pana introducit operam suam pollicentem, 'sive petas,' &c. Ex quo l. aliquis, ignarus fuci, rei etiam piscatoriæ præesse Faunum merito suspicari possit, nisi Prop. II. 19. suo judicio seipsum quasi sorex prodidisset, cum scribit: 'Et stricto figere avem calamo.' Stricto, i. e. districto, s. emisso: quomodo et 'stringere gladium,' pro distringere, dictitamus: hoc est, vagina educere. Ut ut est, calamum a Poëtis pro sagitta interdum sumi, nemini dubium esse deputo: et exempla in promtu. Nobis unum e multis in medium adferre sufficiet, idque ab Horatio, ubi scribit: 'Et calami spicula Gnosii.' Posset tamen et pro virga aucupis visco illini solita in priore Propertii exemplo positum aliquis interpretari; suffragante eidem Martiali meo. Cui consonum quoque vetus ac Plautinum Proverbium illud: 'Arundo alas verberat.' Sed et Propertius libri IV. Eleg. II. de Fauno loquens, casses illi et arundinem, id est, calamum, seu jaculum tribuit. Unde perspicue palam fit nobis, hunc locum de aucupio, non vero de piscatus genere hamatili, intelligendum. Præmia quoque pro præda posita, quomodo et præmiatores pro prædatoribus notavimus supra in versu illo Tibulli: 'Aut rapta præmia veste petat:' cui Propertianam etiam auctoritatem addas licebit: 'Nam cui non ego sum fallaci præmia vati?' *Dousa P.*

Calamo] Per *calamum* hic non sagitta intelligitur, sed calamus aucupatorius, sive arundo crescens, quæ aves tangebat ac veluti fixas vinctasque capiendas dabat. Et sic superius *structo calamo*, non *stricto*, legendum esse dudum docuit Salmasius.

51 *Brennum*] De Brenno vide Callimachum Hymn. in Delum, a vers. LXXIII. et Scholiasten, qui historiam explicat. Val. Max. lib. I. cap. II. et Pausan. in Phocicis. Strabo lib. IV. Delphici templi a Gallis direpti meminit et auri Tolosam avecti.

55 *Polymnestoris*] De Rege Thracum Polymnestore, et ejus in Polydorum scelere Euripid. in Hecub. Ovid. XII. Met.

Polymnestoris] Scribe *Polymestoris;* nam libri veteres *Polymestoris*. Πολυμήστωρ est etiam apud Euripidem in Hecubæ initio, syllaba correpta. Plura Heinsius ad Metam. l. 13. vers. 430.

57 *Eriphyla*] Supr. lib. II. El. XIII.

61 *Neque enim Ilia quondam*] 'Ilia,' pro, Iliensis. Libro IV. 'Ilia tellus vincet.' Sic vetus interpres Virgilii annotat a Plauto dictum, 'Hector Ilius,' pro, Iliensis. *Scal.*

ELEGIA XIV.

1 *Multa tuæ Sparte miramur jura palæstræ*] Mart. lib. IV. Ep. LV. Le-

dæas palæstras appellavit puellarum luctas, quæ Lacedæmone nudæ ad palæstram descendebant, et cum viris etiam nudis luctabantur. Idem Xenophon de Rep. Lacedæmon. Euripid. in Andromach. cujus rei fœdæ et inhonestæ caussæ multæ a multis afferuntur. Plut. in Lycurgo existimat id institutum fuisse ut juvenes, puellarum pulcritudine capti, facilius earum nuptias appeterent. Ego in honorem Ledæ, quæ proprios edidit Deos, Castorem et Pollucem, id fieri solitum. Nam, quando ipsa Dea Jovi placuit, nuda erat in balneo, in cujus rei memoriam nudæ prodibant in certamen Ledeæ memoriæ tributum. *Ramirez.*

4 *Inter luctantes nuda puella viros*] Idem Plutarchus Lycurgo. Item Ovidius: ‘More tuæ gentis nitida dum nuda palæstra Ludis, et es nudis mista puella viris.’ At Euripides non γυμνὰς sed γυμνοῖσι μηροῖς: id quod Δωριάζειν dicebant. Ejus verba hæc ex Andromacha: *Αἳ ξὺν νέοισιν ἐξερημοῦσαι δόμους Γυμνοῖσι μηροῖς, καὶ πέπλοις ἀνειμένοις Δρόμους παλαίστρας τ’ οὐκ ἀνασχετοὺς ἐμοὶ Κοινὰς ἔχουσι. Scal.*

5 *Quum pila veloces fallit*] Legendum: *Quum pila veloci fallit per brachia jactu.* Sic supra: ‘Hoc magis accepta fallit uterque fide:’ λανθάνει. *Scal.*

Cum pila veloci fallit per brachia jactu] Quattuor fuisse pilæ genera apud Romanos, quibus ludebant, invenio, follem, trigonalem, paganicam, et harpastum, quæ omnia sub nomine Italicæ Sphæræ a Cælio Aureliano Medico complexa nonnulli credunt. Follis erat pila magna ex aluta confecta, soloque vento repleta, quæ, si major erat, brachiis impellebatur, et simpliciter pila interdum nuncupatur: ut apud Nonium ex Varrone, ‘Purgatum scito, quoniam videbis Romæ in foro ante lanienas pueros pila expulsim ludere:’ et apud Propertium lib. III. ‘Cum pila veloces,’ &c. Interdum etiam pila velox, ut apud Horat. Sat. lib. II. Sat. II. ‘Seu pila velox Molliter,’ &c. Plura vide apud Mercurial. Art. Gymnast. lib. II. c. v.

8 *Pancratio*] Ex lucta et pugilatu tertium quoddam exercitationis genus componebatur, quod Pancratium communiter Gymnastici omnes appellabant; in hoc (ut testatur Aristot. primo Rhet. cap. v.) qui exercebantur, adversarios et pugnis ferire et dejicere studebant: nam pugiles solis pugnis contendebant nec unquam complicabantur: luctatores complicabantur et comprimebant ut dejicerent, sed pugnis minime percutiebant: pancratiastæ tum utroque utebantur, et tum etiam quaecunque alia ratione, ut dentibus, genibus, calcibus, talitris, denique toto corpore (ut dixit Pausanias lib. v. Eliac.) adversarium vincere contendebant, atque in eo a pugilibus differebant, quod illi pugnis strictis, hi digitis solummodo inflexis certabant. *Mercurialis.*

10 *Missile nunc disci pondus &c.*] Mercurial. lib. II. Artis Gymn. cap. XII.

13 *Et modo Taygeti*] Præpostere hæc posita sunt. Nam præcedens distichon, ‘Qualis Amazonidum,’ sequi debet. *Scal.*

Et modo Taygeti, &c.] In Taygeto monte vicino Spartæ venatur. Lacænæ virgines ibidem etiam bacchabantur, unde δύσμαιναι appellabantur. Mons ille Straboni lib. VIII. Spartæ et Amyclis imminet. Notat Pausan. in Laconicis in qualibet parte Taygeti loca esse venationi aptissima, ob caprarum, aprorum, cervorum, et ursorum copiam. *Passerat.*

28 *Est neque odoratæ*] Repone, *adoratæ*, ut referunt vestigia priscæ scripturæ. Neque ita se continet domi, ut ibi adoranda sit, tanquam τεμενῶν ἱερά. *Scal.*

ELEGIA XV.

3 *Ut mihi prætexta pudor est velatus amictu*] Hæc non conveniunt, prætexta, et libertas noscendi amorem: imo deposita prætexta tunc libera toga sumebatur. Sed quid in re tritissima

moror? Hic sane legendum: *Ut mihi prætextæ pudor exvelatus amictu, Et data libertas noscere amoris iter, Illa rudes animos.* Exvelatus, et evelatus, idem. Exjocari, ejocari. Idem Persius: 'Totaque impune Saburra Permisit sparsisse oculos mihi candidus umbo.' *Scal.*

13 *Testis erit Dyrce*] Fabula est apud Apollod. lib. III. ut gravida compressu Jovis ad Epopeum confugerit, cui nupsit: Nycteo patre ei comminante et ultionem Lyco mandante novissimis verbis, qui Epopeo interfecto Antiopen habuit in vinculis, ubi ejus uxor Dirce eam torquebat. Vid. et Hygin. Fab. VII. et VIII.

14 *Antiopen accubuisse Lyco*] Lycus Thebanorum rex, Hygin. et Apoll. locis modo dictis. Frater Nycteos, cui et regnum reliquit. Hygin. Fab. VIII. Ab Amphione et Zetho interfectus ex Hygin. Fab. VII.

25 *Sola tamen, &c.*] Hygin. Fab. VII. contra. Postquam partus instabat, effugit e vinculis Jovis voluntate in montem Cytheronem: et Apollod. lib. III. τῶν δεσμῶν αὐτομάτως λυθέντων, vinculis ultro solutis ad filiorum, ait, se domicilium recepisse.

26 *Regales manicas rupit utraque manu*] Apollodorus contra: τῶν δεσμῶν αὐτομάτως λυθέντων. *Scal.*

27 *Cytheronis*] Supr. El. II. hoc libro.

29 *Asopi*] Asopus fluvius, juxta Strab. lib. VIII. est præter Thebas fluens, et Cythæronis radices alluens.

31 *Et durum Zethum, et lacrymis Amphiona mollem, &c.*] Duro fuit ingenio Zethus, ut Amphion miti. Ille pastor, hic cytharœdus. Apollod. Ζῆθος ἐπεμελεῖτο βουφορβίων: curam gerebat armentorum, sive armentarius erat. Horat. Ep. XVIII. lib. I. 'Abaeta stabulis.' Nam Zethus recipere noluit, quia fugitivam arbitraretur. Hygin. Fab. VIII.

38 *Digne, Jovis pueros qui tueare, senex*] Bubulce, qui Zethum et Calaim expositos sustulisti, et matrem tandem tecto recepisti. *Scal.*

40 *Vinxerunt Dircen, &c.*] Sic Plaut. Pseud. Sc. II. Act. I. 'Cras te, quasi Dircen olim (ut memorant) duo gnati Jovis ad taurum devinxere, item hodie te stringam ad carnarium; id tibi profecto taurus fiet.' Hygin. Fab. VII.

44 *Pæana*] Suidas Pæanum duo genera facit: unum quod Marti ante victoriam canebatur, alterum post prælium Apollini. Plato vero lib. II. de Legibus Pæana testem veritatis dictorum ac factorum jubet a secundo choro invocari. Jul. Pollux et in aversione et depulsione malorum et in victoria docet Pæana cani solitum Apollini. *Passer.*

Aracynthe] Aracynthus mons Bœotiæ. Plin. in Acarnania Ætoliæ parte ponit Aracynthum, lib. IV. cap. II.

ELEGIA XVI.

3 *Candida quæ geminas ostendunt culmina turres*] Miseret me Beroaldi, qui 'turres' interpretatur columbaria. Atqui fallitur, quum hic tantum intelligatur de Tibure. Ait Tibur ostentari prope Cataracten Anienis. Strabo: Ἐν ὄψει δέ εἰσι τοῖς ἐν Ῥώμῃ Τίβουρά τε καὶ Τοῦσκλον, καὶ Πραίνεστος. Τίβουρα μὲν, ᾗ τὸ Ἡράκλειον, καὶ ὁ Καταράκτης, ὃν ποιεῖ πλωτὸς ὁ Ἀνίων ἀφ' ὕψους μεγάλου καταπίπτων εἰς φάραγγα βαθεῖαν καὶ κατ' ἄλση πρὸς αὐτῇ τῇ πόλει. ἐντεῦθεν δὲ διέξεισιν εὐκαρπότατον παρὰ τὰ μέταλλα τοῦ λίθου τοῦ Τιβουρτίνου. Quæ disertim Auctorem nostrum interpretantur, ut Beroaldo nugas desinere per me quidem liceat. *Scal.*

4 *Et cadit*] Ex scriptis exemplaribus *Et cadit in patulos Nympha Aniena lacus:* ubi *patulos specus* reponendum esse censeo. In rupem enim cavatam Anienus ruit. Idem ex antiquis membranis lib. 3. Eleg. 22. 'Potaque Pollucis Nympha salubris equo.' *N. Heinsius in Addendis ad Ovid.*

Et cadit in patulos] Cataractas Anienis intelligit, de quibus jam diximus: quo nomine præceps Anio dicitur Horatio: 'Et præceps Anio et Tiburni lucus.' *Scal.*

12 *Scyronis media si licet ire via*] I. e. per mediam viam infestam latrociniis. Sciron sive Scyron latro famosus, obsidens viam, quæ ab Isthmo in Atticam et Megara ducit, ubi angustæ rupes, quæ ab eo Scyronides petræ; ubi Scyron viatores jubebat sibi pedes abluere, quos, dum proni ad id ministerium accingerentur, pede percussos præcipitabat in mare. Plut. in Thes. Diod. lib. v. Pausan. In Attic. Junius Prov. XVII. Cent. IX.

16 *Percutit ante faces*] *Præcutit* opinor scribendum. *N. Heinsius ad Metam. l. 2. vers. 757.*

ELEGIA XVII.

8 *Lyncibus in cœlum vecta Ariadna tuis*] Hygin. Fab. 224. inter eos, qui ex mortalibus immortales facti, numerat Ariadnam, quam a Baccho Liberam vocatam ait: unde Propertius hic innuit ipsam Ariadnam in cœlum vectam. Ceteri de corona ejus id tantum scribunt. *Passerat.*

16 *Quos carpant, &c.*] Allusum ad fabulam illam multo notissimam de capro qui vitem arroserat, de quo Ovidius in Fastis. *Dousa P.*

19 *Per te et tua cornua*] Diodor. lib. III. cornua bina Baccho tribui scribit, ut duplex ejus natura significetur, et ob inventionem vomeris et aratri. Festus: 'Cornua Libri simulacro adjiciuntur, quod homines nimio vino truces fiant.' Scribit etiam Diodorus Ammonem Dionysi patrem habuisse pro insigni galeæ arietinum caput; et revera veluti cornua gestasse, unde et ejus filio tribuuntur. Apollodorus lib. III. scribit Jovem vertisse Dionysum in hœdum, ut Junonis vitaret insidias. Lambin. addit ex Athenæo, lib. II. tauro similem et pardali seu pardo fingi Bacchum, quod poti ad vim se conferant, sintque iracundi, protervi, et petulci, ut tauri. Eustat. in II. Iliad. Ταῦρον κερασφόρον, quod ebrii ad arma parati. *Dousa P.*

21 *Maternos Ætneo fulmine partus*] Ovid. Met. lib. XLII.

22 *Indica, &c.*] Plin. lib. VIII. c. II. ait, primum Bacchum victa India triumphasse junctis elephantis.

Nysæis choris] Noti sunt chori Satyrorum et thyrsi, Silenorumque et Mænadum comitum Bacchi, ex iis quæ supra attigimus.

23 *Lycurgum*] Apollodorus lib. III. scribit, Lycurgum, Dryantis filium, regem Edonorum, Bacchum affecisse contumelia et ejecisse: unde furorem illi objectum. Dryantem filium bipenni interfecit, cum se vitis palmitem crederet amputare, et, a suis in vincula conjectus, equis demum laniatus interiit. Homer. Iliad. VI. Lycurgum ait fugasse nutrices Bacchi, et ipsum perterritum in mare compulisse, atque ita ira Deorum sibi exitium creasse. Lege in eum locum Eustath. ubi Homerus excæcatum a Jove ait, Hygin. Fab. CXXXII. In monte Thraciæ Rhodopa pantheris Baccho objectum fuisse ait, cum sibi alterum pedem excidisset pro vite. Vites autem voluisse excidere, quod malum diceret medicamentum ferre. Servius in illud III. Æn. 'Acri quondam regnata Lycurgo,' sibi ait crura pro vitibus amputasse. *Passerat.*

24 *Pentheos, &c.*] Meminit Penthei Horat. Oda XIX. lib. II. Ep. XVI. lib. I. Apollod. lib. III. Hygin. Fab. CLXXXIV. Tres greges, Inus et Autonoës, materterarum, et Autonoës, matris.

25 *Curvaque Tyrrhenos, &c.*] De Tyrrhenis nautis viginti, qui Bacchum excipere conati, ut venderent, quorum novendecim mutati in delphinas, Ovid. Met. lib. III. sub finem. Apollod. III. ait, conduxisse Liberum

navim prædatoriam Tyrrhenorum, ut ex Icaria insula Naxon transmitteret. Illos relicta Naxo voluisse asportare in Asiam ut venderent; sed furore actos in mare desiluisse, et, delphinas factos: unde 'Tyrrhenus piscis' pro delphine Senecæ in Agamem. Vide Hygin. Fab. CXXXIV. et lib. II. Astron. in 'Delphin.' In Hymno Bacchi et Latronum scribitur, Leonis et ursæ specie territos se præcipites dedisse. Hyginus metu leonum et pantherarum territos ait.

27 *Et tibi per mediam bene olentia flumina Naxon*] Lege *beneolenti flumine*. Naxos beneolenti flumine, ut 'domus sanie dapibusque cruentis.' Ita autem interpungendum: *Et tibi per mediam beneolenti flumine Naxon, Unde tuum potant Naxia turba merum, Candida laxatis onerato colla corymbis*, &c. Scal.

Beneolentia flumina Naxon] Apud Hygin. Fab. CXXXIV. Liber rogat nautas Tyrrhenos ut se Naxon devehant, et apud eundem Naxos inter Cycladas numeratur. Plin. cap. XII. lib. IV. ait, Strongylen dictam olim Naxon, postremo Dionysiada, a vinearum fertilitate. Hinc ergo fabulæ occasio de fluminibus vini. De ea et Strabo lib. X. *Passerat.*

30 *Bassaricas*] Cornutus Grammaticus ad illud Persii; 'Bassaris et lyncem Mœnas flexura corymbis,' Bassarides, inquit, Bacchæ, et Bacchus Bassareus, a genere vestis, qua Liber pater utitur demissa ad talos, quam Thraces Bassaram vocant, vel a vulpibus, quarum pellibus Bacchæ succingebantur, ut et lyncum pellibus et pantherarum. Vulpes inde Thraces bassares dicunt.

ELEGIA XVIII.

1 *Clausus ab umbroso*] Melius liber noster, *Plausus:* quoniam per Lucrinum lacum mare influit in Avernum. Virgilius: 'Tyrrhenusque fretis immittitur æstus Avernis.' Quæ Propertium illustrant. *Fumida* autem potius quam *Humida* legerim. *Scal.*

Clausus ab umbroso, &c.] Baiarum situm describit et designat Averno, Miseno, et via Herculea. Strabo lib. V. docet in Cumano littore, proximum Cumis esse Misenum, deinde sub rupe lacus, mox sinum Baianum, ubi aquæ calidæ et amœnæ et salutares; continuus lacus Lucrinus, intra quem Avernus est, ubi χεῤῥόνησος et ἰσθμὸς paucorum stadiorum, id est, insula et collum quoddam freta dividens. Legendus Serv. in II. Georg. ad illos versus, 'An memorem portus,' &c. et nos alibi de his diximus.

3 *Trojæ tubicen Misenus*] Vid. lib. I. Eleg. XI.

4 *Herculeo structa labore via*] Sup. lib. I. Eleg. XI.

5 *Hic ubi mortales dextra cum quæreret urbes*] Vide Commentariolum nostrum in Horatium ad illud: 'Omne sacrum rapiente dextra.' *Dousa P.*

Dextra quum quæreret urbes] Hic censebat legendum *conderet urbes* Beroaldus. Sed ejus hæc censura non obtinuit: et merito. Nam *quæreret urbes*, est, quum domaret, reciperet. Ad verbum Galli, *conquestoit les villes*. Scal.

9 *His pressus Stygias*] Mirum est Propertium contra receptam opinionem, atque adeo contra verum, scribere Marcellum in aquis Baianis submersum interiisse, quum constet ab Antonio Musa medico aquarum frigidarum lotionibus enectum fuisse. Dio libro tertio et quinquagesimo loquens de Augusto ægroto: Καὶ αὐτὸν μηδὲν ὅ, τι μηδὲ τῶν πάνυ ἀναγκαίων ποιεῖν δυνάμενον Ἀντώνιός τις Μούσας ψυχρολουσίαις ἀνέσωσε. Infra post: Ὁ δὲ δὴ Μάρκελλος νοσήσας οὐ πολλῷ ὕστερον, καὶ τὸν αὐτὸν ἐκεῖνον ὑπ' αὐτοῦ τοῦ Μούσα τρόπον θεραπευόμενος ἀπέθανε. Nam Musæ et ejus fratris Euphorbi inventum fuit, a balineis frigida multa corpora adstringi, inquit Plinius libro

quinto et vicesimo, capite septimo. Quare Horatius scribit: 'Nam mihi Baias Musa supervacuas Antonius, et tamen illis Me facit invisum, gelida quum perluor unda Per medium frigus: sane murteta relinqui, Dictaque cessantem nervis elidere morbum Sulfura contemni, vicus gemit, invidus ægris, Qui caput et stomachum supponere fontibus audent Clusinis, Gabiosque petunt et frigida rura.' In quibus vides Antonii Musæ ψυχρολουσίας, quas ipse instituit. Quare credibile iisdem frigidis Marcellum, quum curare vellet, occidisse. Sane Servius disertim scribit eum in Stabiano periisse. Quod quum ipse dicat, suspicor, quum ex præscripto Antonii frigida lavaret, enectum fuisse in eo fonte, qui Dimidia vocabatur, frigidissimo. Plinius libro uno et tricesimo: 'Et quæ vocatur Acidula ab Theano Sidicino quatuor M. pass. hæc frigida: item in Stabiano, quæ Dimidia vocatur.' Quid ergo? tam illustris capitis interitus ignoratus fuisset et Propertio, viro et proceribus ipsis atque adeo Augusto ipsi notissimo? Minime. Quid ergo? Voluit gratificari ei, quæ de ejus morte suspecta fuit, Liviæ Augustæ: quæ quum videret Marcellum ita omnibus carum esse, ut describitur a Virgilio in sexto magni operis, muliebriter atque impotenter ζηλοτυπήσασα curavit eum clandestino mortis genere de medio tollendum. Dio: Αἰτίαν μὲν οὖν ἡ Λιβία τοῦ θανάτου τοῦ Μαρκέλλου εἶχεν, ὅτι τῶν υἱέων αὐτῆς προετετίμητο. Scribit Dio id, quod ego non dubito. Quin Cæsar ipse, in Oratione in tralatione funeris Marcelli, illum in Minturæ monte devotum fuisse dicit. Auctor vetus Virgilii interpres, quem habet P. Daniel meus. En igitur εὐβλάβεια, aut κακόηθες Propertii, sed potius εὐβλάβεια, qui, mortem Marcelli deflens, maluit mendax Liviæ adulari, quam verum dicendo sibi periculum creare. Beroaldus autem, qui jactat se primum omnium hujus Elegiæ sensum aperuisse, quam recte eam gloriam sibi vindicet sine iis, quæ nunc nos primi protulimus, omnibus palam est. *Scal.*

11 *Aut optima profuit illi Mater*] Non otiosum est quod injicit de matre: quia omnium magnorum virorum informatio attribuebatur matri. Ita, quantus quantus erat Marcellus, hoc debebat matri. Sic Gracchi eloquentiam in gremio Corneliæ matris didicisse dicuntur. Sic Calpurnius: 'Maternis caussam qui lusit in ulnis:' id est, qui jam in ulnis et gremio matris suæ proludebat declamationibus. Manilius: 'Matrisque sub armis Miles Agrippa suæ.' Quod Calpurnius dixit 'in ulnis,' eadem ratione Manilius 'sub armis.' Nam armos et ulnas idem esse, id est, quod poëtæ Græci ἀγκάλας dicunt, nemo nescit. Significat igitur Manilius Agrippam tantum militem in ulnis ipsius matris institutum fuisse. Ita igitur eum locum interpretabimur apud Manilium, quem minus assequuti sumus, quia *arma*, non *armos*, a Manilio dictum interpretabamur. Et quidem locus est egregius. *Scal.*

12 *Mater et amplexum*] Noster *amplexos*. Lego, *amplexo*. Quid profuit illi amplexo? Intelligit adoptatum a Cæsare. Nam ante larem domesticum et adoptiones fiebant, et libera toga sumebatur, et alii ejusmodi ritus obibantur. *Scal.*

13 *Aut modo tam pleno fluitantia vela theatro*] De velis theatrorum Plinius lib. XIX. cap. II. ubi etiam ait, hunc Marcellum forum velis inumbrasse, quo salubrius litigantes consisterent. Nunc Poëta intelligit de theatro, quod sub ejus nomine Augustus fecit. Plutarch. extrema Marcelli Vita. Ovid. de Arte lib. I. vers. LXIX. *Livin.*

15 *Occidit, et misero steterat vigesimus annus*] Servius falsum annorum

numerum recenset, qui ait Marcellum incidisse in valetudinem anno decimo sexto, et periisse anno decimo octavo. Ovidius absorbet ejus ætatem, cum ait: 'Ostendent terris hunc tantum fata, nec ultra Esse sinent.' Neque Dio lib. LIII. neque Plutarchus in Marcello ætatem numerant. Et Cornel. Tacitus lib. II. Annal. 'Marcellum,' inquit, 'flagrantibus plebis studiis intra juventam ereptum.' *Passerat.*

27 *Nirea non facies*] De Nirei excellenti forma Homer. Iliad. lib. II.

33 *Siculæ victor telluris Claudius*] M. Claudius Marcellus, cujus de rebus in Sicilia gestis Livius lib. XXIV. et sequen. et Plut. in Marcello.

ELEGIA XIX.

10 *Et rapidæ stimulos frangere nequitiæ*] Lego *rabidæ*. Nam et Horatius de effrenata feminarum libidine: 'Indomitam properat rabiem sedare.' *Dousa P.*

11 *Testis Cretæi fastus*] Supra lib. II. El. 32.

13 *Testis Thessalico*] Supra lib. I. El. 13.

15 *Myrrha*] Vide Apollod. lib. III. Ovid. X. Met. Hygin. Fab. 58. ubi Smyrna dicitur.

19 *Clytæmnestræ*] Vide Hom. IV. et IX. Virg. XI. Æn. Sophoc. in Electra: Eurip. in Oreste.

ELEGIA XX.

4 *Tantisne*] Sic passim editur. Scriptum tamen a Poëta Umbro existimo, *Tantin in lacrymis.* Scaliger nihil hic contulit. Passeratius ingenue fatetur, si legas *Tanti*, se non intelligere, et aquam hærere. Mihi proverbii speciem præferre videtur: 'Fuit tanti,' 'Non est tanti,' frequens Ciceroni, atque adeo ipsi Propertio. Hunc vero sensum Poëtæ attribuo. Durus, ait, ac dirus videatur, quisquis amori lucrum anteponit. Ergone pluris apud illum Africanæ merces quam lachrymæ amantis fuerunt? *Scottus Observ. l. 2. c. 26.* *Tantine* verissime a Scotto restitutum censeo, et orationem esse interrogantem eidem assentior. Jam reliquæ vulgatæ non aliter constat sensus, quam ut dicamus amatorem, qui vela dedit, tam insane ab Africa fuisse desideratum, ut, si ille prætulisset amorem puellæ, nec navigasset, gravissimo illos dolore adficeret. Ergo potuit hoc facere? et tanti fuit, quod non dico pauci Africani, sed tota Africa in lacrimas ibat desiderio absentis; hoc, inquam, fuit tanti ut puellam desereret? non potius fuerat illam flendo interire? Nam, 'tanti est,' 'non est tanti,' formulæ sunt quibus utimur, cum significare volumus aliquod malum vel incommodum magno bono, magno pretio nobilem rem vel mercem, insano labore excellens opus compensari vel non compensari. Habet exempla Schottus et nullo negotio possunt coacervari. Sic Propertius diceret: Africa tota in lacrimis, Africam totam plorare, non fuit tanti, ut puellam desereret. Pro desertione puellæ non fuit dignum pretium Africam totam luctu levare. Hic sensus, nec ullus alius illius *Tantine in lacrymis* esse potest. Atque ille ut tolerari potest, si versum hunc solum audias, ita non potest probari, si simul audias cum præcedenti: nam illud 'lucro mutare puellam' magis indicat ultro ab desertore appetitam navigationem et Africam, quam eum ab Africa fuisse expetitum. Proper. scripserat: *Durus qui lucro potuit mutare puellam. Tantine in lucris Africa tota fuit?* Hoc est: Non debuit deserere puellam, etsi ea deserenda totam Africam lucrari, et vectigalem reddere posset. Vide Schottum refutantem et fuse de hoc loco disserentem Gronovium lib. 3. cap. 17. Observ.

8 *Splendidaque a docto*] Is est, ni fallor, Hostius, qui bellum Istricum

Carmine scripsit, a quo multa accepit Virgilius, ut testimonio Macrobii cognoscimus. Cynthia antem ista, ut nos docent Apuleius et Sidonius, Hostia vocabatur. *Scal.*

11 *Tu quoque qui æstivos*] Præpostere hoc legitur. Nam disticho 'Nox mihi prima venit' subjiciendum est. *Scal.*

17 *Hæc amor*] Et hoc quoque præpostero ordine legitur. Nam subjungendum itidem disticho, 'Quam multæ ante meis.' *Scal.*

18 *Testis siderea torta Corona Deæ*] Alii de corona Ariadnea, alii de Luna accipiunt aut Venere; nihil horum. Lege, *Testis siderii tota corona chori.* Astra designat: sic Tibullus lib. 2. Eleg. 1. 'Ludite: jam nox jungit equos currumque sequuntur Matris lascivo sidera fulva choro.' *N. Heinsius ad* 1. *Fast. vers.* 287.

30 *Semper amet fructu semper amoris egens*] Secundus contraria sententia lusit: 'Semper amet dulci semper amore fruens.' *Dousa P.*

ELEGIA XXI.

22 *Isthmos, &c.*] Isthmos, angustiæ, unde procedit Peloponesus, vocantur, inquit Plin. lib. IV. cap. IV.

24 *Theseæ brachia longa viæ*] Sic appellat longos muros consilio Themistoclis ab urbe ad mare usque ductos, XL. stadiorum spatio, ut Piræeus urbi conjungeretur. Thucydides lib. I. et II. Strabo lib. IX. qui veluti crura fuisse ait, non brachia. *Passerat.*

26 *Hortis docte Epicure tuis*] In hortis philosophatus Epicurus, quorum meminerunt plurimi. Vide Meursii Athen. Art. lib. 3. c. 10.

27 *Demosthenis arma*] Petronius: 'Et ingentis quatiat Demosthenis arma.' *Scal.*

ELEGIA XXII.

1 *Cyzicus*] De Cyzico insula, et urbe Propontidis, juncta continenti duobus pontibus, Cicero pro lege Manilia, pro Muræna, et Archia. Plutarchus in Lucullo. Strabo libro XII. *Passer.*

2 *Propontiaca qua fluit Isthmos aqua*] Isthmon Cimmerium intelligit, inter Euxinum et Caspium mare, et Tauricam Cherronesum, ut superiore Elegia Peloponesiacum sive Achaicum. Hunc Isthmon Seleucus Nicanor perfodere conatus. *Pass.* Est gravis error. Intelligitur Isthmus in quo sita Cyzicus. P. Mela l. 19. 'Trans amnem sedet in cervice peninsulæ Cyzicum.' Cervices enim sunt Isthmi. *Grævius.*

3 *Dindymus et sacræ fabricata inventa Cybebes*] Intelligit fabricas, quæ pulcherrimæ erant in eo oppido: περιφραστικῶς enim 'fabricata inventa' sunt fabricæ ipsæ. Strabo de Cyzico: Τρεῖς δὲ ἀρχιτέκτονας τοὺς ἐπιμελουμένους οἰκοδομημάτων τε δημοσίων, καὶ ὀργάνων, τρεῖς δὲ καὶ θησαυροὺς κέκτηται, &c. Cybelæ autem fabricas vocat, quia oppidum illud Cybelen colebat: unde Cyzicon Nicander vocat ὀργαστήριον Ἄττεω, quod corporati fabrorum Cyzicenorum videntur sacri Cybelæ et Atti fuisse. Ὀργαστήριον enim est ἐργαστήριον, ut ὀργάνη Ἀθηνᾶ est ἐργάνη. At interpres vetus Nicandri ignoravit, quid esset ὀργαστήριον. Qui locus hunc Propertianum interpretatur. *Scal.*

4 *Raptorisque tulit qua via Ditis equos*] Proserpinæ tutela Cyzicum: quod ex Plutarcho in Lucullo cognoscimus: item ex Epigrammate: 'Ennææ Cererem nurus frequentant, Raptam Cyzicos ostreosa Divam.' *Scal.*

Raptorisque tulit quæ via Ditis equos] Eodem epitheto usus et in principio operis sui Claudianus: 'Inferni raptoris equos.' *Dousa P.*

5 *Helles Athamantidos urbes*] Vide supra lib I. Eleg. XX. Athamantida vocat, quia fuit filia Athamantis et Nepheles.

7 *Cœlum omne Atlanta gerentem*] Atlas Latine Telamon, inquit Servius

in IV. Æn. ut Nilus, Melo. Descriptio ejus est apud Herodotum in Melpomene. Virgil. IV. Æn. Ovid. IV. Metamorph. Servius Astrologum fuisse scribit, et Herculem Astrologiam docuisse. Plin. lib. II. cap. VII. sphæram ab eo repertam scribit. Idem lib. VII. c. LVII. Astrologiæ inventorem fuisse ait, Libyæ filium. Hygin. Fab. CL. Atlanti Cœli fornicem super humeros impositum a Jove scribit, quod dux Titanum fuisset in bello contra Jovem. *Passerat.*

8 *Sectaque Persea Phorcydos ora manu*] Amputatum Medusæ caput harpe, sive falcato ense. Hygin. Phorcum unum Gigantum facit, ex quo et Ceto natæ Phorcydes. Idem facit Hesiodus in Theog. et Virgil. V. Æn. 'Nereidum Phorcique chorus.' Ab aliis Phorcys vel Phorcyn dicitur; unde Phorcynides, ejus tres filiæ, qua de re multa Palæphatus. Vide Hygin. lib. II. Astronom. in Perseo. Apollod. lib. I. Idem lib. II. Gorgonum sorores facit, et nominat Ento, Pemphredo, et Dino. Ab his oculum mutuum sumpsit Perseus iturus ad Gorgonas. *Pass.*

9 *Geryonæ*] De eo Hesiod. in Theogon. Servius ait, quod eum 'tricipitem finxerunt et trimembrem, quia Rex Hispaniæ tribus insulis proximis præfuit: Balearicæ majori et minori et Ebusæ.' Plin. lib. IV. cap. penult. Pausan. Attic. Diodor. Sic. lib. IV. Justinus lib. ult. tres fratres tantæ concordiæ fuisse ait, ut animo uno regi viderentur. Vide et Apollod. lib. II. Hyg. Fab. XXX. et CLI. Strabo lib. III. Palæphatus tricipitem fictum ait, quod civitatem Tricarina dictam incoluerit. *Pass.*

Signa Herculis Antæique, &c.] 'Signa,' an statuas et simulacra? Plin. cap. VIII. lib. III. a Polycleto factum memorat Herculem Antæum procul a terra sustinentem. Sed, quia addit 'in pulvere,' 'signa' vestigia sunt palæstræ, impressa pulveri pedibus, genibus, totoque corpore: nam pulvis luctatorum est. Plin. lib. V. cap. I. in Mauritania. *Pass.*

10 *Hesperidumque choros*] Videntur circa illam arborem aurea mala ferentem Hesperides choros duxisse. Sane cecinisse ait Apollon. lib. IV. Servius ad illud IV. Æn. 'Hesperidum templi custos:' revera nobiles puellas fuisse, ait, quarum greges abegerit Hercules, earum pastore interfecto. Unde locus fabulæ de malis aureis Hesperidum: nam et μῆλα 'oves:' et μηλονόμος, 'pastor.' Apud Diodor. lib. V. tres Hesperides, Arethusa, Hesperethusa, et Ægle, ab Hespero fratre Atlantis ita dictæ: Hesiodo in Theogonia et Ciceroni III. de Nat. Deor. filiæ Erebi et Noctis sunt. Apollod. lib. II. Hesperidas quatuor nominat, Æglen et Erythiam, Vestam et Erethusam. Hæ in Hyperboreorum Atlante servabant aurea mala, quæ Juno Jovi donarat ipso nuptiarum die. Apud Apollon. lib. IV. Hesperides adventu Argonautarum in terræ pulverem versæ, ac mox in arbores: ubi tres nominantur, Hespera, Erytheis, et Ægle. De Horto Hesperidum Plin. lib. XIX. cap. IV. lib. XXXVII. cap. II. lib. V. cap. I. et V. *Pass.*

13 *Qua rudis Argoa natat inter saxa columba*] Phineus enim Argonautas monuerat, ut ad Symplegadas viæ ducem columbam emitterent, quod factum ab Euphemo. *Pass.*

15 *Et qua Gygæi*] Nescio quis auctor fuit tam ineptæ lectionis: ut neque illius, quam Beroaldus ait se invenisse in suo libro, *Si qua oloriferi.* Hæc omnia stolidorum et oscitantium hominum commenta sunt. Noster liber: *Et si qua origæ:* minima licentia lego: *Et si quadrigæ visenda est ora Caystri.* Quadrigam Caystri vocat quatuor nobilissimas urbes, Ephesum, Smyrnam, Colophonem, Miletum. Hæ enim quatuor illo tempore nobilissimæ urbes Asiæ erant. Et, quia Ephesus earum clarissima est, sita ad

Caystrum, propterea Caystri quadrigam dixit ab earum principe Epheso. Non est novum quadrigam, bigam, trigam a Latinis numeros quaternarium, binarium, ternarium more Græcorum vocari, qui eodem modo συνωρίδα, τετρωρίδα dicunt. Sic Marcellus Empiricus quadrigam vocat τὸ τετραφάρμακον medicorum. Sic vetus poëta: 'Triga mihi paucos inter dilecta sodales, Triga sodalitii pars bene magna mei.' Apuleius: 'Et Critias mea delitia, et Sol alme, Charine, Par in amore meo biga tibi remanens.' Scriptum fuerat *viga* solenni errore librariorum, pro quo *vita* supposuerant Correctores. Biga remanens par in amore, id est, æqualiter jugum trahens, cui contrarium ἑτεροζυγεῖν: quando alter equorum aut boum altero plus trahit. Quod et Noster alibi intelligit: 'Tu bene conveniens non sinis esse jugum:' id est: Tu es caussa τῆς ἑτεροζυγίας. Non enim biga par remanet, te in diversa jugum trahente. Varro: 'Igitur initiorum quadriga, locus et corpus, tempus et actio.' 'Initiorum quadriga,' hoc est, quatuor initia: et in Vita Probi Imperatoris, 'quadriga tyrannorum.' Vide quam elegantem locum corruperant. *Scal.*

Et si quadriga] Ita legendus ille versus, qui summos hactenus viros exercuit; *Et si qua Ortygii visenda est ora Caystri.* Ortygius enim vocatur, quia Ephesus prius Ortygia fuit dicta. Recte Mela Epheso subjungit Caystrum fluvium: is enim Epheso est vicinus. *Is. Vossius ad Melam, pag.* 85.

16 *Et qua septenas temperat unda vias*] 'Unda,' id est, fluvius, sive Rhesus, sive Nilus, sive Ganges, sive Tanais, nisi *una* legendum sit. *Una* (via) *septenas temperat:* id est, cum in septem vias et alveos unus alveus dividitur, cursum suum moderatur, et minus rapidum reddit. Septenæ viæ vel Rhesi fluvii Phrygiæ sunt; aut Nilum significat, de quo supr. lib. II. El. I. aut Tanaim, de quo Seneca initio Troadis. Aut Gangem potius, de quo Virg. IX. Æn.

23 *Hic Anio Tiburte*] Repone ex antiqua scriptura, *Tiburne.* Est adjectivum, Tiburnus Anio: ut 'Tuscus Tiberis,' 'Carnutus Liger' Tibullo. *Scal.*

Clitumnus ab Umbro Tramite] Servius: 'Tramites sunt convalles, quæ de lateribus utrinque perviæ limitant montes: quæ solent etiam saltus nuncupari.' Recte Servius. Nam, quos Græci αὐλῶνας, Latini eos saltus vocant, et tramites. Sed hic trames est silva, ut aliquando apud scriptores. Supra: 'Et si forte meo tramite quæris avem.' A silva ait oriri Clitumnum: quod egestus a Vadimonis lacu absorbetur intra specum silvis obsitum: et aliquanto post oculis redditur: atque illud putatur esse caput Clitumni. Unde alibi dixit 'umbrosæ flumina silvæ.' Vide quid supra de eo diximus. *Scal.*

25 *Albanus lacus et socii*] Vetus scriptura: *Albanusque lacus socii Nemorensis ab unda.* Et recte: nam uterque lacus, Albanus et Nemorensis, ab iisdem fontibus. Nemorensis autem lacus vulgo vocabatur Speculum Dianæ, auctore Servio. *Scal.*

Albanus lacus] In nemore Albano lacus dictus Albanus, cujus aquæ intumescentis prodigio capti Veii. Livius lib. 5.

26 *Potaque Pollucis*] Juturnam recte his adjungit, cujus scaturigines cum aliis fontibus communes sunt lacubus Albano et Nemorensi. Strabo: Τὰς μὲν οὖν πηγὰς ὁρᾷν ἐστὶν ἐξ ὧν ἡ λίμνη πληροῦται. τούτων δ' ἐστὶν Ἱέρεια καλουμένη δαίμονός τινος ἐπώνυμος. Lege: Ἴτερνα καλουμένη. Sic vocat Juturnam. Salubrem vocat, quod ex ea valetudinis caussa biberent, unde a juvando dictam putat Varro. 'Nympha Juturna,' inquit, 'quæ juvaret: itaque multi ægroti propter id nomen hinc aquam petere solent.' *Scal.*

27 *At non squamoso*] Omnino hic locus germanus est illius ex secundo Georgico: 'Nec rapit immensos orbes per humum.' Lege totum locum. *Scal.*

28 *Itala portentis nec fuit*] Lego, *furit*. Ita et liber noster. Hoc argumentum persequitur maximus Maro in Georgicis: 'Illic et tigres absunt, et sæva leonum Semina.' *Scal.*

31 *Nec cuiquam absentes, &c.*] De fato Meleagri, fatalique ejus titione, et matris Altheæ impia pietate hi capiendi versus. Ovid. VII. Met. pluribus rem narrat. Homer. Iliad. IX. Meleagri meminit irati matri suæ; nihil de titione. Vide Apollod. lib. I. qui et varie narrat de morte Meleagri. Hygin. Fab. CLXXIV. Apul. lib. VII. in fine Asin. Aur. *Passerat.*

34 *Cerva*] De hac fabula alibi. Tangit Ovid. XII. Met.

37 *Arboreasque cruces Scinis, &c.*] Pausanias in Corinthiacis narrat ut Scinis flexis pinis alligarit homines, quibus in sublime renitentibus discerperentur. Legendus Plut. in Theseo et Alexandro. Sed apud Plut. legitur 'Sinnis:' et apud Euripidem in Hyppolyto; aliis, 'Sinis;' et Pausan. in Atticis 'Sinim' propinquum Thesei fuisse ait ob avum maternum Pittheum. *Passerat.*

Non hospita Graiis Saxa] Scironidas petras significat, de quibus supra hoc libro.

38 *Curvatas in sua fata trabes*] Nam ea pœna Scinin affecit Theseus, qua ipse alios affecerat. Pausan. Cor. et Plut. in Theseo.

39 *Hæc tibi, Tulle, parens*] Hic Tullus, ut apparet, proconsul Bithyniæ fuit: unde supra: 'Tu patrui meritas conare anteire secures.' *Scal.*

42 *Conjugis aptus amor*] Noster, *altus amor*. Catullus: 'Sed tuus altus amor baratro fuit altior illo.' *Scal.*

ELEGIA XXIII.

8 *Vulgari buxo sordida cera fuit*] De ceris tabellarum Plautus Curcul. Bacchid. et Pseud. Sueton. in Cæsare et Nerone, unde Titinnius apud Charis. lib. I. 'Velim ego osse arare campum cereum.'

19 *Me miserum hic aliquis rationem scribit avari: Et ponit duras inter Ephemeridas*] Moris olim fuit, unumquemque domesticam rationem sibi totius vitæ suæ per dies singulos scribere, ex quo appareret, quid de reditibus suis, quid de arte, fœnore, lucrove seposuisset quoque die, et quid item sumptus damnive fecisset, quemadmodum Asconius in III. contra Verrem Orat. tradit.

Avari] In Modiano Cod. erat *avarus*, quod placet, et confirmant illa Ovidiana: 'Inter Ephemeridas melius tabulasque jacerent, In quibus absumtas fleret avarus opes.' *Dousa P.*

20 *Et ponit duras inter ephemeridas*] Ovidius imitatus est: 'Inter ephemeridas melius tabulasque jacerent; In quibus absumtas fleret avarus opes.' Τιμητικαὶ δέλτοι. Calendarium etiam vocari nemo ignorat exemplo Calendarii fœneratorum. Sic etiam Calendarium et Ephemerides etiam hodieque vulgo, pro tabulis fastorum, aut lunaribus astrologorum. Unde ea Manaca aliquando dicta ostendimus, articulo Arabico, et voce Græca, quam tamen Latini inflexione suam fecerant. Μηνιαῖος, Manicus, seu Manacus. Βαρδιαῖος, Bardiacus. Σπαρτιαῖος, Spartacus. Nam Spartiæum etiam in quibusdam historicis in manu scriptis libris semper legitur. At illa vox *Almanac*, quamvis Arabes suam usu fecerunt, tamen non hodie atque heri eam agnoverunt, sed diu est, postquam hoc factum est. Porphyrius in Epistola ad Anebum Ægyptium, citante Eusebio: Τάς τε εἰς δεκανοὺς τιμὰς καὶ τοὺς ὡροσκόπους, καὶ τοὺς λεγομένους κραταιοὺς ἡγεμόνας. ὧν καὶ τὰ ὀνόματα ἐν τοῖς ἀλμενιχιακοῖς φέρεται. Hæc igitur Ephemeridas etiam

vocabant, ut et hodie. Juvenalis: 'In cujus manibus seu pinguia succina tritas Cernis ephemeridas.' Itaque risu excipiendus Cardanus, qui miratur Haly Rodoan potuisse construere thema cujusdam Cometæ, quum, inquit, eo tempore nullæ essent Ephemerides. Sed hunc jocularem errorem diluimus in Prolegomenis Carminis Maniliani. Alioqui, ut diximus, Ephemerides sunt quotidiana familiæ. Juvenalis: 'Longi relegit transacta diurni.' *Scal.*

24 *Et dominum Esquiliis*] Apuleius: 'Siquis a fuga retrahere, vel occultam demonstrare potuerit fugitivam regis filiam, Veneris ancillam, nomine Psychen, conveniat retro metas Murcias Mercurium prædicatorem.' *Scal.*

Et dominum Esquiliis] Nam libellis propositis notabant habitationem. Ipse autem Propertius hic et Eleg. VIII. lib. IV. initio docet se Exquiliis habitasse. Esquiliæ: τόπος ἐν Ῥώμῃ.

ELEGIA XXIV.

10 *Eluere aut vasto Thessala saga mari*] Id est, expiare, me in mare vastum immergendo. Græcanica Parœmia apud Eustath. I. Iliad. Θάλασσα κλύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακά. Extat apud Euripidem in Iphigenia Taurica. Laërtius vero Euripidem Platoni comitem ivisse in Ægyptum, et morbo liberatum a Sacerdotibus Ægyptiis mersum in mare, ait, fudisse eum versum. Cic. pro Sexto Roscio: 'Ne, dum delati essent in mare, ipsum polluerent; quo cætera, quæ violata sunt, expiari putantur.'

15 *Ecce coronatæ*] Ut: 'Puppibus et læti nautæ imposuere coronas.' *Scal.*

19 *Mens bona*] Scribo: *Mens bona, si qua Dea es, tua me in sacraria condo, Exciderint surdo tot mea vota Jovi.* Est enim voventis. *N. Heinsius in Addendis ad Ovid.* Formula antiqua erat et consuetudo orantium, Mentem Bonam sibi optare: quo respicit Seneca Epistola XLI. initio: 'Facis rem optimam et tibi salutarem; si, ut scribis, perseveras ire ad Bonam Mentem, quam stultum est optare, cum possis a te impetrare. Non sunt ad cœlum elevandæ manus, nec exorandus æditunus, ut nos ad aures simulacri, quasi magis exaudiri possimus, admittat.' Vide Augustin. de Civit. Dei lib. IV. cap. XXI. Menti Deæ ædes vota est post pugnam ad lacum Thrasimenem; Livius lib. XXII. dicata tribus annis post ab Attilio duumviro in id creato. In Capitolio fuit ædes Veneri Erycinæ conjuncta, ut ante jam dixi. Sacrata est etiam a M. Æmilio Scauro bello Cimbrico. Festum ejus septimo Id. Junii. Ovid. lib. VI. Fast.

Mens bona, siqua Dea es] Quasi ignoraret ædem Menti consecratam in Capitolio VIII. Eid. Juni: ut est in Veteri Calendario. At Ovid. VII. Eid. dicatam ædem vult temporibus Punicis. Sed et Augustus Justitiam et Mentem in eadem æde consecravit. Ovid. II. de Ponto: 'Principe nec nostro Deus est moderatior ullus. Justitia vires temperat ille suas; Nuper eam Cæsar facto de marmore templo Jampridem posuit Mentis in æde suæ.' In II. de Ponto, Elegia prima: 'Justitiamque sui caste placasse Parentis, Illo quæ templum pectore semper habet:' quæ quidem, inquit, justitia habet sedem in pectore, hoc est in mente Cæsaris: quasi mens illa consecrata ab Augusto ipsius Augusti sit mens, in cujus æde Justitia ὁμόναος coleretur. Neque ille locus Ovidii bene capitur Grammaticis, neque emendate legitur in vulgatis editionib. Quare obscurissimus erat. *Scal.*

ELEGIA XXV.

1 *Risus eram*] Noster, *Visus.* Male vero quædam editiones et liber noster hæc divellunt a superioribus. *Scal.*

9 *Limina jam nostris*] De lacrymis amantium ante limina puellæ rem novi. Sed quam insolens hoc et durum, *verbis lacrymantia limina.* Puto reponendum: *Limina jam nostris valeant halantia sertis.* De halandi verbo dixi Metam. l. 7. vers. 812. Apud Virgil. l. 1. Æneidos: 'Thure calent aræ, sertisque recentibus halant:' et lib. 4. Georg. 'Halantes floribus horti.' *N. Heinsius ad* 1. *Fast. vers.* 287.

15 *Exclusa inque vicem*] Horat. 'Invicem mœchos anus arrogantes Flebis in solo levis angiportu.' *Scal.*

LIBER IV.

ELEGIA I.

1 *Hoc quodcunque vides, hospes*] Per hospitem intellige Genethliacum, quem alloquitur Propertius. *Scal.*

Quam maxima Roma est] Lege *qua maxima Roma est.* Quodcumque vides hodie radians fulgensque ea parte terrarum et Latii, ubi urbs domina est, pro eo nihil olim nisi saltus et gramina. *Gronovius Observ. lib.* 3. *cap.* 19.

4 *Evandri profugæ procubuere boves*] De ejus in Italiam adventu Festus in 'Rom.' Ovid. L. IV. et V. Fast. Liv. lib. I. Dionys. lib. I. Varro IV. de L. L. Ab eo etiam Romam conditam quidam putarunt. Unde Virgil. VIII. Æn. 'Tum pater Evander Romanæ conditor arcis.' Mercurii et Nymphæ Ladonis filium facit Pausan. in Arcadicis: et Palatinus dicitur a Virgil. IX. Æn. quia in Palatio habitavit. De Evandri exsilio Ovid. lib. I. Fast. Et Evander ipse apud Virgilium lib. VIII. 'Me pulsum patria, pelagique extrema sequentem, Fortuna omnipotens et ineluctabile fatum His posuere locis.' *Passer.*

5 *Fictilibus crevere Deis, &c.*] Plin. lib. XXXIV. cap. VII. ante devictam Asiam Romæ simulacra Deorum, ait, fuisse lignea, aut fictilia. De fictilibus vide eundem cap. XII. lib. XXXV. Cato apud Livium initio lib. XXXIV. pro lege Oppia: 'Antefixa fictilia Deorum Romanorum irridentes.'

6 *Facta sine arte casa*] Supr. Tibull. lib. II. Eleg. V. Casam Romuli intelligit procul dubio; de qua egregie Silius Bassus declamator apud Senecam lib. I. Controv. VI. 'Inter hæc tam effusa mœnia nihil est humili casa nobilius: fastigiatis supra tectis auro puro fulgens prælucet Capitolium:' et apud eundem lib. II. Controv. I. Cestius Pius: 'Colit etiamnum in Capitolio casam victor omnium gentium populus: cujus tantam felicitatem nemo miratur.' Eam continuo Romani reparabant, culmis tamen semper et stramine: tum quod nonnullum in eo perpetuitatis omen situm existimarent; tum etiam ut ostenderent tantam ac talem urbem e casis et mapalibus enatam: quod poëtæ more suo libentes extollunt, maxime delicium nostrum Propertius: 'Hoc quodcunque vides,' &c. et quæ ibi sequuntur nullo ore satis laudata. *Rycquius.*

7 *Tarpeiusque pater, &c.*] Miror heic 'nudam' dicere, quum nemore et dumis consita vel ante conditam urbem fuisse credatur. Virgil. VIII. Æn. 'Hinc ad Tarpeiam sedem, et Capitolia ducit, Aurea nunc, olim silvestribus horrida dumis.' Quin et ipse Propert. lib. IV. Eleg. IV. elegantissima ὑποτυπώσει sic eam describit: 'Lucus erat felix' &c. Nudam autem rupem cum dicit, ædificiis et apparatu sacrorum destitutam intel-

ligit, queis Augustali, id est suo ævo, nuper omnia urbis et orbis loca erat instructissima. *Rycquius.*

12 *Pellitos habuit, &c.*] Romanos pellitos in initio urbe jam condita fuisse loquitur hic Noster. Pelles istæ pro qualitate nobilitateve personarum, ita viliores pretiosioresve erant. *Adrian. Turneb. lib.* xv. *cap. ult.*

13 *Buccina cogebat priscos ad verba Quirites*] Antiquitus bubuli cornus (βυκάνην Græci, Latini 'bucinam' dixere) usus erat ad convocandos boves. Atque is quidem permansit. Columella lib. vi. cap. xxiii. 'Id semper crepusculo fieri debet, ut ad sonum bucinæ pecus, si quod in silva substiterit, septa repetere consuescat.' Hinc adhibita ad convocandos cives. Unde Propertius de temporibus Romuli: 'Bucina cogebat priscos ad verba Quirites.' Et, ne a Poëta id confictum putes, similiter Dion. Halic. lib. secundo: 'Plebeios ministros quidam cornibus bovillis insonantes [q. d. bucinantes] ad cœtus [sive concionem] cogebant.' *Vossius.* De eorum usu in bello, vid. Lips. lib. iv. de Mil. Rom. Dial. x.

Buccina cogebat priscos ad verba Quirites] Dionysius Halicarnassæus: Ὅτι τοὺς μὲν πατρικίους, ὁπότε δόξειε τοῖς βασιλεῦσι συνκαλεῖν, ἐξ ὀνόματός τε καὶ πατρόθεν ἀνηγόρευον, τοὺς δὲ δημοτικοὺς ὑπηρέται τινὲς καὶ ἄθροοι κέρασι βοείοις ἐμβυκανῶντες ἐπὶ τὰς ἐκκλησίας συνῆγον. Videndus etiam Isidorus Orig. xvii. cap. iv. in voce 'Buccina.' *Dousa P.*

Pulpita solennes non oluere crocos] Omnes norunt hunc morem: sed tamen ut quis aut qualis fuerit nesciant. Fiebat autem id per expressiones machinarum, ut hodie in Italia exprimitur aqua epitoniis versis etiam in aridissimis locis, quum aquam intus antea immissam latentibus fistulis alte exprimunt. Seneca Epistola una et nonagesima: 'Quemadmodum in immensam altitudinem *crocum* latentibus fistulis exprimat.' Idem Quæstionum libro secundo: 'Numquid dubitas, quin sparsio illa, quæ ex fundamentis mediæ arenæ crescens in summam altitudinem amphitheatri pervenit, quin intentione aquæ fiat?' Sparsionem vocat, ut Glossarium 'Sparsio: κροκόρραντις.' Item 'Sparsio: κρόκος ὁ ῥαινόμενος.' Apuleius libro nono: 'Tunc de summo montis cacuminé per quandam latentem fistulam in excelsum prorupit unda croco diluta, sparsimque defluens pascentes circa capellas odorato perpluit imbre, donec in meliorem maculatæ speciem canitiem propriam luteo colore mutarent.' Exprimebatur et sparsio illa ex sigillis quibusdam, quæ totis membris illam emittebant. Lucanus: 'Utque solet pariter totis se effundere signis Corycii pressura croci, sic omnia membra Emisere simul rutilum pro sanguine virus.' Imbres et nimbos vocant Poëtæ. Quod quare reprehendat in Mæcenate M. Seneca, nescio, proœmio x. Declam. 'Quis enim ferret hominem de sifonibus dicentem, Cælo repluerunt? de sparsionibus, Odoratos Imbres?' Quod autem sparsio illa κρόκου ῥάνσις diceretur, nescio an ita accipiamus in Papinio: 'Dives sparsio quos agit tumultus.' Videtur enim potius de missilibus accipiendum, quæ Imperatores in vulgus spargebant. Sed et privati quoque homines testamento sparsiones nucum quotannis dieb. natalib. relinquebant. In veteri Saxo: 'Incrementa. Pueris. Curiæ et. Sparsionem. Nucum. Dent.' Nam et ex aliis inscriptionibus apparet Incrementa pro gratuitis illis sparsionibus dicta fuisse. In Actis Condemnationis Marcellini Episcopi Romani non semel 'Incrementum' accipitur pro oblatione: quod profecto ex hac consuetudine derivatum. Spartianus in Adriano: 'Pueris et puellis, quibus etiam Trajanus alimenta detulerat, incrementum liberalitatis

adjecit.' Porro sparsionem nummorum in populum Lampridius 'Collatum' vocat in Alagabalo. In Vita Probi Imp. 'Ut ejus dignitas incrementis adjuvetur,' id est, liberalitate. *Scal.*

20 *Qualia nunc curvo*] Melius editiones nonnullæ, *curto*. Confudit Octobris equi sacrificium cum Palili sacro. Nam utroque equus immolabatur, sed Palili quotannis, illo, quinto quoque anno, cujus cauda Caviar vocabatur. Vide Festum 'Caviares hostiæ,' et nostra in illum locum. Curtus equus est aliqua parte sui mutilus, sed præsertim cauda, ut hic in Caviari sacrificio. *Scal.*

21 *Vesta coronatis pauper gaudebat asellis*] An Vesta dorso asellorum gestari gaudebat, ut Isis et Cybele? Nam eadem terra est. An ei aselli ut invisi immolabantur? Plutarch. ἐν 'Ρωμ. Quæst. XLVIII. Consualibus equos et asellos coronari solitos scribit. Ovid. VI. Fast. de fornicalibus agens: 'Ecce coronatis panis dependet asellis, Et velant scabras sordida serta molas.' Vide Festum in 'Panis coronabatur.' *Passer.*

22 *Ducebant macræ vilia sacra boves*] Sacra ducebantur curru ad templa. Virg. VIII. Æn. 'Castæ ducebant sacra per urbem Pilentis matres in mollibus.' Et apud Livium lib. XXXIV. Lege Oppia cautum ne vehiculo per urbem nisi sacrorum publicorum caussa matronæ veherentur. Ad eam rem bubus usi sunt, ut Cleobis et Bitonis historia docet apud Cic. I. Tusc. et Virg. III. Georg. 'Tempore non alio dicunt regionibus illis Quæsitas ad sacra boves Junonis, et uris Imparibus ductos alta ad donaria currus.' Sententia Poëtæ hæc est: Tunc boves sacra ducebant in plaustris paupertinis; at hodie matres ducunt sacra in mollibus pilentis: et argumentum paupertatis est, boves macræ, attenuatæ scilicet opere et aratro. *Passerat.*

28 *Miscebant usta prœlia nuda sude*] Sudes, lignum in capite acutum leviter, et igni duratum. Vetus id telum, et plerisque gentibus sic usitatum. Propertius de priscis agrestibusque Rom. 'Miscebant,' &c. Virgil. quoque inter agrestia numerat, lib. VII. 'Non jam certamine agresti Stipitibus duris agitur, sudibusque præustis.' *Lips.*

29 *Prima galeritus posuit prætoria Lygmon*] Eum, quem Lygmonem vocat, Lucumonem esse reor, qui magna manu auxilio venit Romulo regi contra Tatium. Locomon a Dionysio lib. II. appellatur. Ejus nominis species magis immutata est hoc etiam versu Propertii Eleg. proxima, vix ut agnoscatur, et in alium hominem prope deformatus sit: 'Tempore quo sociis venit Lycomedius armis, Atque Sabina feri contudit arma Tati.' Is in eo bello etiam cecidit. *Turnebus.*

31 *Hinc Tatiess, &c.*] 'Taties' pro, Tatienses, et 'Rhamnes' pro, Rhamnenses, ut Turneb. lib. XXI. cap. I. legit et vet. lib. apud Varronem IV. de L. L.

32 *Quattuor hinc albos Romulus egit equos*] Id est, a tam parvis principiis profectus Romulus triumphavit, de Ceninensibus, τεθρίππῳ παραμειβόμενος, id est, quadrigis invectus, ut ait Dionys. lib. II. cui convenit cum Propertio. *Passerat.* Vide sup. Tibull. lib. I. Eleg. VIII. Huc pertinet illud Tertulliani de Spectaculis, 'Quadrigam Romæ primus ostendit Romulus.'

33 *Parva minus urbe*] Ita loquitur Varro Atacinus: 'Indica non magna minor arbore crescit arundo.' *Scal.*

Bovillæ] De Bovillis Plin. lib. III. cap. V. Dionys. lib. VII. a Coriolano captas Bovillas ait oppidum Latii e principibus.

34 *Gabii*] Appian. lib. I. inter Romam et Præneste locat, et Strabo ex æquo ab urbe Præneste et Roma dis-

tare ait lib. v. stadia centum. De iis Plin. lib. III. cap. v.

35 *Albæ suis omine nata*] Virgil. lib. III. Æn. 'Cum tibi sollicito secreti ad fluminis undam Littoreis ingens inventa sub ilicibus sus, Triginta capitum fœtus enixa, jacebit, Alba, solo recubans, albi circum ubera nati; Is locus urbis erit, requies ea certa laborum.'

36 *Hac ubi Fidenas longe erat ire vias*] Lege *via*. Hac ubi longe via erat ire Fidenas. *Longe via*, longinqua via. Supra exposuimus. *Scal.*

Fidenas] Fidenæ oppidum Straboni lib. v. distans ab urbe XXX. stadia, Dionysio lib. II. XI. stadia. De iis triumphavit Romulus: Livius lib. I.

39 *Huc melius profugos*] Tibullus: 'Tunc se Troja quidem mirabitur; et sibi dicet Vos bene tam longa consuluisse via.' Bassus Lollius Poëta: Ἀλλά σοι, Αἰνεία, στόλος ἱερὸς Ἰταλὸν ἤδη Ὅρμον ἔχει πάτρης φροίμιον οὐρανίης. Ἐς καλὸν ὤλετο πύργος ὁ Τρώϊος. ἡ γὰρ ἐν ὅπλοις Ἠγέρθη κόσμου παντὸς ἄνασσα πόλις. *Scal.*

45 *Brutique secures*] Quibus filio cervices amputari jussit. Historia est apud Livium lib. II. Flor. cap. IX. lib. I. Deinde quia Brutus Tarquinii secures fregit, id est, reges ejecit. *Passerat.*

50 *Aventino rura pianda Remo*] Remurinum agrum, vel eum locum ubi cæsus est. Festus: 'Remurinus ager dictus, quia possessus est a Remo, et habitatio Remi Remona. Sed et locus in summo Aventino Remoriæ dicitur, ubi Remus de urbe condenda fuerat auspicatus.' Et Dionys. lib. I. Aventino captasse Remum auguria ait, unde hic eum Aventinum vocat. Vid. adnot. inf. Eleg. VI.

70 *Has meus ad metas sudet*] Huc inserendum distichon, quod infra legebatur: 'Dicam, Troja, cades, et, Troica Roma, resurges.' Canam, inquit, fortunam et caducæ et recidusæ Trojæ. Canam Ἰλίου ἅλωσιν, et adventum Æneæ in Italiam, quæ fuit Τροίας παλιγγενεσία. *Scal.*

72 *Et maris et terræ*] Quæ omnia exequitur Virgilius tertio. *Scal.*

75 *Accersis lacrimis cantus*] Beroaldus mutavit: *Adversis musis cantas.* Si omnibus hoc modo omnia pervertere in bonis scriptoribus licet, nihil est quod in illorum scriptis difficultatem nobis pariat. Noster, *Arcessis lacrimis Charites.* Quod ego mutare non ausim. Proverbium esse videtur, ut contra mœstis dicebant, θύε ταῖς Χάρισιν: auctor Laërtius, et Eunapius. Sunt autem hæc dicta ex persona Genethliaci, ad calcem usque Elegiæ. *Scal.* *Aversis Charisis cantas: aversus Apollo.* Quomodo locum illum castigandum esse alibi pluribus monemus. *N. Heinsius in Addendis ad Ovid.*

78 *Ærata signa movere pila*] 'Pila ærata,' sphæra ex ære, quia rotundæ pilæ instar. Dicitur 'æs cavum' Varroni in Sesquiulysse, apud Nonium in, Explicare, pro, extendere: 'Vias stelligeras ætheris explicans ære cavo.' Vide Claudianum de Sphæra Archimedis. Vetus Glossar. 'Pela [id est, Pila] Σφαῖρα.' *Passerat.*

79 *Babylonius Horos*] Non a patria, sed a professione. Babylonii et Chaldæi sunt Genethliaci. *Scal.*

85 *Felicesque Jovis*] Duo disticha quæ hic legebantur, quo pertineant, infra suo loco dicemus. *Scal.*

Felicesque Jovis stellas Martisque rapacis] Prosper erat et salutaris ille fulgor, qui dicitur Jovis, inquit Cicero VI. de Rep. et 'Jovis stella benefica,' Apuleii lib. Florid. II. Horat. Od. XVII. lib. II. 'Jovis tutela refulgens Saturno.' Vide Macrob. cap. XIX. lib. prioris in Somnium Scipionis de ratione cur Jovis Stella benigna, Martis et Saturni maligna.

Martisque rapacis] Vel avidi prædæ, ut ad belli naturam et militum alludat. Sic Horatius 'rapacium lupo-

rum.' Catull. 'Cinæde Thalle turbida rapacior Procella:' vel 'rapacis' quarto casu, pro, rapaces stellas Martis, id est, rapidas, sævas, violentas. De ejus stellæ natura Macrob. in Somnium Scipionis lib. I. Cicer. VI. de Rep. 'Tum rutilus horribilisque terris, quem Martem dicimus.' *Passer.*

87 *Animosaque signa Leonis*] De signo Leonis vide Hygin. lib. II. et III. Astr. in 'Leo.' Is Leo Cleonæus fuit primus Herculis labor. Macrob. lib. I. cap. XXI. in Somn. Scip. in leone esse rudimenta nascendi et humanæ vitæ tyrocinia ait: et cap. XXI. lib. I. Sat. Leonem Solis domicilium esse. *Turneb.* Loco prænotato, cum omnes planetæ in signo æstivo erunt, ut Leone aut Cancro, tunc, ait, futuram magnam æstatem, id est, exustionem, terrarum. *Passerat.*

88 *Lotus et Hesperia*] Capricorno partes Occidentis assignantur. Auctor Manilius. Horatius: 'Quid tyrannus Hesperiæ Capricornus oræ.' Idem intelligit Horatius, quod Propertius et Manilius. Et tamen argutantur homines venusti, qui subtiliter hæc scrutantur, atque aiunt ab Horatio in honorem aut adulationem potius Augusti dictum: quia Augustus natus sub eo signo: unde etiam nummum Capricorni signo cusum emiserit. Quæ sunt meræ nugæ, ne quid asperius dicam. *Scal.*

95 *Gallus et in castris*] Inepte hæc refert ad Cor. Gallum poëtam Grammatista ille, qui Virgilii vitam ex multis auctoribus tanquam centonem consarcinavit. *Scal.*

99 *Idem ego quum Cinare*] Ea est, quam amavit Horatius. *Scal.*

103 *Arenosum Libyci Jovis explicat antrum*] Cum 'arenosum antrum' dicit, ad Ammonis Jovis oraculum et nomen alludit: nam ἄμμος, 'arena;' unde 'Ammon Jupiter,' quasi arenarius: licet a pastore quodam dictum alii putent. Pausan. Messen. De fano et oraculo Jovis Ammonis legendus Plutarchus in Alexand. Lucan. lib. IX. Curtius lib. IV. Servius ad illud. IV. Æn. 'Hic Ammone satus.' *Passerat.*

108 *Tranes et a zonis*] Sequi debent duo illa disticha supra alieno loco posita: FELICESQUE JOVIS STELLÆ. Legendum vero arbitror, *et a stellis*, non *et a zonis*. Non enim zonæ faciunt ad Genethliacen, sed stellæ. Quod si quinque zonas quinque circulos parallelos accipis, nihilo melius sententiæ consuletur. Nam non magis illi ad Genethliacen faciunt, quam tropica, aut æquinoctia. Sic Sidonius: 'Quid sidera Zodiaci obliqua, quid Planetarum vaga, quid exotica sparsa prævaleant.' Ubi etiam notabis a Sidonio nove dictum 'exotica sparsa,' pro illis sideribus, quæ sunt extra Zodiacum. *Scal.*

109 *Calchas, namque Aulide solvit, &c.*] De hac fabula vide Ovid. XII. Met. vers. VI. et seqq. Hygin. fab. XCIX. Eurip. Iphig. in Aulid. Cic. I. et II. de Divinat. et II. de Nat. Deor. et II. de Legg.

115 *Nauplius ultores sub noctem porrigit ignes*] Nauplius Palamedis pater, unde ab Ovidio dicitur Naupliades, XIII. Met. 'Porrigit ignes ultores,' protendit, procul ostendit, profert. Πυρσεύειν Græci dicunt, ut Euripides in Helena, igne sublato dare signum e specula. Hygin. Fab. CXVI. 'Facem ardentem extulit.' Servius in XI. Æn. 'Elata facula signum dedit vicini portus.' 'Ultores ignes,' quibus ultus est Nauplius luctum et dolorem suum. Ausonius, in Monosyll. 'Ultrix flagravit de rupibus Euboicis fax.' Hygin. Fab. CCXLIX. facem sceleratam vocat. *Passerat.*

117 *Victor Oilide, &c.*] Vide Hygin. Fab. CXVI.

123 *Mevania*] Urbs Umbriæ sita ad viam Flaminiam, de qua Lucanus lib. I. 'Turiferis ubi se Mevania campis Explicat.' Plin. lib. XXXV. cap.

XIV. Mevaniæ ait murum lateritium fuisse.

125 *Scandentisque axis*] Axem pro climate aut tractu posuit. Juvenalis: 'Dignus Aricinos qui mendicaret ad axes.' Nam et hic axes, ut ibi, pro collibus aut clivis editis. At docti viri hic nescio quem Asim legunt, et Asisium intelligunt. Quid movit eos? Primum hæc est vitiosa scriptura. Nam, *ausserat*, *Isionides*, *fissa*, *Polyssena*, pro *auxerat*, *Ixionides*, *fixa*, *Polyxena* scribebant imperiti librarii. Itaque hic quoque *Asis* pro *Axis*. Non ergo hac parte obtinebunt. Deinde quomodo Asis pro Asisio? Hæc profecto nimis violenta esset apocope. Neque enim Latinis, qui musas colunt severiores, licet κρῖ aut δῶ dicere: quanquam Ennius voluit eorum imitatione sibi licere, 'endo suam do.' Quid ergo? Procuidubio hactenus ignorata fuit patria Propertii. Nam, quod Mævaniam, quæ hodie *Bevania* dicitur, putant, falluntur. Non enim hic Mævania pro oppido ipso, sed pro extensa planitie accipitur, quæ ab oppido nomen accepit. Silius lib. VI. 'Colles Umbros, atque arva petebat Annibal, excelso summum qua vertice monti Devexum lateri pendet Tuder, atque ubi latis Porrecta in campis nebulas exhalat inertes, Et sedet ingentem pascens Mævania campum Dona Jovi.' Hic Silius non pro oppido, quod in planitie situm est, sed pro planitie ipsa, in quo oppidum Mævania est, accipit. Et libro octavo: 'His urbes Arna et latis Mævania pratis.' Statius: 'Nec si vacuet Mævania valles, Aut præstent niveos Clitumna novalia tauros.' Ubi ἀκυρολόγως novalia pro pascuis, quæ buceta dici alibi notavimus. Ad verbum βουβόσια Arato. Lucanus: 'Calidi buceta Matini,' ut habent melioris notæ scripti codices, non, ut vulgo, *buxeta*. Vide quæ alibi de bucetis primi omnium ex Gellio et Sidonio annotavimus. Sic igitur hic Mævania est porrecta campi planities, in qua est lacus Vadimonis, quem ipse vocat lacum Umbrum. Porro, quum Poëta manifeste dicat patriam suam in colle sitam, quomodo Mævania, quod oppidum in planitie situm est, erit ejus patria? Non igitur est Mævaniensis, ab oppido Mævania, sed Mævanas a planitie Mævaniæ. Nam alii sunt Mævanienses, alii, Mævanates. Quum igitur ipse aperte dicat se Mævanatem, quia dicit patriam suam ad campos Mævaniæ esse; Mævaniensis autem esse non possit, quia Mævania, ut dixi, in plano est, patria autem Propertii in clivo fuit; quæramus, quænam ea esse possit. Scribit Strabo de hoc tractu: Κατὰ δὲ θάτερα μέρη Ἀμερία καὶ Τοῦδερ εὐερκὴς πόλις, καὶ Ἴτορον πλησίον τούτου δὴ τῶν ὑπερβαλλῶν τοῦ ὄρους. Noli dubitare, quin Ameria sit patria Propertii: primum, quod sita in colle, deinde quod antiquam vocat. Nam Cato scripsit conditam ante Persæ Macedonis bellum annis nongentis sexaginta quatuor: auctor Plinius. Præterea et illud mire convenit, quod ait patriam suam despectare lacum Umbrum: qui lacus non alius est, quam ille Vadimonis lacus Veteribus celebratus. Hoc plane cognoscitur Epistola Plinii Cæcilii ad Gallum libro octavo: 'Exegerat,' inquit, 'prosocer meus, ut Amerina prædia sua inspicerem: hæc perambulanti mihi ostenditur subjacens lacus nomine Vadimonis,' &c. Junius Philargyrius: 'Clitumnus et Deus et lacus in finibus Spoletinorum, ex quo bibentia pecora alba fiunt.' Lacum Vadimonis Clitumnum vocat, quod ab eo lacu Clitumnus emittitur. Vides Ameriæ lacum esse Vadimonem. Sed quare invidit posteritati nomen patriæ suæ? Fecisset, si potuisset: sed syllaba contumax repugnat. Non potuit includere in Heroicum versum *Ameria*: non enim proceleusmaticum

admitteret genus illud Carminis. Sed nec Vadimon potuit hic locum habere, non magis quam Tuticanus, de quo conqueritur Ovidius. Nam Vadimon Creticus est. Sic fine monobibli tantum dixit: 'Proxima subjecto contingens Umbria campo Me genuit, terris fertilis uberibus.' Non enim satisfacit, quod se Umbrum dicit, quum in Umbria plura sint oppida. Sed conjiciendum dat illis, qui gnari eorum tractuum sunt, quum dicat esse vicinum agro Perusino. Sic Horatio dicente: 'Venimus oppidulum, quod versu dicere non est:' gnarus locorum ejus tractus non dubitabit esse Equotitium. Item Lucilius quum ait, 'Servorum festu' dies hic, Quem versu hexametro non plane dicere possis:' non potuit dicere Sigillaria. Quare et cujas esset Propertius, et quis sit lacus Umber, et quæ hic accipienda sit Mævania, primi indicavimus: ne forte quispiam aut Vitam Propertii, quæ ab inepto homine scripta est, secutus, Asisinatem dicat; quanvis ne ita quidem efficeretur Asisinatem esse, quum aliud sit Asia, aliud Asisium; neque putet Mævaniensem esse, quod hic Mævaniæ fit mentio. In montanis enim patriam suam ipsemet constituit. Denique meo periculo Amerinum Propertium omnes fuisse mihi concedant, necesse est. In Strabonis exemplo superius a nobis producto, verba ipsius scriptoris emendavimus. Nam pro εὐελλὶς verbo nulli precii, quod hodie vulgo excuditur, εὐαλεῖς legimus, ita postulante sententia, et subscribente Silio, libro decimo: 'Pauperque penatum, Sed domus haud obscura Tuder notusque per Umbros Bellator populos.' *Scal.*

Scandentisque axis] Ergo axem editum collem, ut supra ex Juvenale: aut tractum. Statius: 'Ire polo nitidosque errare per axes Visus.' Silius: 'Aut axe relicto Hesperio patrias exul lustraret arenas.' Supra etiam patriam suam in colle ponit: 'Scandentes si quis cernet de collibus arces, Ingenio muros æstimet ille meo.' Oportet fuisse insigne opus illud mæniorum Ameriæ. Nam idem prope repetit: 'Scandentisque axis consurgit vertice murus, Murus ab ingenio notior ille tuo.' Quamvis nobilissimi muri per se, tamen nobiliores facti ingenio tuo. Sane hodie quædam supersunt eorum muforum reliquiæ, immanibus saxis quadratis, qualia sunt quæ in mole Adriani Romæ, præstantiam eorum testantibus. Ameria, ut sciunt non penitus ἀχωρογράφητοι, hodie Amelia dicitur. *Scal.*

128 *Et in tenues cogeris ipse lares*] 'Cogi in tenues lares' eo modo dicitur, quo cogi in ordinem. *Scal.*

130 *Extulit excultas pertica tristis opes*] Quid doctos viros movit, ut perticam pro hasta acciperent, et inde Propertii bona hastæ subjecta a sectoribus dicerent? Nam eodem modo loquens sua assignata veteranis fuisse Val. Cato: 'Pertica quæ nostros metata est impia agellos.' Non ergo Beroaldus, neque illum secuti, intellexerunt, quid interesset inter perticationem, et subhastationem: tantum profecto, quantum inter prædia proscripta, et assignata. Metatos ergo agros suos intelligit. Sic apud Horatium accipiendum 'metato in agello.' *Scal.*

Abstulit excultas pertica tristis opes] Significat adsignatos agros suos fuisse, et pulsum possessionibus paternis ad paupertatem redactum. Mensum enim perticis vel decempedis agrum solebant veteranis attribuere. Virg. in Diris: 'Pertica quæ nostros metata est impia agellos.' *Turnebus.* Quod autem Lips. lib. III. cap. XXIII. Var. somniat damnatum Sex. Propertium patrem, et ejus bona vendita sub hasta, fallitur: nam delatum tantum nomen Cicero pro Domo Sua significat. Verisimilius est ademtos

illi agros Syllana proscriptione, ut Volaterranis omnibus, et majori parti Etruriæ, qua de re Cicero pro Cæcina. *Passerat.*

132 *Matris et ante Deos*] Ante lares sumebatur toga virilis, ut supra tetigimus. Matris lares dicit, quia patre mortuo mater vidua relicta erat. *Scal.*

141 *Et bene quum fixum*] Unco in gulam impacto, in forum, deinde in scalas Tiberis abjiciebantur nocentes. Dio de Seneca: Ἐπειδὴ γὰρ τοὺς ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ θανατουμένους ἀγκίστροις τισὶ μεγάλοις οἱ δήμιοι ἔς τε τὴν ἀγορὰν, κἀνταῦθα εἰς τὸν ποταμὸν, ἔσυρον, ἔφη τὸν Κλαύδιον ἀγκίστρῳ εἰς τὸν οὐρανὸν ἀνενεχθῆναι. *Scal.*

Cum fixum mento discusseris uncum] Vide Turneb. lib. XIII. Advers. c. IX.

150 *Octipedis Cancri*] Terga cancri, id est, Cancer ipse. Sinistrum autem cancrum intelligit, quadrata radiatione in Medio Cælo. Nam ille locus decernit totum actum vitæ. Quod si Cancer in eo fuerit, quum sit signum femininum, et ὕψωμα Lunæ, ac præterea Medium Cælum sit tutela Veneris, his omnibus concurrentibus, ut puto, significat eum γυναικοκρατούμενον fore, ut in antecedentibus declaravit. Neque aliter intelligendum. *Scal.*

ELEGIA II.

2 *Vertumni*] Vertumnus, sive, ut alii scribunt, Vortumnus. Sic appellabant eum Deum, qui præerat rebus contrahendis ac vertendis, id est, permutandis: vel ab anno verso nomen habebat: vel ab eo, quod anni vertentis poma accipiat. Propterea autem quod hic Deus ad omnes figuras ac formas opportunus erat, credebatur etiam menteis hominum et cogitationes in rebus emendis et vendendis vertere, immutare, ac varias efficere; itaque mobili ingenio ac inconstantes homines irato Vertumno natos dicebant, ut Horat. Sat. VII. lib. II. Asconius in Verr. ait, Vertumnum Deum esse rerum invertendarum, id est, mercaturæ: hujus signum et Templum in vico Thusco ad Opis et Cereris aras constituerunt. Festa ejus, quæ mense Octobri celebrabantur, Vertumnalia appellabantur.

4 *Volsinios deseruisse focos*] Relictis Volsiniis Romam migrasse. De Volsiniensi bello cum Romanis Livius lib. V. et IX. apud quem et Volsinienses pacem petunt, et inducias in annos quadraginta impetrant. Floro Vulsinii, et Vulsiniense bellum dicitur lib. I. cap. XXI. Volsiniis urbe Etruriæ molas versatiles inventas scribit Plin. lib. XXXVI. cap. XVIII. *Passerat.*

5 *Nec templo lætor eburno*] De sede Vertumni, Festus in 'Picta.' P. Victor in VIII. regione ponit in Thusco vico.

10 *Vertumnus verso dicor ab amne Deus*] Sunt qui ita dictum Vertumnum putent, quod lacum Curtium in Tiberim averterit.

11 *Seu quia vertentis*] Etiam florum. Columella: 'Mercibus et vernis dives Vertumnus abundet.' Nam et flores primi, et fructus primi illi delibabantur. *Scal.*

23 *Indue me Cois, fiam non dura puella*] Quod ut de incessu dictum putem, Ovidiana auctoritas facit. Ita enim ille, interpres prorsus ad hanc rem unicus: 'Molliter incedit motu caput: altera dura est, At poterit tacto mollior esse viro.' 'Dura est,' i. e. dure, myrmice, et moleste incedens, vel potius 'Haud secus, ac conjunx Umbri rubicunda mariti;' valgis nimium, aut divaricatis cruribus grallatorium in morem badissans; uti ego interpretor. Quid? quod huic argumento meo fidem indubiam facit Coörum mentio, quæ, quod tenuissimi ac pellucidi essent fili, muliebrem incessum maxime arguebant. Unde non nisi ab iis, quæ incessu erant molli, ne exossi dicam, vel cinædico potius, gestari solitas, a vero haud alienum

videtur. Et hoc est, quod supra voluerat Propertius: 'Et tenues Coa veste movere sinus.' *Dousa P.*

25 *Da falcem, et torto frontem mihi comprime fœno: Jurabis nostra gramina secta manu*] More enim fiebat, ut inter operam messoriam, ad æstus solis defendendos maxime, caput fœno, et quidem recenti, obnuptum obvinctumque haberent messores: id quod hodie nostris etiamnum rusticis in usu esse videmus. Sed et Ovidius id ipsum libro XIV. Metamorph. de eopse Vertumno verba faciens aperte indicat: 'Tempora sæpe gerens fœno religata recenti, Desectum poterat gramen versare videri. O quoties habitu duri messoris aristas Corbe tulit, verique fuit messoris imago?' Qui duo postremi versus eo spectant, quod statim porro subjuncturus Propert. 'Corbis et imposito pondere messor eram.' Corbis messoriæ alibi meminit et Cicero. *Dousa P.*

Da falcem, et torto frontem mihi comprime fœno, &c.] Fœnisectorum insigne erat corona e fœno. Unde Ovid. lib. XIV. Met. 'Tempora sæpe gerens fœno religata recenti, Desectum poterat gramen versare videri.' Et Propertius hoc loco, 'Da falcem,' &c. Falcem illam vocat Cato cap. X. de R. R. fœnariam. Turneb. lib. XXIII. cap. VI. Fœno revinctam frontem ait ad solis ardorem arcendum.

28 *Corbis et imposito pondere, messor eram*] Messores corbe insignes erant. Ovid. lib. XIII. Met. 'O quoties habitu duri messoris aristas Corbe tulit, verique fuit messoris imago.' Dixit Cicero pro Sextio, 'Messoria se corbe contexit.'

30 *Clamabis*] Vera lectio: *Clamabis capiti vina subisse tuo.* Idem lib. 2. Eleg. 27. 'Neu subeant labris pocula nigra tuis.' *Heinsius ad Ovid. Artem l. 1. vers. 568.*

Clamabis capiti vina subisse meo] Ita melius, quam *subesse*, quod scriptum extat in nostro. Nam subire est aptum illi rei, quod Græci ἅπτεσθαι. In monobiblio: 'Acrius illa subit, Pontice, si qua tua est.' Item alibi: 'Neu subeant labris pocula nigra tuis.' Ovidius libro primo ματαιοτεχνίας: 'Nyctileum patrem nocturnaque sacra precare, Ne jubeant capiti vina nocere tuo.' Lege *Ne subeant capiti vina nociva tuo.* Nam vulgata lectio inepta. *Scal.*

34 *Faunus*] Hunc in Diis venationis præsidibus numerat Horatius, cum scribit: 'Et Latii cultor qui Faunus amœni.' Propertius aucupio eum præficit, quod venationis genus est. *Turneb.*

35 *Est etiam aurigæ species Vertumnus*] Desultorem aurigam ait Vertumnum appellari: quod nusquam leges. *Scal.*

Est etiam aurigæ species Vertumnus] Vult Vertumnum varias species induere, modo aurigam videri, modo desultorem. Homerus istos agnovit, et fuse descripsit, sed quatuor etiam equis alternantes. Nec mirum tibi nimis ac fabulosum de quaternis Homeri equis videatur; ecce Florus de senis etiam in historia dicit libro III. cap. III. 'Rex ipse [Theutonum] Theutobochus quaternos senosque equos transilire solitus, vix unum, cum fugeret, ascendit.' Vide Lipsium lib. III. de Mil. Rom. cap. VIII.

37 *Suppetat, hoc pisces calamo prædabor: et ibo Mundus demissis institor in tunicis*] Ex quo colligit Turnebus l. XI. c. XXIII. elegantiæ cultusque studiosos demissas longasque tunicas gestasse. Quod si verum esset, non eas Horatius, non reliqui scriptores tantopere damnassent, tanquam parum virorum proprias. Non ea est Propertii mens. Vertumnus Deus narrat ibi suam naturam cunctis figuris opportunam, seque in quam libuisset verti. Sic fœminam, virum, messorem, et militem fieri, venatorem, aurigam desultorem, posse etiam piscatorem esse, mox et institorem. 'Suppetat, hoc pisces calamo prædabor:' post autem fiam institor: 'et ibo Mundus de-

missis institor in tunicis.' Sensus est: Si velim ex piscatore fieri institor, mutanda mihi schema, et altius subductæ sordentesque tunicæ, quales sunt piscatorum, more reliquorum demittendæ, et quidem mundæ: piscatoribus enim, qui sæpe se in aquam demittebant, succinctæ altius, et ad inguen subductæ tunicæ, ne fluctibus madescerent. Quare Vertumnus ait: Si ex piscatore institor fieri velim, patiar tunicas more aliorum cadere dempto squalore: nec 'demissæ' hic valent, talares, ut apud Horatium, sed longiores, quam ut a piscatoribus ferrentur. *Ferrarius.*

Mundus demissis institor in tunicis] Institorem discinctum intelligo ex Ovidio ita nobis disertim præeunte; 'Institor ad dominam veniet discinctus emacem.' Et certe, quum recogito, necesse erat, ut qui discincti, hoc est, zonis solutis ambulabant, tunicas ad talos usque demissas, sinusque (ut ait Pedo) ventosos oppido, ne dicam pæne undantes haberent. Cujus rei mollitiem ac laxitatem in suo etiam Mæcenate, si modo is Malchinus est, Satyrice sugillat Horatius. *Dousa P.*

39 *Pastorem ad baculum possum curare*] 'Curare pastorem' idem est, quod 'curare in grege.' Pastorem scilicet esse. Sallustio simile, 'curare in agmine,' pro, ducem esse. *Palmerius.*

40 *Sirpiculis medio pulvere ferre rosam*] Sirpicula, seu Sirpiculum, cophinus vimine textus, sive canistri genus, quod virgis sirpetur, id est, alligetur. Varro lib. IV. Analog. Lucil. Sat. lib. XV. 'Tintinnabulum abest hinc sirpiculæque olitorum.' Varro lib. II. de R. R. cap. II. Columell. lib. X. de Cultu Hortorum.

42 *Hortorum in manibus dona probata meis*] Apparet ab olitoribus cultum fuisse Vertumnum, et ab eis ipsi libata fuisse hortorum munera. Quare scribit in Horto Columella: 'Mercibus et vernis dives Vertumnus abundat.' *Turnebus.*

45 *Nec flos ullus hiat pratis, quin ille decenter Impositus fronti langueat ante meæ*] Eadem fere argutia lib. IV. 'Me juvet hesternis positum languere corollis.' Utriusque vero loci acumen subtilissime uno versu expressum habes in Secundo nostro, ubi scribit: 'Impositæ fronti mecum languete corollæ; Hæc Arethusa suo mittit mandata Lycotæ.' *Dousa P.*

50 *Unde hodie vicus nomina Thuscus habet*] Dionys. lib. V. narrat: Aruntis Porsenæ regis copias a Cumanis fractas, cum in agrum Romanum venissent, plerosque saucios deportatos Romam, ubi convaluissent, illic manere voluisse; datumque locum in urbe ad ædificandum, vallem scilicet inter Palatinum et Capitolinum colles, qua transitur a foro in Circum maximum, dictamque Romana lingua Vicum Thuscum. At Festus Thuscum vicum dictum ait a Thuscis: qui recedente ab obsidione Porsena Romæ remanserunt. Varro autem IV. de L.L. (quod et Festus illic tangit in litura) eos cum Cœle Vibenno Thusco in auxilium Romuli adversus Tatium venerant, et Cœlium collem incolerent, quod nimis munita loca tenere dicerentur, deductos esse in planum, et ab iis Vicum Thuscum nominatum. Idem narrat Servius in V. Æn. ad illud 'Tres equitum numero turmæ,' nisi quod Cœlem non nominat, sed quendam Thuscum. *Passerat.*

58 *Hæc spatiis ultima meta meis*] Noster, *ultima creta.* Ac nescio an in monobiblo ita legendum sit: 'Illa fuit lacrimis ultima creta meis.' Et sane aliter Propertium scripsisse non puto. Seneca: 'Hanc, quam nunc in Circo cretam vocamus, antiqui calcem vocabant.' Putat Seneca, ut apparet, cretam postea dictam esse, quæ antea calx erat, quia et creta et calx apta sunt designandis albo spatiis. At mihi non ita videtur. Nam calx ultima in homine, a quo ultimum quodque calx. Sic Græcis πτέρνα, In Glossis Græcorum: Πτέρνη, τῆς

πορείας τοῦ βίου. Marcellinus non semel proverbialiter dixit, 'ultra calcem currere.' Et libro vicesimo octavo, 'ultra plantam evagari,' pro eodem dixit, eadem metaphora, quasi cognata sint Planta et Calx. Sed cretam Circensem *λευκὴν* vocant Græci. Chrysostom. de Circo: *Οὐκ ἀπὸ λευκῆς ἐπὶ σφενδόνην μιλιοδρομῶν.* Glossæ, '*Λευκίτης ἱπποδρομίας*, Creta.' Lege: *Λευκὴ τῆς ἱπποδρομίας.* Item 'Spartum, *λευκαία ἐν θεάτροις.*' et *λευκαίαν*, quam alii *λευκὴν*, et *θέατρον* pro amphitheatro accipit. In veteri inscriptione de Diocle agitatore legitur: 'Spartor,' quod nescio, an ad Spartum pertineat. Si divinare licet, ego acceperim Spartum pro fune cretato, quo coërcebantur in sedibus suis spectatores, ne spectaculo sibi inter se officerent; de quo fortasse Ovidius: 'Cogit nos linea jungi.' Huc pertinet ex Aristophane *σχοῖνος μεμιλτωμένος.* *Scal.*

62 *Tellus artifices ne terat Osca manus*] Signum ahenum Vertumni cum a Mamurio factum sit, gratus Deus ipse Vertumnus optat, ne unquam Mamurius e luto fictilia signa faciat, sed semper nobiles ex ære statuas et formas ducat, ne figlinæ luteæ vilitate tantus artifex dedecoretur. Osci populi erant Campaniæ, ubi figlinæ erant, unde ab Horatio scriptum est. lib. I. Sat. VI. 'Vilis cum patera guttus Campana supellex,' id est, fictilis. *Turnebus.*

ELEGIA III.

1 *Hæc Arethusa suo mittit mandata Lycotæ*] Arethusa, notum Nymphæ Siculæ et fontis nomen Virgilio, Ovidio, Theocrito. Sub eo nomine fortasse Gallam, et Lycotæ Postumum intelligit. *Passerat.*

2 *Cum toties absis, si potes esse meus. Si qua tamen tibi lecturo pars oblita derit, Hæc erit e lacrimis facta litura meis*] Ex hujus Epistolæ principio facile colligi potest primos duos versus deesse Ovidianæ illi, quam Canace frater Macareo scribit; sic enim incipit: 'Si qua tamen cæcis errabunt scripta lituris, Oblitus a dominæ cæde libellus erit.' *Dousa P.*

8 *Te modo munito Sericus*] Hæc est Beroaldi emendatio, quum editiones haberent, *Henricus hostis;* at noster, *Beticus.* Quod quare mutemus? Omnes enim provincias orbis Romani lustrasse militia sua dicit. *Scal.*

9 *Hibernique Getæ*] Vide Cambdeni v. CL. Britanniam pag. 57.

Pictoque Britannia curru] Sup. lib. II. Eleg. 1.

Pictoque Britannia curru] Respexisse videtur ad id quod dixerat supra: 'Esseda cælatis siste Britanna jugis.' Unde manifesto constat essedam Britannici non minus quam Gallici vehiculi genus cluisse, contra quam in Nomenclatore suo exstimat Junius. *Dousa P.*

16 *Vitta data est, nupsi non comitante Deo*] Tria hic infelicium nuptiarum omina ponit: primum, cum ait: 'Stygio sum sparsa lacu.' Festus: 'Aqua dicitur, a qua juvamur. Aqua et igni interdici solet damnatis: quam accipiunt nuptæ, quia hæ duæ res humanam vitam maxime continent.' Idem in 'Facem:' 'Facem in nuptiis in honorem Cereris praeferebant, aquaque aspergebatur nova nupta, sive ut casta puraque ad virum veniret, sive ut aquam atque ignem cum viro communicaret.' Secundum; 'Nec recta capillis Vitta data est.' Erant aliæ virginum, aliæ nuptarum vittæ. Virg. II. Æn. 'Virgineas ausi Divæ contingere vittas.' Ipse Eleg. ult. infra: 'Sed postquam facibus cessit prætexta maritis, Vincit et acceptas altera vitta comas.' Discrimen, quod virginum vittæ quodammodo jacentes et residentes erant. Nuptæ autem vittas rectas gestabant, ut hic locus indicat. Tertium, 'Nupsi non comitante Deo:' id est, non deducente Hymenæo: de quo supra ad Catullum.

17 *Omnibus heu portis pendent mea noxia vota*] Qui militatum ibant, eorum uxores aut propinqui vota in portis urbis suspendere, id est, suspensa tabella voto se obligare interdum solebant, reditum optantes et ominantes: sed iis reducibus vota solvebant, quæ suspensa tabella susceperant, illi portæ per quam redierant. Propertius infra, 'Armaque cum tulero portæ votiva Capenæ, Subscribam: Salvo Grata Puella Viro.' *Turnebus.*

20 *Et struxit querulas rauca per ossa tubas*] Vult osseas fuisse tubas, quæ postmodum ex ære. Ovid. I. Met. Veget. cap. V. Ossea tuba significatur a Varrone Eumenidibus, apud Nonium in 'Anima:' 'Phrygios per ossa cantus liquida canit anima.' Et Plut. in convivio septem sapientum ex ossibus cervorum fieri tibias ait, sed optimas ex ossibus et tibiis asinorum. *Passerat.* Vide Just. Lipsium lib. IV. de Mil. Rom. Dial. X.

21 *Dignior obliquo funem qui torqueat Ocno, &c.*] Ita hodie leguntur; ex Politiani tamen, viri laude majoris, correctione, si Titio credimus: is enim prius *orno*, non *Ocno*, scriptum fuisse et scribi debere contendit. Per obliquam enim ornum intelligi voluisse Propertium instrumentum illud, quo spartum seu cannabis, aliave materia, in funes contrahi solet. Sed ego Politiani conjecturam amplector, et omnino de Ocno Poëtam scripsisse persevero, quia et aselli meminit, laqueum ab Ocno tortum arrodere soliti. Posteriorem certe versum ad fabulam illam alludere nemo negat; quare prior de Ocno præcessisse oportet. Obliquum vero Ocnum dici non potuisse, contradicit Titius: ego vero, potuisse, ut statum torquentis exprimeret: vel, si mavis, paululu mutatione legamus, *oblito.* Semper enim spartum torquebat Ocnus, et obliviscebatur incassum magnum cecidisse laborem, et adstare asinum, tortumque funem arrodere. Quare nec repulit eum. *Scioppius Verisimil. l. I. c.* 14.

22 *Æternusque tuam pascat, aselle, famem*] 'Pictus enim fuerat,' ut Plinius lib. XXXV. cap. XI. scribit, 'a Socrate piger qui appellatur Ocnos, spartum torquens, quod asellus arrodebat.' Quis autem non videt magnæ pigritiæ fuisse in torquendo sparto laborare, nihilque proficere, arrodente quicquid tortum erat asino, nec tamen abigendi asini laborem suscipere? Sed alium in sensum videtur dici a Propertio, de eo qui supplicio non dissimili Danaidum pœnæ afficitur, aut qui in ignem lanam trahit, qui scilicet perpetuo sine effectu laborat: quomodo apud inferos puniri Ocnum opinio erat. Videtur, ut hoc addam, Aristoteles existimare hunc Ocnum in erodii genus omnium pigerrimum mutatum fuisse. *Turnebus.* Vide Politian. Miscell. cap. LXXXI. et Leopardum Emendat. lib. X. cap. XI.

29 *At mihi cum noctes induxit vesper amaras, Si qua relicta jacent, osculor arma tua*] Sic Hero apud Ovidium Leandri vestes pro ipso Leandro osculari se scribit: 'Quid referam quoties do vestibus oscula, quas tu Hellespontiaca ponis iturus aqua?' *Dousa P.*

31 *Tum queror in toto non sidere pallia lecto*] Hoc illud est, quod sibi quoque usu aliquando venisse commemorat idem Ovidius illis versibus lib. I. Amorum: 'Esse quid hoc dicam, quod tam mihi dura videntur Strata, neque in lecto pallia nostra sedent?' *Dousa P.*

34 *Et Tyria in gladios*] Vocat gladios κατάγματα, et tracta lanea, a similitudine. *Scal.*

36 *Quot sine aqua Parthus millia currat equus*] Aut *eques* legendum est, ut intelligatur de tolerantia Parthorum in expeditionibus; aut, si *equus* legimus, aliter interpretandum. Sane

optima videtur lectio, si *eques* legamus.' Intelligit enim siccissimum esse Parthorum cælum, et tempore anni sicco ipsorum equites multa millia percurrere. Dio de Parthis libro quadragesimo: Καὶ ὁ οὐρανὸς ὁ ὑπὲρ αὐτῶν ξηρότατός τε ὢν, καὶ ἰκμάδα οὐδὲ ἐλαχίστην ἔχων ἀτονωτάτας σφισὶ τὰς τοξείας, πλὴν τοῦ πάνυ χειμῶνος, παρέχεται. καὶ διὰ τοῦτο τὴν ὥραν ἐκείνην οὐδαμῇ στρατεύονται, τῷ δὲ δὴ λοιπῷ ἔτει δυσμαχώτατοι ἔν τε τῇ σφετέρᾳ, καὶ ἐν τῇ ὁμοιοτρόπῳ εἰσί. τόν τε γὰρ ἥλιον φλογωδέστατον ὄντα ἀνέχονται τῇ συνηθείᾳ, καὶ τῆς ὀλιγότητος τῆς τε δυσχερείας τοῦ ποτοῦ πολλὰ ἀλεξιφάρμακα ἀνευρήκασιν, ὥστε καὶ ἐκ τούτου μὴ χαλεπῶς τοὺς εἰς τὴν χώραν αὐτῶν εἰσβάλλοντας ἀμύνεσθαι. Hæc mirifice mentem Poëtæ aperiunt, si EQUES legamus, quod puto verum esse. Nam si EQUUS legamus, audiamus equisones nostros, qui dicunt nihil esse periculi equo exercito a siti, ut a fame. Aliter puto, si *equus* retinemus, interpretandum. Hoc est: Quot millia equus Parthorum currat sine strigatione: hoc est, ut interquiescat. Nam strigant, seu interquiescunt equi in longis itineribus urinæ emittendæ. Veteres vero aquam honeste pro urina posuerunt. Petronius: 'Nec fefellit hoc Gnithona. Extra cellam processit, tanquam aquam peteret.' Hoc est: tanquam vesicam exoneraret. Sic agasones Germani et Itali honeste equos non urinare, sed stallare dicunt. Equorum fatigatio ex itinere egestione urinæ levatur. Contra equas inter currendum prohibemus strigare meiendi caussa. Languescunt enim aquæ emissione. Sic vulgo honeste aquam urinam dicimus. Et mirum, Veteres dicebant sumere se aquam, quando ibant ad secessum: Ovidius libro tertio Artis: 'Scilicet obstabit custos, ne scribere possis, Sumendæ detur quum tibi tempus aquæ?' Id est, quum tibi detur tempus ad exonerandam vesicam. Et alibi: 'Et tamen ulla viro mulier non expedit, inquit. Quid nisi quam sumis, dic mihi, perdis aquam?' Aperte urinam intelligit, quanquam ibi urina in eum sensum accipienda, in quem illud: 'Auribus, atque oculis concepta urina movetur.' In Glossario vetusto Latinoarabico: Luxus: Aqua virilis. אלמני vox Arabica Hebraico Charactere designata a nobis, significat τὸν γόνον, τὴν γονὴν, τὸ σπέρμα. Itaque Aqua virilis ἀντὶ τοῦ ἀνδρείου γόνου. Unde illud: 'Dedecus hoc sumpta dissimulavit aqua:' quod non ignoro aliter ab aliis exponi. Hinc, quia proprie sumere aquam est, in os aquam accipere, honeste lotium dicitur: quia aqua in os colluendum sumitur. Martialis: 'Novit loturas Dasius numerare: poposcit Mammosam Spatalen: pro tribus illa dedit.' Hic simpliciter loturæ sunt οὐρήσεις: sed tralatitie pro eo, quod jam dixi, et quod non nominabo. Locus ille Martialis aliter et vitiose editus est. *Scal.*

41 *Pallida nutrix*] Perperam: lege *callida*. Vafra, inquit, nutrix pejerat moram reditus tui hibernæ tempestati esse imputandam. *N. Heinsius ad Metam. l. 6. vers.* 576.

43 *Hyppolyte*] Martis et Otriræ reginæ filia: victa ab Hercule, cui baltheum ademerit: Hygin. Fab. XXX. et CLXIII. numerat Hippolytem inter Amazonas. Pausan. in Atticis, illam a Theseo superatam aufugisse Megara, ait, ibique mortuam et sepultam. Apollod. lib. II. Amazonum reginam facit, quæ Martis baltheum habuerit, et ab Hercule necata sit. Alii nupsisse aiunt Theseo, unde susceperit Hippolytum.

44 *Et texit*] Membr. Palat. *mole*, unde proclivis emendatio sub elegantes numeros cadit: *Et texit galea barbara mole caput*. 'Moles galeæ,' quia ærata et gravis cassis. *Gebhard.*

45 *Romanis utinam patuissent castra puellis*] Fœminæ exsules a castris.

Vide Lipsium lib. v. de Mil. Rom. Dial. xviii.

55 *Graucides et Catulæ*] Lege, *Glaucides*. Ita vocat ab oculis. Glaucos oculos intelligit, quos Galli vulgo vocant Veronos: quales sunt in plerisque catellis. Quin et multos catellos vidimus, qui altero ravo, altero glauco erant. Glaucopides, qui utroque glauco sunt, Græci vocant. Tales aves nocturnæ. Omnes enim una appellatione γλαυκωπίδων comprehenduntur. Martialis: 'Si meus aurita gaudet glaucopide Flaccus.' In qua lectione etiam in manuscriptis exemplaribus menda inolevit, ut pro *glaucopide Lagopede* legatur. Atqui tria absurda consequantur, necesse est. Primum, lagopodem non esse auritam. Est enim lagopus, quam perdicem albam Inalpini vocant. Deinde prima syllaba corripitur. Postremo avis illa pulcherrima est: ideoque non videtur inter monstra et deformia portenta naturæ annumeranda: quum tamen hoc agat Martialis, ut ostendat monstra placuisse illis viris, quos ordine recenset. At contra glaucopis, seu bubo, et aurita est, et sane non inter venusta illa animalia numeranda. Porro quam caræ fuerint illæ Catellæ veteribus feminis, ostendit proverbium, μελιταῖον κυνίδιον, et inscriptio vetus, in qua est, 'Curatrici Catellæ:' ut videas etiam in ministerio aut famulitio id munus fuisse. *Scal.*

60 *Seu metuit tangi*] A crepitu flammæ mero obrutæ omina captabant: quod omnino voluit Epigramma Græcum: Ἤδη, φίλτατε λύχνε, τρὶς ἔπταρες. ἦ τάχα τερπνὴν Ἐς θαλάμους ἥξειν Ἀντιγόνην προλέγεις. Εἰ γὰρ, ἄναξ, εἴη τοῦθ' ἐτήτυμον, οἷος Ἀπόλλων Θνητοῖς μάντις ἔσῃ καὶ σὺ παρὰ τρίποδι: quæ plane hunc locum illustrant. *Scal.*

Seu voluit tangi, &c.] Interpretatio hujus moris ab Ovidianis exemplis petenda, ut, 'Sic ad tua verba revixi, Ut solet infuso crescere flamma mero.' Item altero: 'Ecce merum nutrix faustos instillat in ignes.' *Dousa P.*

61 *Illa dies hornis*] Ait, nisi hæc occurrerint, non esse locum sacrificio: sic boves alloquuntur imperatorem Antonium. Te jubemus salvere, imperator: sed, si vincis, omnino actum de nobis: Οἱ βόες οἱ λευκοὶ Μάρκῳ τῷ Καίσαρι χαίρειν. Ἢν δέ συ νικήσεις, ἄμμες ἀπολλύμεθα. Quod Epigrammation omnino explicant illa verba apud Senecam iii. de Beneficiis: 'Rufus vir ordinis senatorii intercœnam optaverat, ne Cæsar salvus rediret ex ea peregrinatione, quam parabat: et adjecerat idem omnes et tauros et vitulos optare.' Hornus autem in Epigrammate, ut alibi indicamus, est ὧρος. Annotinus, περυσινός: ab adverbiis horno et anno. Lucillius: 'Utrum anno an horno te abstinueris a viro.' Varro Eumenidibus: 'Quum in eo essem occupatus, atque in schola curarem inscribi: T. Scantius horno per Dionysia: quod ea die mea erat præbitio, in janua, cave canem, inscribi jubeo.' Locum autem Varronis apud Nonium divulsum conjunximus. Proverbium enim illud etiam apud Petronium legitur: 'Non longe,' inquit, 'ab ostiarii cella canis ingens catena vinctus in pariete erat pictus: superque quadrata litera scriptum: cave cave canem.' *Scal.*

62 *Succinctique calent ad nova lucra popæ*] Popas hostias percussisse constat ex Spartiano in Geta. Ideoque 'succincti' Epitheton additum est ab Ovidio, quoniam is erat habitus poparum. Sueton. in Calig. cap. xxxii. 'Admota altaribus victima, succinctus poparum habitu, elato alte malleo, cultrarium mactavit.' *Brissonius.* Vide Turneb. lib. xviii. cap. v.

63 *Pura triumphantes hasta sequatur eques*] Festus, 'Romani viros fortes sæpe hasta donarunt.' Cato apud eundem: 'Hastas donaticas, aliosque honores.' Istæ sine ferro erant, co-

que 'puræ' Latinis dictæ: sicut 'argentum purum,' cui nihil insculptum. 'Vestis pura,' cui nihil e purpura adtextum. Suetou. Claudio: 'Quem Britannico triumpho inter militares viros hasta pura donavit.' Virgilius, 'Ille, vides, pura juvenis qui nititur hasta.' Ibi Servius: 'sine ferro.' *Lips.*

71 *Portæ Capenæ*] Quia Deorum simulacra in portis.

72 *Subscribam: Salvo grata puella viro*] De subscriptionibus in votis et dicatis donariis vide supr. lib. II. Eleg. VII. et Eleg. XXI. item Brisson. lib. I. de Form.

ELEGIA IV.

1 *Tarpeium nemus et Tarpeia turpe sepulcrum*] Leg. Festum in 'Tarpeia,' et in 'Saxum Tarpeium,' qui sepultam illic scribit. Varro IV. de LL. Plut. in Rom. Livius lib. I. Dionys. lib. II. ubi honoris caussa illi sepulcrum conditum scribit ex Pisone, et quotannis ad id inferias solvi, crimenque proditionis resolvi. Leg. et Servius in VIII. Æn. Fuit et altera Tarpeia Vestalis tempore Numæ. Plut. in Numa.

7 *Hunc Tatius fontem vallo præcingit acerno*] Vid. Lipsius lib. v. de Mil. Rom. Dial. v.

9 *Curetis*] Sabini Curetes dicti ab urbe Sabinorum Curibus. Varro IV. de LL. 'Collis Quirinalis, ubi Quirini fanum, qui a Curetibus, qui cum T. Tatio Curibus venerunt Romam: quod ibi habuerunt castra.' Ergo Curetes et Cures dicuntur.

13 *Murus erant montes, ubi nunc est Curia septa*] Ingeniose Scioppius hunc versum ita emendat: *Mirus erat fons hic, ubi nunc est curia septa.* Sequitur enim Pentameter, qui Hexametri emendationem eam postulare videatur: 'Bellicus ex illo fonte bibebat equus.' Quod licet non improbem, tamen, quia plura mutantur et adduntur elementa, retinendam vulgatam lectionem esse censeo, præsertim cum referri possit hujus pentametri sententia ad superiores versus: 'Hunc Tatius fontem vallo præcingit acerno, Fidaque suggesta castra coronat humo.' Aliter si legis, cum proximis superioribus versibus cohærere minime poterit. Sic enim supra: 'Quid tum Roma fuit? tubicen vicina Curetis Cum quateret lento murmure saxa Jovis. Atque ubi nunc terris dicuntur jura subactis, Stabant Romano pila Sabina foro.' Romanæ urbis exiguitatem, et angustias circumvallante exercitu Sabino describit Propertius. Huc pertinet quod de tenui primordio urbis Romæ Ovidius lib. Fast. I. scribit: 'Dum populus pauper, dum nova Roma fuit, Dum casa Martigenam capiebat parva Quirinum, Et dabat exiguum fluminis ulva torum.' Quæ sequuntur inde sunt petenda. Loquitur autem Propertius de Capitolii saxo undique prærupto, quod instar muri esset; quare legendum ita: *Murus erant montes.* Posterior quoque pars hujus hexametri distinctione sic legenda est: Ubi nunc, Propertii scilicet ætate, est Curia, sub Romulo Rege bello Sabino septa, nimirum castra, et munitiones Sabinorum fuerant. Nihil igitur mutandum aut corrigendum hoc versu esse arbitror. *Jos. Castalio.*

26 *Tati*] Scribendum censeo *Titi;* et mox: *Dum captiva mei conspicer esse Titi:* nisi quod *conspicer ora* cum Gronovio reponi placet pro *esse.* *Titi,* quod Tatio prænomen, malo, ne Tatii nomen inconcinne repetatur: nam Tatii nomen paulo ante præcesserat et mox sequitur. *N. Heinsius ad Fast. l.* 1. *vers.* 260.

31 *Ignes Castrorum*] Stat. lib. IV. 'Noctisque per umbras Nunciat excubiis vigiles arsisse plateas.' Tacit. I. Ann. 'Apud Romanos invalidi ignes.' Liv. XXI. 'Pluribus ignibus quam pro numero manentium, in spe-

ciem factis.' Ac possis ad ignes referre; quibus cœnæ et corporum curandorum caussa utebantur, quo Diodorus ducit lib. XIX. de Eumene: 'Jussisse suos luculentam flammam facere, per intervalla circiter viginti cubitorum, tanquam ad cœnam curamque corporis; secunda vigilia minorem; tertia minimam; ut procul spectantibus vera castra viderentur.' Quos scilicet ignes ita structos in noctem et vigilias producebant, donec paullatim extinguerentur. Vid. Lipsium lib. V. de Mil. R. Dial. IX.

34 *Dum captiva mei conspicer*] 'Ἐλλησπισμός: hoc est, dum me conspicer esse captivam. Supra: 'Visura et quamvis nunquam speraret Achillem.' Catullus: 'Ait fuisse navium celerrimus.' *Scal.*

37 *Reponet amores*] *Reportet* mavelim potius, ut per amores suos haud aliud, quam semet ipsam regio amore sauciam designet. *Dousa P.*

39 *Scyllam*] Permiscet duas fabulas Scyllæ Nisi, et Scyllæ Phorci. Vid. sup. lib. II. Eleg. XX.

45 *Pallados extinctos si quis mirabitur ignes*] Multos incertos certare hanc rem vidimus, quid sibi Propertius velit hoc loco. Quid enim Palladi cum Vesta? inquiunt, qui sciant velim id ipsum ex ultimæ antiquitatis penu depromptum esse: quod ut aliquando perspicue planum ac clarum fiat, locum quendam Ovidianum adferemus, ubi de Palladis simulacro, sive Palladio agitur, quod Romæ in templo Vestæ asservari, inque ejus tutela esse scribit. Unde quid de Propertianæ lectionis veritate in posterum statuendum sit, vel cœco, Vestale igne clarius, patiturum confidimus. Sic itaque poëta iste Pelignus lib. Fast. V. 'Creditur armiferæ signum cœleste Minervæ Urbis in Iliacæ desiluisse jugo, [Forte *jugum*, vel *juga*,] (Cura videre fuit: vidi templumque locumque: Hoc superest illic; Pallada Roma tenet) Consulitur Smintheus; lucoque obscurus opaco Hos non mentito reddidit ore sonos: Æthereame servate Deam, servabitis urbem, Imperium secum transferet illa loci. Servat, et inclusam summa tenet Ilus in arce: Curaque ad hæredem Laomedonta venit, Sub Priamo servata parum: sic ipsa volebas, Ex quo judicio forma revicta tua est. Seu genus Adrasti, seu furtis aptus Ulysses, Seu pius Æneas eripuisse ferunt. Auctor in incerto est. Res est Romana: tuetur Vesta, quod assiduo lumine cuncta videt.' Vides hic signum Palladis ab æterno, omnituente, et pervigili Vestæ lumine, in Urbe Æterna, tanquam ab æditua sedulo [Quo pertinet etiam illud Propertii quod sequitur: 'At [Nam] Vesta Iliacæ felix tutela favillæ.' *Dousa F.*] custodiri asservarique, metuente scilicet ne quis secundus Ulixes forte obrepat, qui doctis dolis fatali se thesauro intervortat denuo. Idem lib. III. Trist. confirmatur aliquanto clarius: 'Hic locus est Vestæ, qui Pallada servat et ignem.' Sed et Palladios focos vocitat Prudentius lib. II. in Symmachum: est enim *ignis ille* Vestæ æternus vel teste Servio lib. IV. Æneid. 'In templo Jovis, qui æther est, et Minervæ quæ supra ætherem est, unde de patris capite procreata dicitur.' *Dousa P.*

48 *Tu cape*] Redde Propertio verbum *cave: Tu cave spinosi.* *Cave* a verbo antiquo 'cavo' tertiæ conjugationis. Ita scribendum esse sequentia evincunt. Neque aliter exstat in nonnullis membranis. *N. Heinsius ad Ovid. Artem. l. 2. p. 531.*

51 *O utinam magicæ nossem cantamina Musæ*] Imp. Constantius Cod. Theod. de malef. mathem. 'magicis cantaminibus adsuetus.' *Scal.*

55 *Sic hospes patiare*] Varie cruciarunt hunc locum βιβλιοστρέβλαι isti. Sed germana lectio est in nostro, *Sic hospes pariamne, tua regina sub aula.* Utrum apud te futura sim hospes an

regina, hoc est, concubina an materfamilias. *Scal.*

57 *Raptæ ne sint*] Sup. lib. II. Eleg. VII.

68 *Nescia nefariis*] Lege, *ne furiis:* duæ negationes unius vicem. Hoc superius exemplis confirmavimus. Terentius: 'Faciunt ne intelligendo ut nihil intelligant.' *Scal.*

72 *Strymonis*] Quomodo Strymonis prope Thermodoontem. An ibi Thermodoon, ubi et Strymon? Itane Amazon dicetur Strymonis? Abscissum sinum, mammam intelligit. Unde Titianus unimammas vocavit, referente Servio. *Scal.*

73 *Palilia*] Vide supra ad Eleg. v. lib. II.

78 *Trajicit immundas ebria turba dapes*] Leg. *immundos pedes.* Varro apud antiquum Persii interpretem ad Sat. I. 'Palilia tam privata quam publica sunt apud rusticos, ut congestis cum fœno stipulis ignem magnum transiliant, his Palilibus se expiari credentes.' Sed sic hunc locum emendandum esse vidit quoque N. Heins. ad IV. Fast. Ovid. v. 781. et Passeratius ad hunc loc. *Grævius.*

85 *Omnia præbebant somnos*] Versus sunt Varronis Atacini ex Argonauticis, quæ ad verbum vertebat ex Apollonio: 'Desierant latrare canes, urbesque silebant. Omnia noctis erant placida composta quiete:' quæ Poëta Græcus antea dixerat lib. III. Οὐδὲ κυνῶν ὑλακὴ ἔτ' ἀνὰ πτόλιν, οὐ θρόος ἦεν Ἠχήεις. σιγὴ δὲ μελαινομένην ἔχεν ὄρφνην. Ovidius dicebat meliorem fieri sententiam, si posterioris versus prius membrum abscinderetur ita: *Omnia noctis erant.* Cui sane valde simile hoc Propertianum: *Omnia præbebant somnos.* Sed, si melior fieret sententia, non tamen ad mentem Apollonii. *Scal.*

93 *A duce Tarpeio mons est cognomen adeptus*] Qui sæpe habitatores, sæpe etiam nomen mutavit, Mons Saturnius: uti 'Sæpius et nomen posuit Saturnia tellus.' Nam qui a Saturno Saturnius, a Carmenta Carmentalis, a Sp. Tarpeio arcis præfecto, ut quidam credidere, vel a Tarpeia Sp. filia vestali, ut aliis traditum, Tarpei appellationem sortitus est. Ταρφαῖον notat corrupte Stephanus de Urbibus: reliqui Græcorum castigatius Ταρπαῖον, Ταρπεῖον, aut Ταρπήϊον. Propertius diserte ab illis partibus: 'A duce Tarpeio,' &c. Sed reliqui omnes Tarpeiæ Virgini magis patrocinantur. Tertiam hujus Etymi caussam adducit Verrius Flaccus, vel ejus potius abbreviator Festus: 'Tarpeium appellatum aiunt partem montis, qui ob sepultam Tarpeiam ibi virginem, quæ eum montem Sabinis prodere pacta erat, ita nominatus est. Vel ab eo, quod quidam nomine L. Tarpeius Romulo Regi cum propter raptas virgines adversaretur, in ea parte, qua Saxum est, de noxio pœna sumta.' Vide omnino Just. Rycquii Comment. de Capitolio Romano cap. III. ubi multa de origine nominis Tarpeii montis habet, Fabulamque Tarpeiæ discutit, ejusque innocentiam ex scriptoribus probat.

ELEGIA V.

1 *Terra tuum*] Ita locum mendosum esse scribendum opinor: *Terra tuum spinis obducat, lena, sepulchrum, Et vetula invisam sentiat umbra sitim.* N. Heinsius ad 2. Fast. vers. 572.

8 *Antinoo*] Homer. lib. II. Odyss. Epithei filium esse ait, et lib. XVII. superbum inducit, et lib. XXII. primum omnium eum Ulysses interfecit.

11 *Quippe et Collinas*] Collinas Beroaldus non vult a Collina porta dictas, sed a collibus: in quo nimio argutior est. Nam extra portam procul hominum frequentia id faciebant, ut apud Horatium Canidia ad Exquilinam portam. De fossa magica habes apud Horatium in Epodo quinta, item in Satyra octava libri primi. *Scal.*

14 *Et sua nocturno*] Tale illud:

'His ego silvis Sæpe lupum fieri memini.' *Scal.*

16 *Cornicum immeritas eruit ungue genas*] Id est, cornicibus oculos effodit et exsculpsit, non revera, sed allegoricôs, ut recte notat Beroaldus. Proverbium est: 'Cornicum oculos configere,' quo utitur M. Tullius pro Muræna et pro Flacco. Macrob. cap. v. lib. vii. Satur. 'Græcum Græco eripiat hinc plausum, et tanquam cornix cornici oculos effodiat.' De astute eluso a callidiore. Sumptum Pierius in Cornice putat ex historia, qua dicuntur Areopagitæ puerum capitis damnasse, quod oculos cornicum studiosius erueret, rati id signum improbissimæ mentis. *Passer.*

18 *Hippomanes*] Vide Plin. lib. viii. cap. xlii. et xviii. cap. xi. Virgilius putat esse virus Georg. lib. iii. 'Hinc demum Hippomanes, vero quod nomine dicunt Pastores, lentum distillat ab inguine virus.' Aliter vetus interpres Juvenalis: 'Hippomanes, quod de equarum partu rapitur a fronte pulli, statim ut nascitur, quod mater ab eodem lambit.' Utebantur eo olim ad amores inducendos. Virgilius loco citato: 'Hippomanes quod sæpe malæ legere novercæ, Miscueruntque herbas et non innoxia verba.' Juvenalis Sat. vi. 'Hippomanes carmenque loquar, coctumque venenum, Privignoque datum?' Interpres ejus: Hippomanes datum in poculis ad amatorias res facit. *Meursius.*

19 *Exornabat opus*] Insinuatione utebatur, tanquam de re difficillima dicere aggressura esset. Proverbium est terere saxosam viam: hoc est, ire per saxosam viam. Horatius. 'Et Appiam mannis terit.' Et Propertius ipse: 'Cui sæpe immundo sacra conteritur via socco.' Quare Beroaldus fallitur, qui terere hic interpretatur, lævigare: quum sit proverbium, ut diximus, terere saxosam viam, pro eo quod est, in difficultatibus versari. Plautus allusit in alia re: 'Non meus scruposam victus commetat viam.' *Scal.*

21 *Si te eoa Dorozantum*] Hæc est scriptura libri nostri: legendum vero, *Dorixanium: Δωριξάνιον.* Finxit nomen puellæ, comice, ut Philocomasium, et similia. *Scal.*

23 *Euripylique*] Meminit Strabo lib. x. et xiii. Is Evæmonis filius Homero Il. β'. et λ'. cujus meminit et Pausanias Laconicis et Achaicis. Fuit et alter Telephi filius, de quo Strabo lib. xiii. Virg. ii. Æn.

25 *Seu quæ palmiferæ*] Vitreos calices Ægyptios intelligit. Martialis: 'Aspicis ingenium Nili, quibus addere plura Dum cupit, o quoties perdidit auctor opus.' Dicebantur hi calices ἀλλάσσοντες, quia, ut palumborum colla, ad omnem motum diversos colores efficiebant. Imperator Adrianus in Epistola ad Servianum: 'Calices tibi allassontes versicolores misi.' *Scal.*

26 *Murreaque*] Murrhina pocula hic significantur, quæ Propertius fictilia fuisse videtur existimasse, quum in Parthorum caminis coqui ea scribat, dissentiente Plinio xxxvii. ii. qui humorem putat sub terra concrescere, densarique calore, eumque lapidem erui et in vasa celari. *Dousa P.* Videndus omnino Bulengerus de Conviviis lib. iv. cap. xiii. Turnebus lib. viii. cap. i. et Salmas. Exercitat. Plin.

Murreaque] Nullus Veterum melius expressit, quid essent murrea pocula, quam noster Umber, qui dicit esse pocula cocta, non autem gemmea, ut Virgilius, Seneca, Plinius. Virgilius: 'Ut gemma bibat, et Sarrano dormiat ostro.' Seneca de Benef. lib. vii. cap. ix. 'Video murrina pocula. Parum scilicet luxuria magno fuerat, nisi, quod vomant, capacibus gemmis inter se propinarent.' Quomodo crystallus et vitrum vocatur gemma a Martiali et aliis, ita murrina gemmea dicuntur. Sed de veris gemmis Pli-

nius lib. 37. cap. 2. scribens inter eas murrina annumerat, scilicet quod ignoraret esse pocula ex Signino cocto apud Sinas facta, quæ nos *Porcellana* vocamus. Quare ridiculi sunt, qui ex Plinio *gemmea* hariolantur. Mirum vero Plinium ignorasse, quod tam perspicue Propertius dixit. Videtur autem murra vox Latina pro gemma antiquitus usurpari solita. Nam μόῤῥινα Arriano ἐν περίπλῳ τῆς Ἐρυθρᾶς θαλάσσης est Latinum. Sane Cassius Jurisconsultus negat vasa murrina in gemmis esse: l. 9. §. 6. de auro et arg. leg. *Scal.*

In Parthis] Plinius: 'Oriens murrina mittit. Inveniuntur enim ibi in pluribus locis, nec insignibus, maxime Parthici regni.' Sane his indicat murrina inveniri, et gemmas non coqui. *Scal.*

29 *Et simulare virum, pretium facit, &c.*] Idem ac si diceret: Assimulare, quasi maritus suus superventurus sit operi, ac verbis uti, quæ cupido ac turgenti nimium adultero veros metus ac præsentem terrorem incutiant, qualia sunt illa libri II. Eleg. XXIII. 'Timeo: propera jam surgere quæso; Infelix hodie vir mihi rure venit:' quo majore videlicet pretio inducat amatorem: hoc est, quod pretium facit, id est, lucrum atque emolumentum parit denique. Male proinde Canterus noster, qui amicum subaudiendum censet. *Dousa P.*

37 *Posita tu scribe cathedra*] Cathedra est, sella muliebris. Discretam eam fuisse a virili, satis mihi auctor Sueton. in Othone cap. VI. 'Tunc abditus propere muliebri sella in castra contendit.' *Lipsius.* Hinc cathedralicii pueri a cathedris fœminarum dicti sunt. Mart. lib. X. Ep. XIII. 'Cum cathedralicios portet tibi rheda ministros, Et Libys in longo pulvere sudet eques.' *Pignorius.*

43 *Sed potius mundi Thais pretiosa Menandri, &c.*] Lena præcipit puellæ, ut Comicam mæcham Menandri imitetur. Gebhardus *spatiosa* legebat apud Propertium, quæ spatio ac mora traheret amatores, sic intendens cupiditatem et pretium noctis. Sed Latinis hoc sensu eam vocem fuisse non arbitror. Neque opus corrigi, *prædosa.* Nam *pretiosa* hæc est ipsa, quæ magno habebatur, quæ magna mercede constabat, cujus pœnitere magno emebatur ab hominibus damnosissimis, ut et Passeratium accepisse video. *Gronovius in Observ. in Eccles. Script. cap.* II. ubi etiam de Thaide Menandri amica. Vid. sup. lib. II. Eleg. V.

47 *Janitor*] Janitores et ostiarii ideo fores observabant, quia sordidum videbatur appenso ut olim marculo eas pulsare. Vid. Pignorium lib. de Servis, &c.

51 *Aut quorum titulus*] Non intellexit morem hunc priscum Romanorum Beroaldus. Caput erat Ædilitii Edicti: TITULUS. SERVORUM. SINGULORUM. UTEI. SCRIPTUS. SIET. COIRATO. ITA. UTEI. INTELLEGI. RECTE. POSSIET. QUID. MORBEI. VITIEIQUE. QUOIQUE. SIET. QUIS. FUGITIVUS. ERROVE. SIET. NOXAVE. SOLUTUS. NON. SIET. Vide etiam Titulum ad Ædilitium Edictum in Pandectis Juris. Seneca de servis loquens: 'Cui dominus titulum impegit.' Hic Propertius scribit titulos illos unicuique ex collo aptos fuisse; ego reperio etiam in venalitio pingi solitos. Petronius: 'Ego autem collecto spiritu non destiti totum parietem persequi. Erat autem venalitium titulis pictum.' Venalitium vocat δουλοπρατήριον. *Scal.*

52 *Cælati medio*] Cælati proculdubio sunt signati, σεσημασμένοι. Nam mancipiorum pedes creta signabantur, si quidem privati hominis essent, heri sigillo: sin publica, reipublicæ. Xenophon περὶ Προσόδων: Ἀνδράποδα δὲ σεσημασμένα τῷ δημοσίῳ σημάντρῳ, καὶ προσκειμένης ζημίας τῷ τε πωλοῦντι καὶ τῷ ἐξάγοντι, πῶς ἄν τις ταῦτα κλέψειεν; Cælati ergo creta signati. In

Glossis: 'Creta, γυψώτις.' Lege γῆ σφραγίς. *Scal.*

Cælati medio] Miror maximum interpretem maluisse futilem lectionem explicare, quam, quod facillimum erat ipsi, emendare. 'Cælati,' inquit, 'creta notati.' Quis hoc legit unquam, 'cælare' poni pro, creta signare? Scribe confidenter: *Cretati medio*, id est, cretati vel ad pedes. *Gronovius.* Plin. cap. XVII. lib. XXXV. pedes venalium creta denotari solitos ait, trans mare advectorum; unde Tibull. 'gypsatos pedes' vocat Lib. II. Eleg. VI.

Quum saliere foro] In foro venalia prostabant mancipia: et saltare ac currere circum coronam solebant. Menander Ἐφεσίῳ: Ἐγὼ μὲν ἤδη μοι δοκῶ νὴ τοὺς θεοὺς Ἐν τοῖς κύκλοις ἐμαυτὸν ἐνδεδυκότα Ὁρᾷν κύκλῳ τρέχοντα καὶ πωλούμενον. Vides, dum præco venales prædicabat, interea solere saltare in circuitum per coronam, ut cognosceretur, qui essent, quos prædicabat præconium. Hic κύκλους intelligo coronas circumstantium in auctione: quanquam Harpocration vetus Grammaticus pro loco ipso, in quo vendebatur, accipi scribat: quod parum refert utro modo accipias. Nævius Agitatoria: 'Age, ne te mihi advorsari dicas, hunc unum diem, Demea, securos sinam illos esse: tax pax: postea Currentes ego illos omnes vendam, nisi tu viceris. *D.* Eho an vicimus? *A.* vicistis. *D.* volup: quomodo? *A.* Dicam tibi.' Hic currentes servos ait vendi solere, ut supra Menander τρέχοντας. Quare salientes et currentes idem vides esse: et hoc solere facere mancipia, quum ad vocem præconis jubebantur saltare, et eis plaudebat præco ipse: qui eos, ut portisculus remiges, incentivo citabat. Canebant, enim, ut saltabant. Persius: 'Cappadocas rigidos pingui pavisse catasta.' Ibi reliquiæ veteris interpretis Cornuti: 'Legitur,' inquiunt, 'ET PLAUSISSE: quoniam venales, ante quam in catasta imponantur, cantant universi pariter more gentis suæ.' Hactenus Cornutus. Habes igitur vetustum morem venalium: atque adeo enarrationem istius distichi, cujus sententiam assequi non poterat Beroaldus. Porro et his et superioribus similia invenies apud Ovidium, ut: 'Nec tu, siquis erit capitis mercede redemtus, Despice damnati nomen inane pedis.' *Scal.*

68 *Horruit algenti pergula curta foco*] Sic Martialis: 'Alget et instincto clausa culina foco.' Inepte vero Beroaldus hic mutaverat *pertica curva*, pro *pergula curta*. Sed ne bene quidem Turnebus, vir doctissimus, qui pergulas publicas interpretatur, et talem hanc ait: quum tamen pergula sit hic tuguriolum, ut apud Ausonium: 'Vilis arundineis cohibet quæ pergula tectis:' neque vero ullæ unquam pergulæ publicæ, ut ipse videtur velle: quum pergula fuerit tantum appendix ædificii ut in Ausonianis lectionibus ostendimus: unde Pergula περιφάνη vertitur a Glossariis, quod, quæ in ea exposita essent, in conspicuo essent. Pergulæ ædificiorum publicum spectabant: ob id artifices et magistri, qui minus noti erant, in illis primum solebant opera sua proponere, aut docere, ut populo innotescerent. Juvenalis: 'Sed nec structor erit, cui cedere debeat omnis Pergula.' Ubi pergula est, quod Græcis τέγος, ἤγουν οἴκημα προσγεῖον, quale est, in quo mulieres, quæ sub lenonum imperio, prostabant, publicarum libidinum, ut Tertullianus loquitur, victimæ. Plautus Pseudolo: 'Cras faciam deportere in pergulam.' Unde Græcæ dicuntur, ἑταῖραι ἐπὶ τέγους. Ita vocatur Helena scortum Simonis Magi apud Justinum Martyrem. Ἀπὸ στέγους dixit Epiphanius in Manichæis, ἀνελόμενος τοῦτο [γύναιον] ἀπὸ τοῦ στέγους. ἔστηκε γὰρ ἡ τοιαύτη ἐν τῇ πολυκοίνῳ ἀσεμνότητι. Polybius apud Sui-

dam: Ταύτην δὲ τὴν λοιδορίαν καὶ τὰς ἀμφάσεις οὐχ οἵαν ἄν τις διέθετο πεπαιδευμένος ἀνὴρ, ἀλλ' οὐδὲ τῶν ἀπὸ τοῦ τέγους ἄχρι τοῦ σώματος εἰργασμένων οὐδείς. Intelligit qui omnia meritoria habent et corpus et pergulam: qui, ut ex cœnaculis, ita ex corpore quæstum facerent. Sybilla: Ἄρσην δ' ἄρσενι πλησιάσει, στήσουσί τε παῖδας Αἰσχροῖς ἐν τεγέεσσι. Item: Καὶ τέγεσιν πόρνας ἐστήσατε τὰς πάλαι ἁγνάς. *Scal.*

Horruit algenti pergula tecta foco] Pauperes, quibus cella non erat nec domus, interdum in pergulis habitabant, in quibus etiam vilissima scorta et omnium libidini prostituta merebant. Plaut. in Pseud. Sc. 'Exite hinc. Te ego ipsam culeo cras faciam deportere in pergulam.' Sic et Crassitius libertinus pauper Grammaticus, cui per inopiam habendæ in ædibus Scholæ potestas non erat, docuit in pergula. Sueton. de Illustri Grammat. *Turneb.*

Tria sunt pergularum genera, ut colligitur ex Scaligero in Ausonium; unum, ædificiorum appendix, vulgo *Galerie*, sed quæ publicum spectaret: alterum, casula, sive tuguriolum, ut hic: tertium, in opere topiario, vulgo *Une treille*, quod sub ea tecti pergimus et inambulamus, ut apud Columellam. Ulpianus quoque l. Hæres, §. Proinde: De Judiciis: 'Tabernulam, pergulam, officinam, horreum conducere.' Interpres Juvenalis in Sat. XI. 'Pergula, qua beletaria ponuntur.'

Horruit] Liber vetus, *Horruit algenti tegula curta foco:* ut et recte legit Salmasius, non *pergula*. Idem Eleg. 7. 'Læsit et objectum tegula curta caput.' *N. Heinsius ad Ovid. 2. Fast. vers. 645.*

72 *Quum fallenda meo pollice clatra forent*] In nostro mendose, CULTA FOMENT. Forsan, *clustra*, pro, claustra. *Scal.*

74 *Caprifico*] Discimus hinc Veteres optasse caprificos sepulcris eorum quos oderant: quo et illud pertinet, 'At quæ Discutienda valent sterilis mala robora ficus.' Sed e tumulis eorum, quos habebant caros, sentes et dumos excidere purgareque solebant. Infr. Eleg. VII. 'Pelle hederam tumulo.' *Turneb.*

75 *Quisquis amas scabris hoc bustum cædito saxis*] Recte. Nam prætereuntes busta eorum, qui in publica detestatione erant, lapidibus petebant. Ausonius: 'Crimen ob istud Timon Cecropiis olim lapidatus Athenis:' id est, publice diris incessitur, et ejus sepulcrum lapidibus petitur. Argentarius poëta: Ἀλλὰ λίθους ἐπὶ τύμβον, ὁδοιπόρε, μήτε σὺ βάλλε, Μήτ' ἄλλον πείσῃς. σῆμα λέλογχε νέκυς. Φαίνει δ' οὐχ ὅτι κέρδος ἐπήνεσεν, ἀλλ' ὅτι κοινὰς Θρέψας, μοιχεύειν οὐκ ἐδίδαξε νέους. Contra igitur ac Propertius. Deprecatur enim, ne tumulo lenonis fiat, quod solebat fieri, id est, saxis cædi. Euripides Electra: Ἐνθρῴσκει τάφῳ, Πέτροις τε λεύει μνῆμα λάϊνον πατρός. Qui locus diserte hunc Propertii interpretatur. *Scal.*

Scabris hoc bustum cædito saxis] Cædere et saxis busta eorum solebant, qui invisi fuerant. Eodem Maronis illud pertinet, 'Monte sub hoc lapidum tegitur Ballista sepultus.'

Addite verba mala] Supr. lib. II. Eleg. VII.

ELEGIA VI.

1 *Sint ora faventia sacris*] Vid. Tibull. lib. II. Eleg. II.

3 *Cera Philetæis*] Omnino legendum, *Serta*, non *Cera*. Corona, inquit, Romana certet coronæ Philetææ. Nam cera hic locum non habet, neque scriptio. Sed sacra facturi στέφανον καὶ χέρνιβα adhibebant. Illum a Phileta, hanc a Callimacho petit. Sic alibi serta pro corona: 'Quum tua præpendent demissæ in pocula sertæ.' Siquis vulgatam lectionem retinere mavult, *Cera* erit, imago Poëtæ. Itaque dicit suam imaginem

cum illa Philetæ certare: ederas suas cum corymbis Philetæ. Nam imagines poëtarum edera coronatæ. Ovidius: 'Siquis habes nostris similes in imagine vultus, Deme meis ederas Bacchica serta comis.' Persius: 'Quorum imagines lambunt Ederæ sequaces.' *Scal.*

4 *Cyrenæas urna ministret aquas*] Strabo lib. XVII. docet Cyrenen a Theræis conditam, qui ex Laconica profecti Theram insulam coluerunt, quæ Thera olim Callista dicebatur; subjicitque versus Callimachi; 'Nomine Calliste primum, sed postmodo Thera Dicta fuit tellus, urbis origo meæ.' Addit Cyrenen perhiberi a Batto conditam, quem πρόγονον et proavum suum vocet Callimachus. Inde a Poëtis dicitur Battiades. Multa illic Strabo de Cyrenis. Vide et Plin. lib. V. cap. V. et ipse Callimachus Cyrenæum se inscribit, suæque patriæ sæpe alias meminit. *Passerat.*

6 *Torque focum circa*] Quid sit, quæratur. Nam hunc ritum plane ignoro. Beroaldus hic mihi risum sustulit. Hoc unum asserere possumus, quod hic de laneo orbe dicitur, id Græcis esse κανοῦν κύκλῳ βωμοῦ εἱλισσειν. Euripides Hercule Furente: Ἐν κύκλῳ δ' ἤδη κανοῦν Εἵλικτο βωμοῦ. φθέγμα δ' ὅσιον εἴχομεν. Κανοῦν, id est, canistrum, in quo mola salsa et quædam alia erant ad sacrificium pertinentia, circum aram in orbem circumferebant. Semper Romæ puer ingenuus, qui Camillus dicebatur, et ipse quoque cumerum gestabat, quod nihil aliud est, quam τὸ κανοῦν Græcorum. Sed non legimus circumferri. Deinde quis est laneus orbis, nisi glomus? Itaque hic ritus latet penitus mihi incognitus. *Scal.*

Torque focum circa laneus orbis erat] Sive potius, ut Dempstero placuit, *focum circum*. Sententia est: Corolla, quam Ovidius 'laneam vittam' similiter nuncupat, ter cingat focum. *Voss.*

7 *Spargite me lymphis*] Nam suas περιῤῥαντήρια habebant. Εἰς χερνίβα conjecta et extincta face, aqua illa spargebant se. *Scal.*

8 *Tibia Mygdoniis libet eburna cadis*] Et hic quoque Beroaldo per me tacere licuisset. Nos in Ætnam de Pithaulis hunc locum interpretati sumus: qua meliorem interpretationem nemo attulerit. Sed tamen non ita amamus nostra, ut, si melior in mentem veniat, non eam in vulgus proferamus. Ego interpretor Cados hic non πίθους, sed τοὺς Κάδους, populum et urbem Mygdoniæ. 'Tibia Mygdoniis Cadis' dictum, quomodo Plauto Hospes Zacyntho, Varroni vinum Lesbo. Intelligit ergo hic Phrygiam tibiam. Phrygia tibia cantet, hoc est, tibia τὸν Φρύγιον νόμον cantet. De Cadis Mygdoniæ urbe vide Strabonem. Scribendum igitur hic majuscula *C*. Nisi quis de Pithaulis intelligat, ut olim exposuimus. De quibus Turnebus interpretatur locum Horatii: 'Qui Pythia cantat.' At tunc πιθαῦλαι essent, non πυθαῦλαι. *Scal.*

11 *Palatini referamus Apollinis ædem*] Templum, quod Actio Apollini struxit dicavitque in Palatio Augustus. Augustus in Breviario Rerum a se gestarum: 'Calchidicum templumque Apollinis in palatio cum porticibus [feci].' Sueton. in Aug. cap. XXIX.

17 *Actia Juleæ pelagus monimenta carinæ*] Festus in 'Monimentum:' 'Monimentum est quod mortui caussa ædificatum est, et quidquid ad memoriam alicujus factum est, ut fana, porticus, scripta, et carmina.' Ergo recte hic 'monimenta' propter templum Apollinis Actii, Urbem Nicopolin, Coloniam Actiam, et Actiacos ludos. *Passerat.*

19 *Huc mundi coiere manus, &c.*] De hac re videndus Dion. lib. L. Virg. VIII. Æn. et Plut. in Antonio.

21 *Teucro damnata Quirino*] Quæ

addicta jam et adjudicata Augusto. Servius in illud Virgil. lib. I. *Æn.* 'Remo cum fratre Quirinus:' 'Adulans populus Romanus Octaviano, tria ei obtulit nomina: utrum vellet Quirinus, an Cæsar, an Augustus vocari. Ille ne unum eligendo partem læderet, quæ aliud offerre cupiebat, diverso tempore omnibus usus est. Et primo Quirinus dictus est, inde Cæsar, postea, quod et obtinuit, Augustus. Sicut Suetonius probat et in Georg. Virgilius ostendit.'

25 *Acies lunarat in arcus*] De acie lunari videnda Æliani Tactica.

28 *Nam tulit iratos*] Callimachus Hymno in Apollinem, et Pindarus. Item vetus Poëta: Ἀλλ' ὅτε Λατὼ Ὠδὶς ἱερὰ λάζετο δῖαν Διδύμων τοκετῶν ἔνδοθι σηκῶν, Ἵστατο μὲν γαῖ', ἵστατο δ' ἀὴρ Πᾶς ὀρθοθύνων. Πάγνυτο νῆσος, πάγνυτο κῦμα, Ἀνὰ δ' ἐξέθορες, μάντι Λυκωρεῦ Τοξότα Φοῖβε, Κατὰ χρησμολάλων βασιλεῦ τριπόδων. *Scal.*

35 *Solvit Pythona*] Quia Pythonem solvit Apollo, dicitur ab Orpheo in Hymnis Πυθοκτόνος. Is Python in Hymno Apollinis ab Homero dicitur 'Typhaon,' ubi fabula narratur. Delphin dicitur Dionysio de Situ Orbis; unde urbs Delphi; et apud Tibullum mixto utroque nomine 'Delphica Pytho.' Vide Apollod. lib. I. Et Plin. cap. VIII. lib. XXXIV. Pausan. in Phocic. latronem fuisse narrat cognomento Draconem. Et Strabo lib. IX.

42 *Imposuit proræ*] Vota insculpebantur aut inscribebantur in cera in genubus statuarum.' Juvenalis: 'Propter quæ fas est genua incerare Deorum.' Apuleius: 'Votum in alicujus statuæ femore assignasti. Igitur magus es, aut cur obsignasti?' In prora erat tutela navis. Quid sit tutela navis non pauci sciunt. *Scal.*

Imposuit proræ publica vota tuæ] Apuleius lib. XI. 'Hujus alvei felicis nitens carbasus literis votum ingentibus progerebat. Eæ literæ votum instaurabant de novi commeatus prospera navigatione.' Hic votum in carbaso et velo navis. Quomodo ergo vota in prora? quia et in prora velum, quod mendicum dicitur. Festus in 'Mendicum.' *Passerat.*

Imposuit proræ] Allusit ad morem navigantium, qui tabulis affigebant sua vota. Continebat autem hæc tabella non tantum vota, sed mercedem: quam Diis soluturos se vovebant, si voti compotes facti essent. Cicero secundo de Legibus. Horat. lib. 3. Ode 29. Et Satyrice Persius Sat. 2. 'Non tu prece possis emaci, Quæ nisi seductis nequeas committere Divis.' Compotes autem votorum eas tabellas solvebant, h. e. lacerabant, ac Diis reddebant ea, quæ daturos se promiserant. Manilius lib. 5. 'Araque cœlestum cui vota resolvit Olympus.' *Rutgersius lib.* v. *Var. Lect. cap.* 5.

45 *Et nimium remis audent prope turpe*] Scribe: *Proh turpe.* Scal.

47 *Centenis remigat alis*] Hic alas ταρσοὺς exponit. Sunt remorum ordines. Ait centenos utrinque remos fuisse. Non tamen ideo ἑκατήρη putes dici, ut dicitur, τριήρης, πεντήρης, ἑκτήρης, δεκήρης. Nam tum a numero remigum ad singulos scalmos dicitur. *Scal.*

56 *Proxima, &c.*] *Fuit* frigide nunc legitur; corrigo *furit*. N. Heinsius ad 2. Fast. vers. 751.

59 *At pater Idalio*] Bæbius Macer: 'Circa horam octavam stella amplissima quasi lemniscata corona orta est: quam quidam ad inlustrandam gloriam Cæsaris juvenis pertinere existimabant. Ipse animam patris sui esse voluit: eique in Capitolio statuam super caput auream stellam habentem posuit. Inscriptum in basi fuit: ΚΑΙΣΑΡΙ ΗΜΙΘΕΩ. Sed Vulcanius aruspex in concione dixit Cometen esse, qui significaret exitum noni sæculi, et ingressum decimi: sed quod invitis Diis secreta rerum pro-

nunciaret, statim se esse moriturum. Et nondum finitâ oratione in ipsa concione concidit. Hoc etiam Augustus in libro secundo Memoriæ Vitæ suæ complexus est.' Hactenus Bæbius Macer. *Scal.*

61 *Triton*] Neptuni et Amphitrites filius. Higin. p. 1. Hesiod. Theog. 191. Apollod. lib. 1. Servius in 1. Æn. Neptuni et Salaciæ filium facit. De ejus forma Pausan. in Bœoticis.

69 *Bella satis cecini, citharam jam poscit Apollo*] Nam eidem et sagittas et citharam attribuunt. Callimachus: Φοῖβος διστευτὴν ἔλαχ' ἄνερα, Φοῖβος ἀοιδόν. Lege: Φοῖβος διστευτὴν ἔλαχεν βία, Φοῖβος ἀοιδήν. *Scal.*

72 *Blanditiæque fluant*] Omnino legendum, *Blanditæque*. Plinius libro quinto et vicesimo: 'Radicem silvestris rosæ, quam Cynorrhodon vocant, blanditam sibi aspectu in frutecto.' Sic Tibullus: 'Blanditis vult esse locum Venus ipsa querelis.' Sic dictum a Propertio 'blandos turis honores:' θυμήρεας, θυμηδέας. *Scal.*

74 *Terque lavet nostras spica Cilissa*] Et Ovidius: 'Et sonet accensis spica Cilissa focis.' Jam comitia Criticorum convenerunt, utrum de croco an de nardo hic intelligendum esset. Et tandem de nardo et prærogativæ et jure vocatæ suffragium tulerunt. Sed ego eorum magistratuì vitio creatos observavi. Itaque eorum nullam rationem habendam censeo. Nam, si apud Ovidium spica Cilissa est crocus, erit et hic apud Amerinum nostrum. Quod enim de nardo intelligi non possit, fidem fecerit, quod nardus Cilicia spicam non habet. Quod autem in ara crocum incenderetur, id vero testatur Tertullianus libro de Cultu Mulierum: 'Crocum capiti mulier Christiana ingerit, ut in aram: quodcunque enim immundo spiritui excremari solet, id nisi probis et necessariis usibus adhibeatur.' En locupletem auctorem, qui omnem evictionem præstet. Quia in croco spica vocatur, id quod in allio: quanquam non id cremari solere certus sim; sed συνεκδοχικῶς ita totum crocum vocatur. Jam nardi Ciliciæ nulla spica, sed Indicæ: et sero, ut puto, in Indico spica vocatum est id, quod radix est verius, quam spica. Idque Latinum potius est, quam Græcum, bulbos radicum spicam vocare; quare puto in eo Græcos sequutos esse Latinorum idioma. Nam sane talis nulla est spica aut bulbus nardi Cilissæ; quæ ejusmodi erat, ut propter brevitatem in fasciculos colligi aut constringi non posset, sed in sacculos congerebatur: quo nomine dicta θυλακῖτις. Nicander Alexipharmacis: 'Αλλά σὺ πολλάκι μὲν σταδίην εὐανθέα νάρδον 'Ρίζεα θυλακόεντων ἀπάζεο, τήν τε Κίλισσαι Πρηῶνες ἀλδαίνουσι περὶ πλημμυρίδα Κέστρου. Θυλακόεσσαν intelligit, hoc est Κιλίσσαν, et, ut Dioscorides vocat, ὀρεινήν. Quare diligenter hoc considerandum atque observandum; spicam Cilissam hic esse bulbum croci, quanquam pro croco ipso accipitur, ut spicam nardi esse bulbum nardi Indicæ. Græci quidem νάρδου στάχυν dicunt, sed non κρόκου στάχυν, neque σκορόδου στάχυν. Quare apparet, ut dixi, imitatione Latinorum seplasiarios Capuæ, et eos sequutos omnes Græcos id spicam dixisse. Contra στάχυς Græcis est, quicquid nucamenti modo compactum mucronato fastigio semen inclusum gerit, quod præcipuum in frugibus Cerealibus: a quarum similitudine Græci μιζοτέρους in thymo, stœchade, et similibus στάχυν ponunt. Dioscoridis sunt verba de Epithymo nondum a quoquam intellecta. Ea ego in gratiam τῆς ὕλης ἰατρικῆς studiosorum ponam. 'Επίθυμον, inquit, θύμου ἐστὶν ἄνθος τοῦ σκληροτέρου καὶ θύμβρᾳ ἐοικότος. ἔχει δὲ κεφάλια λεπτὰ, κοῦφα, οὐραγοὺς ἔχοντα, ὡς τρίχας. Hic diligentiss. vir, atque Latinitatis observantissimus, Joannes Ruellius et se et alios in magnos difficultatum

anfractus induit, quum vertit: 'Capitula habet tenuia, et levia, et in eis caudiculas, quasi capillamenta.' Οὐραγοὺς vertit 'caudiculas.' Dupliciter lapsus est, et quum putat deminutivum οὐρᾶς esse οὐραγοὺς, et quum putat caudiculas deminutivum caudæ Latine posse deduci. Neque hoc satis. Nam quot lites inter Rhizotomos sevit hæc interpretatio, aliis Græce nescientibus, aliis lanam caprinam somniantibus? Miseret me eorum, qui Dioscoridem tractant, et Græce nesciunt. At Dioscorides non figuram Epithymi hic nobis proponit, sed thymi illius, qui Satureiæ similis est: qui in Cappadocia et Pamphylia frequentissimus sponte nascitur. Non, inquam, Dioscorides epithymum describit nobis, neque capillamentum illud, quo thymum quoque involvi certum est: et quod ne Plinius quidem ignorasse videtur, sed thymum ipsum Cappadocem et Pamphylium. In quo multum decepti sunt isti immanium Commentariorum consarcinatores, qui maluerunt pertinaciter verum oppugnare, quam quid vellet Dioscorides diligenter pensitare. Sed quid pensitassent homines et Latine et Græce ignari? Quibus id facile ignosco, quia et nemo hactenus errorem insignem in Dioscoridis verbis deprehendit. Nam pro οὐραγοὺς ἔχοντα ὡς τρίχας, legendum aio, οὐριαχοὺς ἔχοντα ὡς στοιχάς. 'Epithymum,' inquit, 'est flos e thymo duriore satureiæ simili, capitulis tenuibus, levibus, mucronata cuspide, quali stœchadis.' Ita enim vertendum erat. Nam Dioscoridis Epithymum neque est capillamentum, de quo supra dixi, neque hic illum nisi de spica thymi agere certum est, sed illius thymi, qui tantum satureiæ similis est. Nam et thymus στάχυν habet, ut et fæx Pharmacopœorum scit, et testatur Nicander περὶ γάλακτος ἐμπυτιασθέντος, quum ait: Ἠὲ νέον βρυόεντα θύμου στάχυν. Et stœchas ad ejus instar στάχυν habet. Dioscorides de stœchade, ὁμοίαν ἔχουσα κόμην θύμῳ: et αὐτοψία id docet. Ergo Epithymum Dioscoridis tantum capitulum et spica thymi durioris est ac thymbram referentis. Intelligo thymbram, quam Veteres κεφαλωτὴν vocabant, quia κεφάλια, ut hic thymus, habet. Serenus: 'At thymbræ speciem, quam commemorant Cephaloten.' Οὐριαχοὺς igitur vocat spicas a similitudine cuspidum in sibynis, et hastis, quæ Homero et οὐριαχοὶ et σαυρωτῆρες dicuntur. Eleganter igitur ait capitula illa thymbræ esse mucronato fastigio instar cuspidum: imo ipsa fastigia cuspides vocat. Nos igitur, Dei virtute, primi maximam caussam errorum et periculosæ ignorantiæ ex bono scriptore sustulimus, quæ doctorum hominum ingenia hactenus exercuit, idque propter ignorationem hujus partis humanitatis, quam Criticen vocant. Tanti momenti est errores veteres, qui jamdudum in bonis auctoribus inoleverunt, odorari posse. Quare non est quod posthac quisquam in Dioscoride cum Ruellio, aut ullas caudiculas, voces Latino cælo ignotas, neque nescio quos pilos harioletur. Omnia plana sunt, omnia illustria, ac perspicua. Οὐριαχοὶ igitur hic sunt spicarum mucrones. At spicæ nardi et spicæ allii alia ratio, quam reddere non possum: at illam recte possum. Nam quicquid in acumen desinit, Veteres spicum vocabant: unde deminutivum 'spiculum,' et verbum 'inspico:' ut 'Ferroque faces inspicat acuto.' Et sane οὐριαχὸς nihil aliud quam spicum. *Scal.*

Spica Cilissa] De croco igitur intelligendum: quod in aris cremari solitum ostendimus. Ovidius, quum de aromatis, quæ sacris adolerentur, loquitur: 'Nec fuerant rubri cognita fila croci.' *Scal.*

75 *Ingenium positis irritet*] Lege *potis irritat*: est γνώμη. *Scal.*

78 *Cepheam hic Meroën, &c.*] De

Meroë insularum, quas Nilus efficit, maxima, et capite Æthiopici regni, Strabo lib. I. et XVII. Plin. cap. LXXIII. lib. I. Est et oppidum ejusdem nominis, Plin. cap. XXIX. lib. VI. Dicta Meroë a Cambysis matre. 'Cepheam,' in qua Cepheus pater Andromedæ regnavit.

ELEGIA VII.

9 *Beryllon*] Lege Plin. lib. ult. cap. V. Isidor. lib. XVI. cap. VII.

11 *At illi Pollicibus fragiles increpuere manus*] Non cuivis obvium, quid velit Amerinus noster. Sed proculdubio erat gestus componentium se ad dicendum. Petronius: 'Intrat cinædus homo omnium insulsissimus, et plane illa domo dignus, qui, ut infractis manibus congemuit, ejusmodi carmina effudit.' Idem: 'Retexit superbum pallio caput, et manibus interius in articulorum strepitum constrictis, Quænam est, inquit, hæc audacia?' Hodieque multos id facere, antequam loquantur, videmus. At qui convocatis viris, aut alioqui verba facere volebant, alia signa habebant, quibus sibi audientiam faciebant: ut in Actis Apostolorum Paulus τὴν χεῖρα κατασείσας populum κατασιγάζει. Antiquitus prætento pollice, medico et auriculari depressis, ac mediis duobus indice et infami erectis, significabant se verba facere velle ad populum. Apuleius Milesia II. 'Ac sic aggeratis in cumulum stragulis, et effultus in cubitum, subrectusque in torum porrigit dexteram: et instar oratorum conformat articulum, duobusque infimis conclusis digitis, ceteros eminentes porrigit, et infesto pollice clementer subridens infit.' In numismate Consecrationis Constantini, anima Constantini nuda, linteo amicta, quadrigis vehens, in cælum porrecta brachio recipitur, alia manu ex cœlo existente, ad hunc gestum conformata, pollice scilicet infesto duobus sequentibus junctis, duobus vero reliquis depressis; qui est gestus Episcoporum benedicentium. Infra sunt literæ CONS. id est, Consecratio. Omnes enim Consecrationes illo sæculo ita exprimebantur, ut imperatoris anima dextra Jovis porrecta exciperetur. In Panegyrico Constantino Magno dicto: 'Vere enim profecto illi Superum templa patuerunt: receptusque est consessu cœli, tum Jove ipso dextram porrigente.' Fulgentius Placiades libro de Continentia Virgiliana, non pollice prætento, sed compresso: 'Itaque compositus in dicendi modum, erectis in iotam duobus digitis, tertium pollicem comprimens, ita verba exorsus est.' Itaque Episcopi eo gestu olim in loco, qui Salutatorium dicebatur Latinis, ἀσπαστικὸν Græcis, alloquebantur populum, et benedicebant eum. *Scal.*

15 *Vigilantis tecta Suburræ*] Scribe, auctore vetere libro, *vigilacis*: quo verbo Jurisconsultus utitur. *Scal.*

20 *Fecerunt tepidas*] Huic pentametro subjungendum distichon: 'Nec crepuit fixa me propter arundine custos.' *Scal.*

21 *Fœderis heu taciti*] Σχετλιαστικῶς cum genitivo Græco more: Οἴμοι τῶν σπονδῶν. Plautus: 'Di immortales mercimonii lepidissimi.' *Scal.*

22 *At mihi non oculos quisquam inclinavit*] Noster, INCLAMAVIT. Tangit morem claudendi oculos morientis cum inclamatione nominis illius. *Scal.*

23 *Euntes*] *Hiantes* opinor reponendum esse: quo verbo sæpe utitur Propertius: sic 'hiantem calamum,' et 'hiantes flores,' et 'morsus hiantes' alibi. Perperam Scaliger *inclamavit* pro *inclinavit*. N. Heinsius ad Metam. lib. 7. vers. 155. Nihil mutandum: dixit *euntes*, sicut Ovid. 'fugientes.' Eleg. in Tibul. 'Hic certe manibus fugientes pressit ocellos Mater.' *Gebhardus;* qui et ritum mortuorum oculos claudendi illustrat.

24 *Unum, &c.*] Unus dies Protesilao impetratus est, quo ad superos rediret. Rem narrat in Dialogis Mortuorum Lucianus. Huc allusisse videtur Propertius. *Heinsius.*

25 *Nec crepuit fissa*] Lege FIXA. Neque, inquit, propter amores nostros evenit id, quod alias solet, ut aut janitor ex insidiis vulneratus sit a te, neque tegula a nostris tectis in caput tuum missa sit. *Scal.*

29 *At illud*] Legend. credo *illuc:* nempe, ad portas usque. *Dousa P.*

31 *Cur ventos non ipse rogis*] Mos Romanus. Herodianus libro quarto. Sed id prius ex Græca superstitione. Homerus: *Ἔνθ' αὖτ' ἄλλ' ἐνόησε ποδάρκης δῖος Ἀχιλλεὺς, Στὰς ἀπάνευθε πυρῆς δοιοῖς ἠρᾶτ' ἀνέμοισι Βορέῃ καὶ Ζεφύρῳ, καὶ ὑπέσχετο ἱερὰ καλά. Πολλὰ δὲ καὶ σπένδων χρυσέῳ δέπαϊ λιτάνευεν Ἐλθέμεν, ὄφρα τάχιστα πυρὶ φλεγεθοίατο νεκρὸν, Ὕλη τ' ἐσσεύοιτο καήμεναι.* *Scal.*

Cur ventos non ipse rogis, ingrate, petisti] Rogo jam incenso ventos petebant, qui flammam ardentiorem suscitarent alerentque, ut ita cadaver rogo impositum facilius citiusque absumeretur. Plut. in funere Syllæ: 'Sub solis exortum, cum nubilus dies esset, et pluviæ exspectarentur, nona demum hora funus elatum est. Ibi ventus cum procella in rogum incubuit, multaque flamma excitata corpus cremavit. Vix rogus absumptus, ignisque sopitus, cum ingens effusus imber usque ad noctem duravit, ut videatur fortuna ejus viri etiam sepulcrum præsens adjuvisse.' Vide Herodian. lib. IV. Sed id prius ex Græca superstitione. Vid. Homer. Iliad ψ. in funere Patrocli. *Kirchmannus.*

32 *Cur nardo flammæ non oluere meæ*] Odores acervatim in rogum fuisse conjectos ex innumeris autorum locis videre est. Cic. II. Leg. 'Sumptuosam respersionem' vocat, ac XII. Tab. prohibitam asserit. Plin. lib. XII. cap. XVIII.

34 *Injicere et fracto*] Duo disticha, quæ sequebantur, alio pertinent. *Scal.*

35 *Lygdamus uratur*] Μίμησις ex persona ipsius novæ amicæ. Uratur Lygdamus, quia consuluit sagam Nomada super nova amica, quæ fortasse ad ejus interitum spectabant: aut tale quid. Nam constat hoc velle Propertium; sed cujusmodi fuerit id, pro quo lustrales salivas Nomas saga moverit, id vero neque scio, neque admodum refert utrum sciam, an nesciam. *Scal.*

Candescat lamina] Supplicii genus notat, quo antiquitas utebatur. Unde ait Valerius in Theodoro: 'Hieronymus tyrannus laminas extinxit.' Quintilianus in Gladiatore: 'Ille accendebat laminas ignibus:' et hujus tormenti crebra est mentio apud Ecclesiasticos scriptores. *Beroaldus.*

36 *Sensi ego quum insidiis pallida vina bibi*] Verba non μιμητικὰ, sed ipsius Cynthiæ. Est autem parenthesis, et legendum *bibi*, non *bibit*. Has voces imperiosæ pellicis audivi egomet, inquit, quum tacite bibi χοάς. Nam inferium vinum, quod Græci vocant χοὰς, 'pallida vina' dicit: 'pallida' ob mortuos, ad quos pertinet id vinum. Vini autem illius odore putabant elici animas ad bibendum, ut illa bibula anus Plautina facit, cujus nares flos meraci Libyci percutit. Propterea χοὰς Euripides νεκρῶν ἀγωγοὺς vocat in Hecuba: *Δέξαι χοάς μοι τάσδε κηλητηρίους Νεκρῶν ἀγωγούς.* *Scal.*

37 *Aut Nomas arcanas*] Aut crucietur Lygdamus, aut tollat salivas lustrales et incantamenta saga illa, quam Lygdamus consulit. Nam quare consulit, si hoc non est insidiari capiti, et vitæ meæ? *Scal.*

38 *Dicet damnatas*] Ita liber noster. Sed legendum, *Ducet*. Ducere hic est, filatim liquefacere: ut fit in pingui, quod igne remittitur. Hispanice *Pringar*, genus tormenti ex lardo igne liquefacto, et in terga mancipiorum

stillante: dignum non miseris mancipiis, sed ipsis semimauris carnificibus supplicium. Sane, inquit, testa ignea imposita liquatim igne tabefactæ manus stillabunt, nisi arcanum prodiderit. Hæc est, ni fallor, vera horum versuum et sedes, et explicatio: qui antea et alieno loco positi et obscuri erant. *Scal.*

40 *Cyclade verrit humum*] Virgil. 'Croceo velamen acantho.' Servius: 'Cyclade.' *Scal.*

41 *Et graviora rependit iniquis quasillis*] Quia æqua pensa rependebantur heræ, nisi quum ob culpam aliquam iniquiora exigebantur. Ovidius: 'Æquaque formosæ pensa rependis heræ.' Glossæ: 'Σταθμὰ τὰ διδόμενα ταῖς γυναιξὶν, Pensa.' *Scal.*

42 *Garrula de facie si qua locuta mea est*] Hinc quasillariæ: hoc est, genus ancillularum omnium spurcissimum simul ac despicatissimum: quas robustum ad codicem detrusas, inibique herilibus pensis in perpetuum damnatas, interpretabamur ex Plauto, Tibullo, Propertio, Ovidio, Juvenali denique. Unde et codicariarum nomine insignitæ olim. *Dousa P.*

44 *Codicis immundi*] Et illa eodem modo damnata est apud Juvenalem: 'Horrida quale facit residens in codice pellex.' *Scal.*

Codicis immundi vincula sensit anus] Codicem a robore diversum esse censeo: cum sit ligneus stipes, quem alligati servi, qui deliquerant, trahebant, cuique insidebant vincti, qui hodie apud nos appendi solet simils. *Turneb.*

46 *Per nomen quoniam est usus*] Ab hoc pentametro sequuntur duo disticha ordine: LYGDAMUS URATUR. *Scal.*

48 *Ardent e nostro*] Lege *Ardeat.* Scal.

57 *Una Clytemnestræ stuprum vehit*] 'Clytemnestræ stuprum' περιφραστικῶς, Clytemnestra impudica. Sic 'scelus Polymnestoris,' 'error Herculis,' et talia multa Propertiana. *Scal.*

59 *Vecta phaselo*] Noster *parta phaselo*, quod non intelligo. *Scal.*

60 *Quaque errat turba Cybelles*] Corruptum ex scriptura, *quaque æra rotunda Cybelles.* Rotundum pro rotundo Veteres. *Scal.*

64 *Narrant historiæ pectora*] Noster, *corpora.* Ita repone. *Scal.*

Narrant historiæ pectora nota suæ] *Pignora* puto rescribendum, ut idem extrema Eleg. Corneliæ ad Paulum: 'Quid mihi conjugium Pauli, quid currus avorum Profuit, aut famæ pignora tanta meæ?' Pudicæ, inquit Poëta, illæ conjuges narrant nota pignora suæ historiæ, i. e. quæ sibi suisque acciderint. Scaliger *corpora* probat de Vet. libro. At aliud est *corpus historiæ*, ut Ciceroni dicitur 'corpus orationis ac defensionis.' Passeratius ad Hypallagen hic confugit: Narrant historiam notam pectoribus suis, h. e. sibi. Sed quid erat necesse? sic enim lib. 3. clare Eleg. 22. idem canit: 'Famam, Roma, tuæ non pudet historiæ:' h. e. rerum a te gestarum. *Scottus Observ. l. 2. c. 57.*

65 *Hæc summa æternis*] Lipsius de Vet. libro Antiq. Lect. l. 2. cap. 20. reponebat, *Hæc sua maternis.* Sed mihi non probat. Nimis enim durum est profecto *maternas* dicere *catenas* pro, matri debitas. At mea sententia *summa brachia* eleganter vocat, quasi extrema, qua in manum desinunt. Et certe sequenti versu quasi se ipse explicans, 'manus' appellat, quæ *summa brachia* vocarat. *Scottus ibid.*

67 *Narrat Hypermnestre*] Vitiosa interpunctio sententiæ bonæ injuriam facit. Nam ita potius: *Narrat Hypermnestra magnum ausas esse sorores: In scelus hoc animum non valuisse suum.*' Scal.

74 *Parthenie patuit*] Ita interpunge: *Nutrix in tremulis nequid desiderit annis Parthenie: patuit, nec tibi avara fuit.* Scal.

75 *Delitiæque meæ latris*] Et in ve-

teribus inscriptionibus servi et ancillulæ dicuntur DELICIUM. Eas, ni fallor, abras vocabant Attici. Juvenalis abram intelligit: 'Et flavam, quæ fert mandata, puellam.' Fortasse *Faveam*. In Glossis, 'Favea: παιδίσκη. Faveus: παῖς.' Plautus Milite: 'Quasique hunc anulum Faviæ suæ dederit, ea porro mihi.' Ex vestigiis scriptæ lectionis ita emendamus; quod sine dubio rectum est. *Scal.*

77 *Et quoscunque meo fecisti nomine versus, Ure mihi*] Obtestatur Cynthiæ umbra amatorem, ut rogalibus ignibus det omnes amatorios de se scriptos versus, tanquam hoc quoque ad suos placandos manes pertineret. Nec enim Cynthiam mortuam laudes suas omnino supprimi voluisse, ac famæ suæ superstiti ex carmine tanti poëtæ invalescenti invidisse existimandum est: sed potius ideo ista encomia versibus sibi sacrata uri secum voluit, quia erant gratissima; respiciens proculdubio ad morem illum, quo quicquid pretiosum habebant Veteres, aut quæ cara fuisse vivis non ignorabant, ea omnia soliti erant conjicere in rogum ejus, quem honore ibant affectum. *Kirchmannus.*

83 *Scribe columna*] Supra de hoc ritu. In sepulcris columellæ constructionem operis sustinebant. Cic. II. de LL. 'Ne columnam quis in sepulcro violet, dejiciat, frangat.' Ibid. 'Columellam super terræ tumulum in sepulcris statui.' Et v. Tuscul. de sepulcro Archimedis: 'Animadverti columellam non multum e dumis eminentem, in qua inerat sphæra et figura cylindri.' Vide Proverbium, 'Odium novercale,' ubi Epigramma Callimachi citatur in privignum columellam novercæ coronantem, quem illapsa ea contriverit. *Passerat.*

84 *Sed breve quod currens vector ab urbe legat*] 'Currens,' id est, cursim ac properanter prætemavigans. Sic Horatius: 'Licebit Injecto ter pulvere curras,' id est: naviges porro. *Dousa P.*

ELEGIA VIII.

Quæ vulgo distinguuntur octava et nona, Elegia sunt una, nequaquam separandæ. Et ineptissima inscriptio est: *De Cynthia et Dracone*. Nihil enim Cynthiæ cum Dracone fuit. Sed historia hujus per occasionem, mentione Lanuvii inlata, inseritur. *Gronovius Observ. lib.* III. *cap.* 17.

2 *Quam vicina meis*] Noster, *Quam vicina novis arva cucurrit agris:* quod puto verum, modo *aura* pro *arva* legas. Hic supra: 'Publica vicinæ perstrepat aura viæ.' Quum, inquit, aura strepitus verberavit aures viciniæ. Novos agros vocat Exquilias, quæ eo tempore colebantur sublato communi sepulchro plebeiorum. Horatius: 'Nunc licet exquiliis habitare salubribus.' Mæcenas etiam ibi concessis ab Augusto aliquot jugeribus cœpit hortos colere, qui ab eo Mæcenatiani dicti fuerunt. *Scal*

3 *Lanuvium annosi*] Verba Plutarchi, quæ nos olim in hunc locum annotaveramus, adduceremus, nisi hoc jam a Turnebo factum viderem. Sed et Ælianus disertissime hoc persequitur lib. de Animalib. XI. cap. XVI. Post alia: Οἰκοῦν ἐν τῷ Λαουινίῳ ἄλσος τετίμηται μέγα καὶ δασὺ, καὶ ἔχει πλησίον νεὼν Ἥρας Ἀργολίδος· ἐν δὲ τῷ ἄλσει φωλεὸς ἐστι μέγας καὶ βαθὺς, καὶ ἔστι κοίτη δράκοντος. Vide reliqua. Ubi vides Lavinium manifesto vocari, quod hic Lanuvium. Neque enim, quod etiam quidam docti Itali pertendunt, diversa sunt Lavinium et Lanuvium, neque causa est quod locum quendam Strabonis ad hoc advocent, quum is locus nihil eos juvet. Et joculare est eorum commentum. *Scal.*

Vetus est tutela draconis] Junoni Lanuvinæ sacer draco ille, de quo hic et apud Ælianum agitur. In nummis L. PROCII Juno Sospita, quæ erat tutela Lanuvii, cum est, Draconem hunc calcans. *Scal.*

5 *Cæco descensus hiatu*] Φωλεὸν vocat Ælianus, item κοίτην. *Scal.*

6 *Qua penetrat virgo*] Ita et noster, sed inepte: lego: *Qua penetral: (virgo, tale iter omne cave.)* Scal.

7 *Jejuni serpentis honor*] Παρθένοι τε ἱεραὶ νενομισμέναις ἡμέραις παρίασιν εἰς τὸ ἄλσος ἐν ταῖν χεροῖν φέρουσαι μάζαν καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς τελαμῶσι καταειλημέναι. ἄγει δ' αὐτὰς εὐθύωρον ἐπὶ τὴν κοίτην τοῦ δράκοντος πνεῦμα θεῖον, καὶ ἀπταίστως προσίασι βάδην καὶ ἡσυχῆ ὥσπερ οὖν ἀκαλύπτοις ὁρῶσαι τοῖς ὀφθαλμοῖς. *Scal.*

10 *Quum temere anguineo*] Repone ex fide scripti libri: *Quum tenera. Tenera*, hoc est, puellaris. In monobiblo: 'Ne terna adsidua colla graventur aqua.' *Tenera colla*, puellaria, κουρίδια: poëtice. *Scal.*

12 *Virginis in palmis*] Virginis κανηφόρου. *Scal.*

13 *Si fuerint castæ*] Persequitur Ælianus: Καί, ἐὰν μὲν παρθένοι ὦσι, προσίεται τὰς τροφὰς ἁγνὰς ὁ δράκων καὶ πρεπούσας ζώῳ θεοφιλεῖ· ἢν δὲ μὴ, ἄπαστος μένει, ὡς προειδότος αὐτοῦ τὴν φθορὰν, καὶ μεμαντευμένου. μύρμηκες δὲ τὴν μάζαν τὴν τῆς διακορηθείσης εἰς μικρὰ καταθρύψαντες, ὡς ἂν εὔφορα αὐτοῖς εἴη, εἶτα ἐκφέρουσιν ἔξω τοῦ ἄλσους, καθαίροντες τὸν τόπον. Γνωρίζεταί τε ὑπὸ τῶν ἐπιχωρίων τὸ πραχθὲν, καὶ αἱ παρελθοῦσαι ἐλέγχονται, καὶ ἥ γε τὴν παρθενίαν αἰσχύνασα ταῖς ἐκ τοῦ νόμου κολάζεται τιμωρίαις. *Scal.*

Hic ubi tam raræ] Raram dicit, quod raro hoc spectaculum videre licuerit. Lanuvii autem draco colebatur, ut in Parallelis scribit Plut. *Turneb.*

15 *Huc mea detonsis devecta est Cynthia mannis*] Ita recte Beroaldus ex veteri lectione, *ab annis*: sed mirum detonsos dicere, quos Ovidius jubatos facit: 'Parvaque cumprimum rapientibus esseda mannis Ipsa per admissas concute lora jubas.' Alibi de mannis: 'Frenaque in effusa laxa jacere juba.' Glossæ, 'Mannis, βουρίχοις.' Ita etiam Acro in Horatii Epod. In Panegyrico in Constantinum: 'Cui digredienti ad annulos sederas.' Lege: *mannulos dederas.* Scal.

16 *Sed mage caussa Venus*] Nam tam Veneris quam Junonis ibi celeberrimum templum. Strabo: Λανούϊνον ἔχον κοινὸν τῶν Λατίνων ἱερὸν Ἀφροδίτης. *Scal.*

17 *Appia*] Lanuvium ad partes viæ Appiæ, ut hic vides. Et Lavinium quoque ad Appiam erat, auctore Strabone. Ergo Lavinium et Lanuvium idem. *Scal.*

23 *Serica nam taceo*] Has nugas excogitavit Beroaldus, atque illi commentum placet. Vetus lectio: *Siriga: nam rapto*: vel *capio*. Lego: *Striga: nam capto.* Μίμησις ex persona Cynthiæ. Cynthia, inquit, primo temone sedens dixit aurigæ, Striga: nam ea re huc veni ut volsi nepotis carpenta rapiam, et armillatos canes. Strigare quid esset, satis alibi in Parodiam Virgilii diximus. Strigare equi dicuntur, quum interquiescunt: a Striga loco, ubi hoc solent facere in exercitu. Auctor Charisius. Glossæ false legunt *Triga*. 'Triga, τόπος, ὅπου ἵπποι γυμνάζονται.' Contrarium est Restrigare. Seneca Epistola quarta: 'Surge, et restriga, at clivum istum uno, si potes, spiritu exupera.' Hodie male in Senecæ libris, *Surge, et inspira*. Scal.

Volsi carpenta nepotis] Volsum, δεδρωπακισμένον, intelligo: nepotem, ἄσωτον. M. Seneca Declamationum libro primo: 'In istis volsis atque expolitis, et nusquam nisi in libidine viris.' Volsis, πεπιττωμένοις. Idem apud Juvenalem, 'resinata juventus.' Ælianus: Φασὶ δὲ πρὸς ταῦτα Ταραντῖνοί τε καὶ Τυῤῥηνοὶ σοφισταὶ κακῶν δαιδάλων, ἐκεῖνο ἀνιχνεύσαντές τε καὶ πειράσαντες, τὴν πίτταν ὡς ἐξ ἀνδρῶν εἰς γυναῖκας ἀποκρίνειν. Ita legi debet locus ille apud Ælianum. *Scal.*

25 *Qui dabit immundæ venalia fata saginæ*] Quod Propertius ait, eum immundæ saginæ fata venalia daturum, ubi erasas ejus genas vicerit barba pudenda, hunc sensum habet:

Ubi glaber esse volsusque non poterit, nec in eradendo pudendam ejus barbam novacula superarit, nec proinde mulieribus amabilis fuerit, operam arenæ locare cogetur, et in familia gladiatoria merere, ut habeat unde se turpissimo genere vivendi saginet. Prudent. lib. II. contra Symmachum: 'Et vulnera vendita pastu Spectatura oculis.' *Turnebus.*

Qui dabit immundæ] Qui se autorabit ludo gladiatorio. Firmicus: 'Qui se ob alienæ gratiæ voluntatem, nundinati sanguinis jactura, ad mortis spectaculum vendant.' Tatianus: 'Ἑαυτοὺς εἰς τὸ φονευθῆναι πιπράσκουσι. *Scal.*

27 *Cum fieret*] Unica est Elegia, ut manifesto ostendit ultimum distichon, quo se dicit offensum jam crebra Cynthiæ injuria ac contemptu amorem transtulisse, quæ sequentibus verbis declarat. *Livineius.*

28 *Mutato volui*] Scriptura *Mulctato*: et recte; dixit enim injuriam lecto factam. *Scal.*

29 *Aventinæ vicina Dianæ*] Aventinensis Diana dicitur Festo in 'Nesi,' pro Sine; et in 'Servorum,' ubi a Servio Tullio dicatam ait ædem eam fuisse. Dionys. lib. III. structam ait ab Anco Marcio. At idem lib. IV. a Servio Tullio. Varro, lib. IV. de LL. 'Alii ab adventu hominum (dictum Aventinum putant) quod commune Latinorum ibi Dianæ templum sit constitutum.' Vide Livium lib. I. et P. Victorium in XIII. Regione urbis. *Passerat.*

35 *Unus erat tribus in secreta lectulus herba*] Nulla herba erat, sed proverbialiter dictum. Supra: 'Si te non totum Chloridos herba tenet.' *Scal.*

37 *Utrique æstiva supellex*] Lege, *vitrique*. Carmen in menses anni, quod legitur secundo Catalectorum nostrorum: 'Fontanos latices, et lucida pocula vitro Cerne ut demerso torridus ore bibat.' Loquitur de Augusto mense. De eodem in alio Carmine; 'Augustum penitus torret Phaëthontius ardor, Quem recreat fessum gello, facilla, melo.' Gello est vas vitreum: βαυκάλιον Græci vocant. Isidorus in Glossis: 'Gellonem, baucalem:' et alibi: 'Baucalem, gellonem.' *Scal.*

38 *Et Methymnæi græca saliva*] In nostro, *Græca*: recte: intelligitur enim οἶνος θαλασσίτης, quod Celso dicitur vinum salsum Græcum, libro tertio, capite sexto: item capite septimo et decimo. Puto Beroaldum hoc primum mutasse, ut ille fuit vir quidem nullius judicii, sed lectionis multæ. *Scal.*

Methymnæi meri] Lesbium vinum significat. 'Methymna,' inquit Servius in lib. II. Georg. 'civitas Lesbi, habens pretiosissimum vinum.' Plin. lib. V. cap. XXXI.

39 *Nile tuus tibicen erat*] Ait se medium inter Teiam et Phyllida collocasse. Cur igitur hic facit crotalistriam Phyllida? Sed, ne magis lectoris animum occupem, legendum: *Niletes tibicen erat, crotalistria Philis.* Hoc est, Ægyptius erat et Niligena tibicen, sed crotalistria Memphitica, aut Syenetica. Nam Philæ insula ad Syenem. Seneca Quæstionum libro quarto: 'Philæ insula est aspera, et undique prærupta. Duobus in unum coituris amnibus cingitur, qui Nilo mutantur, et nomen ferunt. Urbs eam totam complectitur. Hanc Nilus magnus magis, quam violentus, egressus Æthiopiam, arenasque, per quas iter ad commercia Indici maris est, prælabitur.' Et quæ sequuntur: sed vide Strabonem, qui hæc fusius tractat. Jam Ægyptii choraulæ et crotalistriæ in precio erant. Petronius: 'Memphitides puellæ Sacris Deum paratæ; Tinctus colore noctis Manu puer loquaci; Anus recocta vino Trementibus labellis.' Nam et puer manu loquaci, est χειρονομῶν χορεύλης, et anus recocta vino est crotalistria. Sed idem prope est in

Epigrammate: 'Ἐξαναβιβασαμένη τῷ αὐχεῖ χειρονομοῦντι. Item, 'Η κροτάλοις ὀρχηστρὶς ἀρωτίον &c. Et quid crumata essent, et quid scabilli, alibi docemus. *Scal.*

Nile tuus] Ineptissime: scripsimus *Niletes*: Νειλείτης: nisi malis *Nilotes*, Νειλώτης. *Scal.*

Coralistria] Vix ephebis egressi legebamus, *crotalistria*; tamen Turnebus videtur sibi de Annibale victo triumphare, quum rem tritissimam et puero facillimam venditat. *Scal.*

Phyllis] *Philis* scripsimus, Φίλιδα. *Crotalistria Philis*, ut 'Hospes Zacyntho.' *Scal.*

41 *Nanus et ipse*] Nanus choraules scilicet. Romæ in hortis Mediceis extat signum nani cum hac epigraphe:

Θ K.
ΜΥΡΙΠΝΟΙ. ΝΑΝΩΙ
ΧΟΡΑΥΛΗΙ.

Ubi μυρίπνοος νᾶνος χοραύλης, ut hic Propertianus quoque nanus est choraules. Est autem choraules, qui digitis chironomus et pedib. gestiens voce tibiarum et fistularum sonum imitatur, ut in Mauritania adhuc pueri et Thymelicæ mulieres. Sidonius: 'Date ravulos choraulas, Quibus antra per palati Crepulis reflanda buccis Gemit aura tibialis.' *Scal.*

Breviter concretus] Noster, CURVATUS, non CONCRETUS. In hoc verbo *curvatus* latebat priscus mos pessimi mangonii, quum pueros cogerent non crescere. Dionysius Longinus περὶ Ὕψους: Ὥσπερ οὖν ἀκούω τὰ γλωττοκομεῖα, ἐν οἷς οἱ πυγμαῖοι καλούμενοι νᾶνοι τρέφονται, οὐ μόνον κωλύει τὰς ἐγκεκλεισμένων, * ἀλλὰ καὶ συνάγει διὰ τὸν περικείμενον τοῖς σώμασι δεσμόν. *Scal.*

42 *Jactabat truncas ad cava buxa manus*] Cava buxa, sunt scabilli vel tibiæ. Statius libro septimo Thebaidos: 'Et ad inspirata rotari Buxa.' Ibi vetus interpres: 'Buxa, tibia, vel scabillum, quod in sacris tibicines pede sonare consueverunt.' Si igitur pro scabillo accipiamus, referendum ad crotalistriam, quæ scabillis crumata ciet; scabilli autem, aut testarum aut lapidum crepitus. Pindarus: Μεγάλοι ῥόμβοι κυμβάλων, ἐν δὲ καχλάδων κρόταλα. *Scal.*

43 *Sed neque suppletis*] Eadem narratio de eadem re apud Petronium: 'Lucernæ quoque humore defectæ tenue et extremum lumen spargebant.' *Scal.*

48 *Lanuvii ad portas*] Non est quod doctissimo Turnebo assentiamur, qui obscœnitatem hic vaticinatur. Nam Lanuvium sine ulla figura est oppidum Laurentum, ut supra disputatum, aliter Lavinium. Lavinum τρισυλλάβως dixit Silius libro VIII. 'Quos celso devexa jugo Junonia sedes Lavinum.' Et Juvenalis: 'Atque novercali sedes prælata Lavino.' Populus in veteribus marmoribus dicuntur Laurentes Lavinates. Ovidius itaque Lanuvium cum Laurentibus conjungit: 'Et populus Laurens Lanuviumque meum.' *Scal.*

Lanuvii ad portas hei mihi solus eram] Significat Poëta se inter subblandientes meretriculas jacuisse ita, ut Veneria obire nusquam valuerit, quamvis scortilla cantillarent, quamvis ad prolectandam concubitus appetentiam et libidinis pruritum papillas retegerent, quamvis et ipse inscenderet, ac jam mutonem et coleos genitalibus admoveret, quæ Poëta festive 'portas' dixit: nihilominus potuisse nihil, et jacuisse perinde ac solum. Nam muliebria naturalia, nunc portam, nunc hostium dici indicant pleraque: quando veteribus traditum sapientibus est, 'Portam ingredi nefas, qua exieris.' Et Terentianus ille adolescens pessulum ostio obdidit, non fores occludens, sed, quod acute solertioribus excogitatum est, genitalibus immissum mutonem præmonstrans: quoniam sunt medicis pessi, auctore Celso,

qui fœminarum naturalibus subjiciuntur, sive lana, sive aliud quidvis teres sit, digiti forma, quo medicamenta (ut Paulus inquit) contineantur. *Rhodiginus.*

Lanuvii ad portas] Cum Propertius, fastum passus et alios præferri videns, mutare dominam et abdicare Cynthiæ amores, ipsa alio digressa, constituisset, Theia et Phyllide vocatis, animum lenire voluit. Quod tamen negotium ei nequiter expetivit. Nam et mala omina subinde intervenientia hilaritatem convivii confuderunt, et quidquid illæ ad libidinem suscitandam deliciarum facerent, Propertii animus violentæ medicinæ non opportunus et quasi externatus, solus Cynthiam usque Lanuvii portas prosequebatur. Hoc est, 'Lanuvii ad portas, hei mihi, solus eram.' Sensus communis amantium. Epistola Leandri: 'Et, quo possum corpore, mente feror.' Fallitur Scaliger, cum Lanuvium putat esse Laurentum, quorum hoc in littore prope Ostiam, illud remotum a mari secundum viam Appiam habitabatur. *Gronovius Observ. lib.* III. *cap.* 17.

Lanuvii ad portas hei mihi solus eram] Id est, nihil aliud quam Lanuvii portas; id est, Cynthiam meam Lanuvium profectam cogitabam; itaque mihi evenit quod Tibullus sibi etiam usu venisse prædicat: 'Sæpe aliam tenui, sed, cum jam gaudia adirem, Admonuit dominæ deseruitque Venus.'

57 *In vultum conjicit ungues*] Fortasse *ignes*, propter id, quod sequitur. Supra: 'Tu minitare oculos subjecta exurere flamma.' *Scal.*

65 *Imponitque notam collo*] Sic Lucillius: 'Cui sæpe imposui mille plagarum in die.' Simile illud Ciceronis ad Atticum lib. I. 'Sed tamen, ut te de Republica consoler, non ita ut sperarunt mali, tanto imposito Reipublicæ vulnere, alacris exsultat improbitas in victoria.'

76 *Lascivum sternet arena forum*] Salvianus Massil. lib. VI. 'Colitur Venus in theatris, Mars in arenis.' Amphitheatri caveam perspergere soliti erant arena, ne lubrica fieret sanguine. Propert. h. l. Ea enim ætate ludi gladiatorii in foro. Ovid. Eleg. XIV. lib. II. Am. 'Sternetur pugnæ tristis arena tuæ.' Eaque de caussa pueri amphitheatri arenam rastris soliti renovare. Mart. Ep. LXXV. lib. II. Quo loco et humum sanguineam vocavit. *Th. Marcilius.* Vide Lipsii Amphit. cap. III.

77 *Colla cave inflectas ad summum obliqua theatrum*] Lipsius in Amphitheatro cap. XIV. in fine adfert e Seneca de Tranquillitate Vitæ: 'Verba ad summam caveam spectantia,' pro, vilia et minutæ plebis; et fœminas inde spectasse ex hoc loco probat, et ita legit ac interpungit: *Tu neque Pompeia spatiabere cultus in umbra, Et cum lascivum sternet arena forum, Colla cave inflectas ad summum obliqua theatrum.* Suet. in Aug. cap. XLIV. 'Fœminis gladiatores quidem, quos promiscue spectari solenne olim erat, nisi ex superiore loco spectare concessit.'

Colla cave inflectas ad summum obliqua theatrum] Unde patet, Romanas olim mulieres e summa cavea ludos spectare solitas: ad quas si quis virilis notæ, in inferiore Theatri parte, atque interior collocatus oculos adjectaret, necessario illi caput obliquandum ac cervice retroflexa respectandum erat. Hoc ergo est, quod Cynthia Propertium facere vetat, ob zelotypiam, qua illa laborabat, vel certe laborare, perbelle nimium, apud credulas aures assimulabat sese, quo magis etiam amatorem delinitum in casses porro pertraheret suos. Vitium in Corinna idem sua ab Ovidio curiose notatum: ubi ait: 'Sive ego marmorei respexi summa Theatri, Elegis e multis, unde dolere velis:' unam nempe e multis aliquam, quæ

in summa cavea (ut dixi) spectabant, quum ipse interior, ut pote eques pro dignitate in quatuordecim, hoc est, non nisi in Equestribus sederet: qui locus mirifice cum hocce Propertiano conspirat, adeoque uniter consentit. *Dousa P.*

78 *Aut lectica tuæ sudet aperta moræ*] Lips. lib. I. Elect. cap. XIX. de lectica clausa hunc locum intelligit, et sic legit: *Nec lectica tuæ sit adoperta moræ*. Nolo, inquit Cynthia, collum flectas ad summam caveam, ubi fœminæ; nolo etiam lectica per viam te moretur clausa, ne curiose inspicias, quæ aut qualis vehatur.

84 *Sufficit et pura*] Noster, *Suffocat*. Primus Beroaldus *Suffiit* emendavit: ego veterem scripturam retineo. Suffocare secunda longa veteres Grammatici deducunt a faucibus: eadem correpta, a foco. Hoc enim notant in suis Differentiis. Suffocare ergo, est πυρῶσαι. Theocritus de eadem re loquens: Πυρώσατε δῶμα θεείῳ: 'Suffocate domum sulfure.' *Scal.*

88 *Respondi*] Verbo juris utitur. Stipulata enim erat ab eo. Hoc est enim, 'Indixit leges.' *Scal.*

Respondi et toto] Reponendum videtur: *Et sponda et toto movimus arma toro*. Nam *Respondi* hic præter rem est, et jam paulo ante præcesserat. Idem innuit Ovidius alibi, cum ait: 'Spondaque lasciva mobilitate tremat.' Sic hunc locum, et multa similia peccata emendat N. Heinsius ad Ovid. Heroid. Epist. 7. vers. 5.

ELEGIA IX.

2 *Egerat a stabulis*] Anastrophe, pro, abegerat; ut lib. II. Eleg. XXXIII. 'Mansisti stabulis mater abacta tuis.' Tacite tanquam abigeum sive abactorem notat Herculem: Liv. lib. I. 'Boves miranda specie Herculem abegisse.' Festus, in 'Potitium:' 'Potitium et Pinarium Hercules, cum ad aram, quæ hodieque maxima appellatur, decimam boum, quos a Geryone abductos abigebat Argos in patriam, profanasset, genus sacrificii edocuit.'

O Erythræa] Lege *O Erythea*, Ἐρύθεια. Vestigia extant in nostro libro, *Erithee*. Est insula Geryonis, ut omnes sciunt. Inde βοοτρόφον vocat Dionysius περιηγητής. *Scal.*

5 *Velabra*] Supr. Tibull. lib. II. Eleg. V. pag. 323. Turneb. lib. XX. cap. XXX. Advers.

7 *Hospite Caco*] Herculem hospitio excepit Evander, non Cacus, Virg. VIII. Æn. Ovid. I. Livius lib. I. ubi de Caco et ejus furto. Ovid. Fast. 'Hic male defensus flammis, et dote paterna, Cacus Aventinam sanguine tinxit humum.' Serv. in VIII. Æn. 'Servus,' inquit, 'Evandri κακὸς et malus fuit, unde Κάκος dictus mutato accentu.' Legendus de eo et Dionys. lib. I. Fulgent. *Passerat.*

8 *Furto polluit ille locum*] Correctorum flagitium, qui LOCUM pro JOVEM posuerunt. Ita enim scriptura nostra. Jovem ξένιον intellige, cui incensis odoribus in prunæ batillo sacra fiebant novorum hospitum adventu. *Scal.*

15 *Mænalio jacuit, &c.*] Apollod. lib. I. ubi recenset arma Herculis: 'Clavam ipse sibi excidit ex Nemeæ sylva.' At Nemea est Achaiæ, non Arcadiæ, ut Mænalus. Pausan. Corinth. Herculem ait abscidisse clavam suam ab oleastro, quem ad Saronidem paludem invenisset (est autem palus Achaiæ), et eam actis radicibus regerminasse.

20 *Nobile erit Romæ pascua nostra forum*] Quasi a boum Herculis mugitu dictum sit forum boarium, quod Varro negat. Festus: 'Boarium forum Romæ dicebatur, quod ibi venderentur boves.' P. Victor in XI. regione meminit Herculis Victoris in foro Boario.

34 *Pandite defessis hospita vestra viris*] Varie torserunt hunc locum correctores, neque tamen propterea

effecerunt, quod volebant. At vetus lectio: *hospita vana*: puto, *hospita fana*. Fanum est, ubi ara, ut hic. *Scal.*

35 *Circaque sonantia lymphis*] Lege *circeque*, aut *circamque*: quod magis placet. Circare est περιοδεύειν. Inde circanea avis milvius, quod circando agros oberret. Glossæ: 'Circat et Circitat κυκλεύει. Circito, περινοστῶ. Circitor, lustrator, περιοδευτής.' Eo utitur idiotismus Hispanicus in eadem notione: Italicus et Gallicus paulo detorsiore. Nam *cercer* illis est, investigare. *Scal.*

37 *Tergo qui sustulit orbem*] Apollod. lib. II. monitum ait a Prometheo Herculem, ne ad aurea mala proficisceretur, sed Atlantem pro se mitteret, suscepto interea Cœli pondere: acceptis ab Atlante malis, ut ei onus redderet, finxit se speiram velle tantisper facere, ut cœlum commodius ferret; atque ita, recepto ab Atlante cœlo, discessit.

49 *Accipite hæc fesso*] Versus suppostitius, qui infra legitur. Nam hic lacuna relinquenda. *Scal.*

50 *Apta puella fui*] Inepte legitur: Scribo: *apta tabella fuit.* Fiebant flabella ex tabulis tenuioribus, unde et Tabellæ dictæ. *N. Heinsius ad Ovid. Artem Amat. l.* I. *vers.* 163.

51 *Alma sacerdos*] Quæ vocatur Damiatrix. Vide Festum. *Scal.*

56 *Quæ se summota vindicat ara casa*] Inconcinne nunc legitur: erat enim occlusum fanum. Lege: *Quæ sese admota vindicat ara sera.* N. Heinsius Addendis ad Ovid.

57 *Magnam Tiresias aspexit Pallada vates*] *Magno* exstare in v. l. testatur Gebhardus. [Vid. notam Dousæ F. Inf. p. 920.]

Tiresias] Hygin. Fab. LXXV. narrat ut vir, et fœmina, et iterum vir fuerit; ut a Junone cæcatus, et factus augur peritissimus a Jove, et datum ut septem ætates viveret. Callimachus id a Pallade accepisse narrat. Ovidius ergo et alii Latini oculis privatum a Junone scribunt. Hic Noster secutus est Callimachum, Hymno, qui inscribitur, Εἰς Λοῦτρα τῆς Παλλάδος: 'Sed cave ne [etiam] invitus reginam Minervam videas. Qui aspexerit nudam Minervam tutelarem Deam Argos, aspiciet hoc postremum.' Deinde narrat ut e venatione sitiens ad fontem venerit Tiresias, imprudensque Pallada lavantem aspexerit, et cæcus ab ea sit factus, licet ejus mater esset Palladi carissima. *Passerat.*

67 *Maxima quæ gregibus, &c.*] Virg. VIII. Æn. 'Hanc aram luco statuit [Incertum Hercules an Potitius] quæ maxima semper Dicetur nobis, et erit quæ maxima semper.' Ubi Servius, 'Ingens illa ara fuit, sicut videmus hodieque.' Addit prædictum fuisse Herculi ab Apolline, fore ut in Italia Deus coleretur. Livius lib. I. Evandrum inducit salvere juventem Herculem et narrantem prædictum a matre Carmenta Deum futurum, aramque illi dicatum iri, quam opulentissima gens in terris Maximam vocet. Macrob. lib. III. Sat. cap. VI. ab Hercule Victore Aram Maximam fuisse narrat, et aperto capite illic sacrificari, quia constituta sit ante Æneæ in Italiam adventum. Idem cap. XII. ejusdem libri docet ante urbem conditam sacrificantes ad aram Maximam solitos coronari populo, postea lauro. Pub. Victor in XI. Reg. Urbis, ad ædem Herculis et templum vetus Castoris Aram Maximam locat. Interpres Juvenalis Sat. VIII. 'Magna Ara ad Herculem dicitur Romæ juxta Circum Flaminium.' Ovid. I. Fast. Dionys. lib. I. Legendus Festus in 'Potitium.' Videndus et Salmasius in Plin. Exercitat. ad Solinum, pag. 8.

71 *Sancte pater, salve*] Vana Græcorum antiquitas Herculem Jovis filium esse sibi persuasit, et posteris tradidit. Hinc Fidium, Semonem,

Sancumque nostri nominarunt, quod ex autoribus atque adeo ex vetustissimis inscriptionibus intelligitur. M. Varro de LL. IV. Fidium et Sancum Herculis esse nomina diserte significat. Et Festus Pompeius Sancum agnoscit; 'Propter viam,' inquit, 'fit sacrificium, quod est proficiscendi gratia, Herculi aut Sanco, qui scilicet idem est Deus.' Sancti cognomen Herculi peculiare et proprium non est, cum id commune illi cum cæteris omnibus Deis sit. Omnes enim Dei Deæque Sancti et Sanctæ a Veteribus dicebantur; non quod ipsi ipsæve sanxissent: sed quod sancti, venerabiles, et inviolabiles essent. Neque id Sabinum est verbum, sed Latinum. Sanctos Deos Deasque Sanctas in vetustis passim autoribus legimus. Juppiter Sanctus, Apollo Sanctus dicitur apud Ciceronem. Tiberis Sanctus apud Livium; Terminus Sanctus, et Diana Sancta apud Ovidium. Junonem Sanctam, Cupidinem Sanctam Tibullus; Virgilius Sanctam Palem; Cererem et Cybelen Sanctas Claudianus dixerunt. Referti sunt hujusmodi nomine poëtarum oratorumque libri. In veteribus etiam monimentis Sanctos et Sanctissimos Deos est legere.

In Hortis Carp.

SYLVANO
SANCTO.

Romæ in hortis Medicæis;

LIBERO PATRI
SANCT. SACR.

Ad S. Jacob. Incurabil.

APOLLINI
SANCTO
SACRUM.

In Ædibus Delfinorum:

HERCULI SANCTISS.

Et

SANCTISSIMO HERCULI
INVICTO.

Longum esset plura persequi, et constare jam puto Sancti nomen ad omnes Deos pertinere, idque Latinum esse. Quod etiam confirmatur veteri inscriptione, quæ in Lapide Tiburtino incisa est; is autem Lapis apud Fulvium Ursinum erat; quo in Lapide et proprium Herculis cognomen ab lingua Sabina, et quod cum cæteris Deis commune habebat a Latinis legitur.

SANCO. SANCTO
DEO. FIDIO. SACRUM.

Vide Castalionis Observationes in Criticos Dec. III. cap. X. Voss. de Origine et Progressu Idololat. lib. I. cap. XII. Nic. Heins. ad 6. Fast. vers. 213.

74 *Sic sanctum Tatiæ composuere Cures*] Lego *Tatii*. 'Cures' in masculino, ut Veii. *Scal.*

ELEGIA X.

10 *Roma, tuis quondam finibus horror erat*] In nostro, HECTOR ERAT. Quod valde placet: tanquam alter Hector metuebatur tibi, ut ille Priamides Græcis. *Scal.*

12 *Ausus sperare Quirini*] *Quirinis*, noster; *humeris Quirinis*. Scal.

18 *Qui tulit aprico*] Proverbium. Sic Horatius: 'In pace aptarit idonea bello.' *Scal.*

23 *Cossus at insequitur*] Vid. Livium lib. IV.

26 *Jugera parva Coræ*] Ita noster: sed quædam antiquæ editiones habent, *jugera terra*: aliæ *trita*. Suspicor legendum, *jugera terna*. Intelligit enim exiguum agri modum, qui militi pro virtute assignabatur. Juvenalis: 'Mox etiam fractis ætate, ac Punica passis Prælia, vel Pyrrhum immanem gelidosque Molossos, Tandem pro multis vix jugera bina dabantur, Vulneribus.' Et bene hic convenit *jugera terna*, quia dixit: 'ultima præda Nomentum.' *Scal.*

27 *Desecta Tolumni Cervix*] Mirum Ovidium putasse Tolumnio cognomen Larti fuisse, quum Lar sit digni-

tatis nomen. Ait enim in Epigrammatis: 'Larte ferox cæso Cossus opima tulit.' Atqui, ut dixi, Lar est princeps lingua Hetrusca. Ausonius: 'Tertia opima dedit spoliatus Aremoricus Lars.' Lars, πρωτοστάτης, προστάτης. Unde Lares apud Romanos sunt Dii προστάται familiæ: qui ab eo propterea præstites vocabantur, hoc est, προστάται, προστατήριοι. Adde quod, nisi Tolumnius fuisset Lar, hoc est, princeps aut dux, spolia de eo non fuissent opima. Nam ea sunt, quæ dux a duce aufert. Fortasse non cognomen putavit esse Lartem Ovidius; sed, quia apud Hetruscos solos Lar significabat principem, et omnes Hetruscorum principes dicebantur Lartes, satis putavit eo nomine designari quem Cossus interfecit. *Scal.*

40 *Belgica quum vasti*] Noster aliam lectionem præfert: *Belligera vasti:* lege *Belligerans*, ut supra *circans*, pro *circa*. Erroris caussa, quod archaicos scriptum erat, *belligeras*, *circas:* ut 'prægnas,' 'animas,' 'antistas,' sine N. Interpungendum autem sic: 'Claudius a Reno trajectos arcuit hostes Belligerans: vasti parma relata ducis Virdomari.' Ita sine dubio scripsit Propertius. *Scal.*

Parma relicta] Ita noster. Sed magis placent editiones antiquæ, in quibus est RELATA. *Scal.*

39 *Claudius*] Vide Flor. II. cap. 4. et ibi Freinshem.

41 *Virdomari*] Virdomarus ad verbum Ἐέννππος. Nam *mar* apud nostros erat equus. Auctor Pausanias. Gallorum veterum idioma sine dubio Teutonicum fuit. Ælianus Ποικίλης lib. IX. cap. XVI. scribit inter illos priscos Ausones quendam fuisse nomine Μάρην, οὗ τὰ μὲν ἔμπροσθεν λέγουσιν ἀνθρώπῳ ὅμοια, τὰ κατόπισθεν δ' ἵππου, καὶ αὐτὸ δὲ τοὔνομα εἰς τὴν Ἑλλάδα φράσιν ἱππομιγὴς δύναται. Sane, si μάρης ἱππομιγὴς significat, eodem nomine equum illi Cascæ Aurunci et Galli vocabant. Huic rei videtur favere, quod adhuc Hollandi equam *merie* vocant. Et *marischalcus*, quod fabrum ferrarium significat, qui pedibus equorum soleas suppingit. Sed refragatur Pausanias in Phocicis, qui Gallis equum μάρκαν dictum scribit, et turmam τριμαρκησίαν. Quod magis confirmatur vetere lingua Alamanorum, qui equum bellatorem MARHCH vocabant, ut est in eorum legibus: Titulis LXX. LXXI. Noster liber non VIRDOMARI, sed VIRTOMANI: et id quoque Teutonicum. Virtomanus, Εὔανδρος: *Vuirtman*. Scal.

43 *Illi*] Ἀρχαϊκῶς, pro, Illius. *Scal.*

Illi virgatis jaculantis ab inguine braccis] Jaculari ab inguine barbarum est, at contra Græcum a capite. Euripides Hippolyto: Καὶ παρὰ χαῖταν ξανθὰν ῥίψαι Θεσσαλὸν ὅρπακα ἐπίλογχον ἔχουσ' ἐν χειρὶ βέλος. Sed in nostro non *ab inguine:* sed *ab agmine* legitur: quod profecto longe melius est. *Scal.*

Virgatis] De virgatis sagulis Gallorum vide juvenilia Conjectanea nostra. Virgatam tigrem vocat Seneca in Hippolyto. Item Silius libro quinto: 'Stat sonipes, vexatque ferox humentia frena, Caucaseam instratus virgato corpore tigrim.' Virgatam tigrim vocat, quam Euripides στικτὸν καὶ βαλιάν. Hic autem Virdomarus virgatis braccis dicitur ut, 'domus sanie dapibusque cruentis.' *Scal.*

Braccis] Propriæ Gallorum braccæ, quas Græci ἀναξυρίδας vocant, in Phrygibus, Lydis, et Persis. Euripides θυλάκους. Jam Romanis ἀναξυρίδας in usu fuisse tempore Licinii imp. habes apud Suidam Αὐξέντιος. Sed et Lampridius scribit Alagabalum braccas albas habuisse, non coccineas, ut solebant reliqui imperatores. Quare antiquior usus braccarum Romanis fuit, quam vulgo persuasum. *Scal.*

46 *Omine quod certo dux ferit ante ducem*] Hæc lectio non erat in nostro, sed, *dux ferit ense latus.* Quod autem

tam anxie quærant Feretrii etymon, causæ non est: quum certum sit dictum a feretro pompæ triumphalis. Valer. Flaccus: 'Has, precor, exuvias, et opima cadavera nostro Linquite, ait, feretro.' *Scal.*

ELEGIA XI.

9 *Sic mœstæ*] Lego: *Sat mœstæ:* ita nimirum postulante sententia, qua nil aptius elegantiusve. *Dousa P.*

Tubæ] Vide lib. II. Eleg. X.

11 *Quid mihi conjugium Pauli? quid currus avorum Profuit? aut famæ pignora tanta meæ? Num minus immites habuit Cornelia Parcas*] Similis structura sententiæ illius apud Ovidium in Epistola Leandri: 'Quid mihi, quod lato non separor æquore, prodest? Num minus hæc nobis tam brevis obstat aqua?' *Dousa P.*

13 *Num minus immites habuit*] Malo *habui*. Ita ergo legendum: *Num minus immites habui Cornelia parcas, Et sum, quod digitis quinque levatur onus?* Quem locum expressit Ovidius Epistola Canaces: 'Quid juvat admotum per avorum nomina cœlo Inter cognatos posse referre Jovem? Num minus infestum funebria munera ferrum Feminea teneo non mea tela manu?' Quis neget Ovidium hunc locum in animo habuisse? *Scal.*

Cornelia] Scriboniam nupsisse duobus Consularibus, antequam Augusto nuberet; et ex altero etiam (hujus Corneliæ) matrem fuisse scribit Suet. in Aug. cap. LXII. Ergo alter de Consularibus illis e Corneliorum gente. *Passerat.*

14 *Et sum quod digitis quinque levatur onus*] Muliebre funus manibus ferebatur: quippe esse supra se illum sexum, ne mortuum quidem volebant, quem sciebant submitti sibi debere. Propert. h. l. Et obtinuit hic mos etiam ad tempora usque Majoriani et Anthemii Impp. Testis Sidonius, ejus ævi scriptor lib. II. Epist. VIII. 'Cum Libitinam ipsam flentes omnes, externi quoque, prensitarent, remorarentur, exoscularentur, sacerdotum propinquorumque manibus excepta, perpetuis sedibus, dormienti similior, inlata est.' *Meursius.*

20 *Pila*] De pilis, in quibus inscripta nomina judicum, Ascon. in Milon. Cujusmodi autem hæc pila fuerint, quæsivi, nec repperi. Sane tabellis ad eam rem, non pilis, utebantur Romani. Plut. in Lycurgo pilas exiguas e furfure commemorat, quibus conjectis in vas tanquam sortitione fabarum admittebatur vel excludebatur aliquis e conviviis Lacedæmoniorum. *Passerat.*

21 *Assideant fratres*] Caussam vult dicere coram judice quæstionis. *Scal.*

Assideant fratres juxta Minoida sellam] Melius noster: *Assideant fratres: juxta Minoia sella, et Eumenidum.* Scal.

23 *Ixionis orbes*] Supr. Tibull. lib. I. Eleg. III.

24 *Fallax Tantaleo*] Ταντάλεὺς, Ἀδωνεὺς, Δευκαλιδεὺς, Ἡρακλεὺς, et similia Tarentini: a quibus Romani Tantaleus, Adoneus, &c. Ausonius: 'Concedat Cei Musa Simonidei.' Simonideus, Σιμωνιδεύς. *Scal.*

Tantaleo] Vid. Tibull. lib. I. Eleg. III.

27 *Ipsa loquor pro me*] Ἀπολογητικὸς enim λόγος, qui sequitur. *Scal.*

Ipsa loquor pro me: si fallo, pœna sororum Infelix humeros urgeat urna meos] Sic Ovidius IX. Metamorphos. 'Viximus innocuæ: si mentior, arida perdam Quas habeo frondes, et cæsæ securibus urar.' *Dousa P.*

Si fallo] Mos reorum caussam dicentium, qui jurabant se nihil mentituros.

Sororum] Danaidum. Vid. Tibull. lib. I. Eleg. III.

29 *Si cui fama fuit*] Exordium. Omnes partes orationis hic sunt.

30 *Vera Numantinos*] Conficta lectio ex antiqua, *Atra*. At nos, *Afra*. Numantinus excidit Carthaginem: hoc et lippis et tonsoribus notum.

36 *In lapide hoc uni nupta fuisse legar*] Univiræ castitatis ac pudicitiæ suæ argumentum non silebant. Mart. Epigr. xxxvi. lib. x. in Epitaphio nobilis matronæ.

38 *Africa tonsa jacet*] Esset simile illi: Ἡμετέραις βουλαῖς Σπάρτη μὲν ἐκείρατο δόξαν: 'Consiliis nostris laus est attonsa Laconum.' Sed noster *tanta jaces*: quod dictum θαυμαστικῶς. *Scal.*

39 *Et Persen proavi simulantem pectus Achillis*] Silius Italicus de Philippo istius Persæ patre: 'Hic gente egregius, veterisque,' &c. De Perseo victo et capto a Paullo Æmylio vid. Livium, tota decade quinta. Plut. in Paulo Æmilio.

Et Persen proavi] Silius de Philippo, quem vicerunt Romani, patre istius Persæ: 'Hic gente egregius, veterisque ab origine regni Æacidum, sceptris proavoque tumebat Achille.' Persen autem Æolice pro Perseo. Περσεὺς, Πέρσης: Ὀδυσσεὺς, Ὀδύσσης: Ἀχιλλεὺς, Ἀχίλλης. Contra Σιμωνίδης, Σιμωνιδεύς. *Scal.*

41 *Me neque censuræ legem mollisse*] Nihil fecisse indignum censura mariti Paulli. Infra: 'Filia tu specimen censuræ nacta paternæ.' *Scal.*

42 *Labe mea nostros*] Lege, *vestros.* Ita et scriptus liber. *Scal.*

43 *Non fuit*] Melius liber, *Non erat.* Scal.

47 *Sanguine ductus*] Lege *dictus.* 'Lex dicta officiis' apud Gratium. 'Legem dicere elegans et Latinum est, ut docet et similia loca corrigit N. Heinsius ad Ovid. Heroid. Epist. 12. vers. 89.

49 *Urna*] 'Qualibet urna,' dixit, pro quovis ordine judicum. Tres autem erant ordines judicum, et cuique sua urna, ut Senatoribus, Equitibus, Trib. Ærariis.

50 *Turpior assessu*] Quasi non damnaretur, nisi confessa. *Scal.*

53 *Commissos cum Vesta reposceret ignes*] Significat Æmyliam virginem Vestalem, de qua Dionys. lib. ii. Cum olim ignis Vestæ defecisset, negligentius asservante Æmylia, quæ ejus custodiam alteri novitiæ Vestali mandasset, venit in suspicionem, quasi parum caste rem sanctissimam tractasset: tum inops consilii, Vestam prius apprecata, injecit aræ avulsam partem carbasinæ vestis, ac tum e frigido cinere per carbasum flamma emicuit. Vide etiam Val. Max. lib. i. cap. i. *Passerat.*

58 *Defleta et gemitu*] In nostro, *Defensa.* Videtur nescio cujus culpæ suspicione perstricta fuisse Cornelia, quod ex sequentibus cognoscitur. Quod, inquit, malevoli de me rumoribus differunt, hoc falsum esse convicerit unus Cæsar, qui mortem meam deflevit: cujus lacrimæ mihi defensionis ac patroni vicem sunt. Similis locus in Epicedio Drusi: 'Denique laudari sacrato Cæsaris ore Emerui.' *Scal.*

59 *Ille sua nata*] Aliter vulgus hæc accipit, ac sentiebat Poëta. Hoc vult enim: Cæsarem solere prædicare me fuisse dignam, quæ illius filia essem, non sororem Juliam tot impudicis factis suis infamem. Ille, inquit, ait sororem, hoc est me, dignam sua nata vixisse, hoc est verius dici posse natam suam, quam illam, quæ sese tanto crimine infamavit. Me filiæ potius, quam privignæ nomine dignam fuisse. Hæc videntur igitur post relegationem Juliæ contigisse. Notum enim, ut illam Pandataria insula relegarit pater. Addit Dio: Τῶν δὲ δὴ χρησαμένων αὐτῇ ὁ μὲν Ἰούλιος Ἀντώνιος ὡς καὶ ἐπὶ τῇ μοναρχίᾳ τοῦτο πράξας ἀπέθανε μετ' ἄλλων τινῶν. οἱ δὲ λοιποὶ εἰς νήσους ὑπερωρίσθησαν. Non dubium, quin inter hos relegatos Ovidius fuerit: quem profecto ob illam rem tantum damnavit Augustus, non ob libros, quod et tangit Sidonius: 'Et te carmina per libidinosa Quondam Cæsareæ nimis puellæ Ficto nomine subdito Corinnæ Notum Naso tener, Tomosque missum.' Te quo-

que, inquit, Ovidi, nimis familiarem factum per carmina tua Juliæ Augusti filiæ, quam Corinnam finxisti subdititio nomine. In quibus versibus quartum a secundo loco traduximus, et tertium depravatissimum emendavimus. Si quis queritur a nobis factum, interpretetur nobis vulgatam lectionem, et virum putabimus. Nam nihil boni ex vulgata hauriri potest. *Scal.*

60 *Et lacrimas vidimus ire Deo*] Epicedio Drusi: ‘ Lacrimas elicuique Deo.’ Plin. lib. XXI. cap. III. ‘ Apud nos exemplum licentiæ hujus non est aliud, quam filia Divi Augusti, cujus luxuria noctibus coronatum Marsyam literæ illius Dei gemunt:’ quam lectionem perperam quidam suis in Suetonium Annotationibus mutandam censuit. De Deo Augusto etiam vivo et appellato et culto supra diximus. *Scal.*

61 *Et tamen emerui*] Hinc colligitur ornamentis consularibus efferri matronas, quarum filii magistratus curules gessissent: quod dignum est notatu. *Scal.*

Et tamen emerui] Vid. Turneb. XXIII. cap. XII. Advers.

64 *Condita sunt vestro numina nostra*] Repone LUMINA: quod et mos priscus vulgatissimus, et libri nostri scriptura postulat. Ita autem distinguendi versus hi: *Te, Lepide, et te, Paule, meum post fata levamen: (Condita sunt vestro lumina nostra sinu) Vidimus, et fratrem sellam geminasse curulem.* Scal.

66 *Consule quo facto*] Hinc lege distichon, ET BENE HABET: item illud, NUNC TIBI COMMENDO. Illud autem FILIA TU SPECIMEN cum duobus sequentibus alio pertinent. *Scal.*

67 *Filia tu speciem*] Lege, *specimen.* Scal.

75 *Fungere maternis*] Euripides Alcestide: Σὺ νῦν γενοῦ τοῖς ἀντ' ἐμοῦ μήτηρ τέκνοις. *Scal.*

85 *Seu tamen adversum*] Vide quæ in Festum notavimus voce ‘ Parilia.’ Quæ convenibant in manum viri, lectum sibi sternebant in atrio, quem adversum vocabant, quia e regione januæ esset. Hoc confirmamus testimoniis Asconii et Laberii. Janua dicitur mutare lectum, quæ videt alium adversum lectum in locum prioris, nova scilicet uxore domum ducta. Græci hujusmodi lectum vocabant παράβυστον. Pollux et alii veteres Magistri; Κλίνη ὠνομάζετο γαμικὴ, καὶ ἑτέρα παράβυστος, ἣ καὶ αὐτὴ στρώννυται ἐν τῷ δωματίῳ ὑπὲρ τοῦ τὴν παῖδα μὴ ἀθυμῆσαι. Clarius et convenientius mori Romano Hesychius dicit στρώννυσθαι παρὰ τῷ μεγάρῳ. Atque hæc est vera hujus loci interpretatio. *Scal.*

96 *Prole mea Paullum*] Post hunc versum junge tria disticha, quæ superius a nobis relicta sunt, FILIA TU SPECIMEN CENSURÆ, &c. *Scal.*

102 *Cujus honoratis ossa vehantur aquis*] Legendum EQUIS, ut habet noster codex. Hæc confirmant quæ superius dixi, nempe matronas honorariis vestibus, curru et sella curuli efferri, quæ filios consulares aut aliis curulibus magistratibus functos relinquerent. Simile quod scribit Lampridius in Alagabalo: Imperatores matronis affinibus consularis conjugii ornamenta dare solitos. Equi honorati sunt curules, vel currus prætorius, in quo sella curulis. Quare et Prætorium jus dicitur honoratum, et honorarium; et ludi Prætorii, honorarii ludi; et Prætor ipse honorarius magistratus. Ovidius: ‘ Verbaque honoratus libera Prætor habet.’ Ita autem hæc ultima distinguenda: *Caussa perorata est: flentes me surgite testes, Dum precium vitæ grata rependit humus. Moribus et cœlum patuit, sim digna merendo Cujus honoratis ossa vehantur equis.* Scal.

JANI DOUSÆ FILII

IN

SEXTUM PROPERTIUM

CONJECTANEA ET NOTÆ.

LIBER I.

CAPUT I.

Propertii cuidam loco labecula detersa; compluribus interpretamentis fax adhibita. Secunda Elegia tota pensiculatius excussa, et cum Philostrati locis sparsim collectis aliorumque nonnullis collata.

Lib. I. El. I. vs. 1. *Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis*] Quod Propertius de semet ipso, id de Amore Meleager scribit his verbis: *Καὐτὸς ἔρως ὁ πτανὸς ἐν αἰθέρι δέσμιος ἥλω, Τοῖς σοῖς ἀγρευθεὶς ὄμμασι, Τιμάριον.*

Vs. 3. *Tum mihi constantis dejecit lumina fastus*] Quid si *constanti?* Ita quidem et Propertio constabit suus lepor, et 'fastus' interpretabimur contemtum ac repulsam, loquendi forma huic nostro usitata, ut ad Cynthiam referatur, non ad Poëtam.

Vs. 4. *Et caput impositis pressit amor pedibus*] Idem prorsus et Paulus Silentiarius de Amore, Anthol. VII. *Ἐξότε γάρ μοι Λὰξ ἐπιβὰς, στέρνοις πικρὸν ἔπηξε πόδα.*

El. II. vs. 7. *Crede mihi non ulla tuæ medicina figuræ est*] Locum hunc a nemine discussum ita interpretor: Tam formosa es ut nulla medicamina sint, sive venena, ut veteres loquebantur, quæ formam tuam propriis bonis et nativa venustate pulcherrimam emendare ac velut ægrotantem restituere possint, id quod mulieres interpoles faciunt: medicina autem egent ea quæ in morbo cubant: et, ut scite Philostratus in Epistolis scribit, *ἡ καλλωπιζομένη γυνὴ θεραπεύει τὸ ἐλλιπὲς, φοβουμένη φωραθῆναι ὃ οὐκ ἔχει, ἡ φύσει καλὴ οὐδενὸς δεῖται τῶν ἐπικτήτων, ὡς προσαρκοῦσα αὐτῇ πρὸς πᾶν τὸ ὁλόκληρον. ὀφθαλμῶν δὲ ὑπογραφαὶ, καὶ κομῶν προσθέσεις, καὶ χειλέων βαφαὶ, καὶ εἴτι κομμωτικῆς φάρμακον, καὶ εἴτι ἐκ φυκίου δολερὸν ἄνθος, ἐπανόρθωσις τοῦ ἐνδεοῦς εὑρέθη.* Quæ omnia ad interpretationis nostræ stabilimentum unice faciunt, atque adeo vel sola explicant hunc Propertii locum.

Vs. 9. *Aspice quos submittit humus formosa colores, Et* (forte *Ut*) *veniant hederæ sponte sua melius*] Similia his et illa ejusdem Philostrati in alia E-

pistola: *τὸ κάλλος ἀμελούμενον μᾶλλον ἀνθεῖ, καθάπερ τῶν φυτῶν ὅσα τῇ φύσει θαῤῥοῦντα καὶ τῆς τῶν γεωργῶν ὀλιγωρίας οὐ χρήζοντα*: et paulo post: *ὥσπερ οἱ βότρυες, καὶ τὰ μῆλα, καὶ ἔτι ἄλλο αὐτόματον καλόν.*

Vs. 15. *Non sic Leucippis succendit Castora Phœbe*] Utitur exemplis mulierum de heroicis seculis, quas, ut ipse alibi loquitur, 'tulit formosi temporis ætas,' ad comprobandum ingenuæ pulchritudinis decus magis quam affectatæ atque interpolis formæ lenocinium ad amorem non allicere solum, sed et trahere homines. Similiter et Philostratus: *οὐδὲ ἐν ταῖς κηρίναις τέταξαι γύναιξιν, ἀλλ' ἐν ταῖς ἀδόλοις καλαῖς. οἷαι καὶ αἱ πρότεραι ἦσαν, ὧν χρυσὸς ἤρα, καὶ βοῦς, καὶ ὕδωρ, καὶ ὄρνιθες, καὶ δράκοντες.*

Vs. 19. *Nec Phrygium falso traxit candore maritum*] Sic Philostratus: *καὶ πάντας ἕλκεις τῷ λίνῳ ἀμελουμένῳ.*

Vs. 22. *Qualis Apellæis est color in tabulis*] Huc pertinet illa Carfilidis interrogatio: *τί κάλλος; φυσικὴ ζωγραφία.*

Vs. 23. *Non illis studium vulgo conquirere amantes*] Ὁ *γὰρ καλλωπισμὸς ἑταιρικὸν*, ut Philostratus ait, et *τὸ φυκίον, καὶ ὁ κηρὸς, καὶ τὸ ταραντινὸν, καὶ οἱ ἐπικάρπιοι ὄφεις, καὶ αἱ χρυσαῖ πέδαι, Θαΐδος, καὶ Ἀρισταγόρας, καὶ Λαΐδος φάρμακα*: et ut ipse mox dicit: 'Uni si qua placet, culta puella sat est.' Utrumque exprimit Melissa in Epistola ad Clearetam: cum enim de sumptuoso vestium apparatu locuta esset, subjungit: *ταῖς ἑταίραις γὰρ τάδε χρήσιμα ποττὰν τῶν πλειόνων θήραν. τᾶς δὲ ποθ' ἕνα τὸν ἴδιον εὐαρεστούσας γυναικὸς κόσμος ὁ τρόπος πέλει, καὶ οὐχ αἱ στολαί.*

Vs. 28. *Aoniamque lubens Calliopea lyram*] Videtur alludere ad formulam, LUBENS MERITO.

CAPUT II.

'Arma.' *ὅπλα.* 'Vitam vivere,' 'navem navigare,' 'millia quanta.' Propertius multotiens emaculatus, Manilius semel.

El. III. vs. 13. *Et quamvis duplici correptum ardore juberent Hac amor hac Liber, durus uterque Deus*] Huc pertinet illud Græci Poëtæ Anthol. IV. *Ἐν κυάθῳ τὸν ἔρωτα. τίνος χάριν; ἀμετὸν οἴνῳ Αἴθεσθαι κραδίην. μὴ πυρὶ πῦρ ἐπαγε.*

Vs. 16. *Osculaque admota sumere et arma manu*] Quid hoc loco per 'arma' denotari velit Poëta noster, non est consulendus *λοξίας*, satis enim declarat suam mentem. Cæterum notandum in eadem significatione apud Græcos *ὅπλα* poni. Nicander in II. Georg. apud Athenæum: *Τὸ δέ που ἐπὶ μέσσον ὄνειδος Ὅπλον Βρωμήταο διαστέλλον πεφάτισται.* Antipater Anthol. I. *Πολλὰς δ' ἐστὶ γυναῖκας ἰδεῖν Οὐχὶ καλὰς τὴν ὄψιν ὁπλιζομένας ἀκορέστως*: mulieres intelligens, qualis illa Glyco apud Furium Comicum, quam ita loquentem inducit, Fulgentio teste: 'Myrrhinum mihi adfer, quo virilibus armis occursem fortiuscula.'

Vs. 45. *Dum me jucundis lapsum sopor impulit alis, Illa fuit lacrymis ultima cura meis*] Plane huic geminum illud Heliodori lib. I. *καὶ οὐδ' ἂν ἔληξαν θρηνοῦντες, εἰ μή τις ὕπνος ἐπιπτὰς ὑφ' ἡδονῆς τῶν γόων ἔπαυσε τῶν δακρύων*: ubi sententia postulat ut *τῶν τε δακρύων*, aut *καὶ δακρύων*, legatur.

El. IV. vs. 3. *Vitæ quodcunque sequetur Hoc magis assueto ducere servitio*] Scriptus codex V. C. Francisci Modii, pro *ducere*, *vivere* habebat, quod damnare mihi religio sit, qui sciam 'vitam vivere,' 'servitutem servire,' 'noxam nocere,' et hæc talia tralaticia esse apud Latinos. Sed et 'navem navigare' dixit Ulpianus in l. I. ff. Nautæ caup. stabul.

Vs. 8. *Cynthia non illas nomen habere sinat*] Omnino legendum *sinet*, quomodo et in codice Modiano exstare postea comperi.

Vs. 17. *Sciet hæc insana puella*] Malim: *sciet hoc insana puella.*

Vs. 23. *Nullas illa suis contemnet fletibus aras*] Contemnet, id est, præteribit seu negliget. Apuleius Miles. VI. 'rata scilicet nullius Dei fana et cærimonias negligere se debere, sed omnium benivolam misericordiam corrogare.'

Vs. 27. *Maneat sic semper adoro, Nec quidquam ex illa, quod querar, inveniam*] Lego *Ne quidquam*, ut concinnior sit sententia.

El. V. vs. 10. *At tibi curarum millia quanta dabit*] Sic dictum 'millia quanta,' ut a Plauto: 'Sexcenta tanta reddam, si vivo, tibi.'

El. VI. vs. 3. *Cum quo Riphæos possim conscendere montes*] Si audaci mihi liberet esse; legerem *ausim* pro *possim*: quamvis id hic eodem sensu retinere possimus, ut infra: 'Et contra magnum potes hos attollere Solem.' 'potes,' id est, audes. Similem mendam eluo Manilio lib. V. ubi in omnibus libris legitur: 'Cum semel æthereos jussus conscendere currus Summum contigerim sua per fastigia culmen:' rescribo enim: *ausus:* neque obstat quod præcessit: 'Me properare viam Mundus jubet.'

Vs. 16. *Insanis ora notet manibus*] Sic Ovidius: 'et insanis unguibus ora nota:' ipse alibi: 'Projicis insana cymbia plena manu:' item: 'Saucia vesana verberat ora manu.'

Vs. 22. *Semper at armatæ cura fuit patriæ*] Videtur dictum, ut a Pindaro Olymp. I. 'Αρεταῖσι μεμαλότας υἱούς.

CAPUT III.

'Ita sim felix.' Exempla versuum qui æquali sono finiantur. 'Dicere.' Aliquot amantium affectus indicati et in lucem protracti. Conjecturæ nonnullæ et correctiones.

El. VII. vs. 3. *Atque, ita sim felix, primo contendis Homero*] Augustus apud Suetonium in Tiberio cap. XXI. 'Vale, jucundissime, et, ita sim felix, vir fortissime.'

Vs. 17. *Longe castra tibi, longe miser agmina septem Flebis in æterno surda jacere situ*] Sic Silius lib. I. 'longe clausis sua fœdera, longe Ausoniam fore.' Florus lib. II. cap. II. 'Longe illis nauticæ artes, detorquere remos et ludificari fuga rostra:' et cap. VI. 'Longe illi triplex murus, totidemque arces.'

El. VIII. vs. 11. *Nec tibi Tyrrhena solvatur funis arena*] Versus hujus generis non solum Ovidio, sed et Propertio nostro ita crebri, ut pene elegantiæ studio ultro affectati videantur; et quidem, qui, in inciso et extremo, æquali sono finiantur, præter hunc sunt isti: Eleg. XVII. hujus libri: 'Quin etiam absenti prosunt tibi, Cynthia, venti.' Lib. III. Eleg. VII. 'In mare cui soli non valuere doli.' Eleg. VIII. 'Dulcis ad hesternas fuerat mihi rixa lucernas.' In duobus versibus unum exstat exemplum lib. II. Eleg. III. 'Non, non humani sunt partus talia dona, Ista decem menses non peperere bona.' Quod et apud Græcos Anacreon fecit: Ἵν' ἂν θανεῖν ἐπέλθῃ, Λάθῃ τι καὶ παρέλθῃ.

El. IX. vs. 1. *Dicebam tibi venturos irrisor amores*] Quatuor hic versibus idem dicit quod Alciphron in Epistolis ex persona amatoris cujusdam: ὁ ποτὲ γελῶν τοὺς ἐκ τρυφῆς πάθει δουλεύοντας, ὅλος εἰμὶ τοῦ πάθους.

Vs. 6. *Dicere, quos juvenes quæque puella domet*] 'Dicere' interpretor, quasi ex oraculo promere: (hinc 'Dictio' pro oraculo:) innuit enim se de amore consultum respondere posse, quod et Tibullus de se ipso profitetur: 'Gloria cuique sua est, me, qui spernentur amantes, Consultent: cunctis janua nostra patet. Tempus erit, cum me Veneris præcepta ferentem Deducat juvenum sedula turba senem.'

Vs. 21. *Quam Pueri totiss arcum sentire medullis*] Malo legere, atque omnino ita restituendum puto: *Quam Pueri totis arcum sentire medullis.* Sic Ovidius: 'totis bibit ossibus ignem.'

Vs. 33. *Quare, si pudor est, quam primum errata fatere*] Legendum arbitror *ni pudor est*, sententia aptissima atque etiam apertissima, si accommodentur huc illa Catulli: 'Flavi, delitias tuas Catullo, Ni sint illepidæ atque inelegantes, Velles dicere, nec tacere posses. Verum nescio quid febriculosi Scorti diligis: hoc pudet fateri.' Quæ non parum aperiunt mentem hujus loci, si ita legatur, ut eum restituendum putamus.

Vs. 34. *Dicere quo pereas, sæpe in amore juvat*] 'Quo,' sc. amore: aut legendum *qua*, ut intelligatur amica. Alludit autem ad Proverbium Græcorum, cujus et Plato in Symposio meminit κάλλιον τὸ φανερῶς ἐρᾷν τοῦ λάθρα. Ut enim Aristænetus in Epistolis inquit: πέφυκε τοῖς ποθοῦσιν ἔτι μᾶλλον ἐπαύξειν ὁ λαθραῖος ἅμα καὶ στυγόμενος ἔρως. Sic Horatius: 'Dicat Opuntiæ Frater Megillæ, quo beatus Vulnere, qua pereat sagitta.'

El. x. vs. 5. *Cum te complexa morientem, Galle, puella*] Sic supra: 'Sed me complexæ remorantur verba puellæ.' Petronius: 'Animam nostro amplexam in corpore:' id est, περιπλεχθεῖσαν. Vide Priscianum lib. VIII. et x. Quod autem dicit 'morientem,' egregie tangit affectus amantium, ut et Sappho: Τεθνᾶναι δ' ὀλίγου δέουσα φαίνομαι ἄπνους. Et ipse infra: 'Et cupere optatis animam deponere verbis.' Sed omnium elegantissime et γραφικῶς hæc describit Heliodorus lib. II. καὶ εἴχοντο ἀλλήλων, ἄναυδοι μὲν, ἀλλ' ὥσπερ ἠρεμένοι, καὶ μικρὸν ἔδει ἀποθνήσκειν αὐτούς. οὕτως ἄρα καὶ τὸ χαρᾶς ὑπερβάλλον, εἰς ἀλγεινὸν περιέστη πολλάκις, καὶ τῆς ἡδονῆς τὸ ἄμετρον ἐπίσπαστον λύπην ἐγέννησεν. Ex quibus verbis haud difficile explicatu est, cur 'lacrymas,' 'dolores,' 'curas' toties iteret hac Elegia.

Vs. 9. *Non tamen a vestro potui secedere lusu: Tantus in alternis vocibus ardor erat*] Sic infra Elegia XIII. 'Non ego complexus potui diducere vestros, Tantus erat demens inter utrosque furor.'

Vs. 13. *Non solum vestros didici reticere dolores*] Quid si *calores?* nam dixerat antea: 'Tantus in alternis vocibus ardor erat.' Tamen neque vulgatum illud displicet, propter caussam quam modo exposui.

CAPUT IV.

Propertiani cujusdam loci multiplex explicatio. 'Communes Dii.' Fortuna, Venus, Amor, Mars. Nemesis alata. Cur Cyllenius 'communis stella' dicatur Apuleio, varie declaratum. Idem cur eloquentiæ præses. Homerica imitatio. 'Flagrans amor Herculis,' et similia quædam. Aliquot locorum collatio.

Quod legitur Elegia sequenti: El. XI. vs. 15. *Ut solet amoto labi custode puella Perfida, communes nec meminisse Deos:* variam explicationem admittit: nam aut ad omnes Deos referri potest quibus quasi testibus interpositis mutua inter se fide amantes obligantur; aut ad solam Fortunam, quæ omnibus communis est, et nunc huic nunc alii benigna; quæ sententia firmatur hoc Menandri versu: ἄνθρωπος ὢν μέμνησο τῆς κοινῆς τύχης· aut etiam ad Venerem, quam ab inconstantia ποικιλόθρονον appellat Sappho: aut denique ad Amorem, qui paullo momento mutabilis, et ita in levitate sua constans est, ut periculum sit patri sive vitrico, ne cognominis sui jacturam faciat, quem ἀλλοπρόσαλλον Græci vocant: nam ut Ovidius dixit in Amoribus: 'Quod dubius Mars est, per te, privigne Cupido, est.' Hinc et ipse supra: 'Nullus amor cuiquam faciles ita præbuit alas, Ut non alterna presserit illa manu.' Et lib. II. 'sæpe Cupido Huic malus esse solet, cui bonus ante fuit.' Et Philostratus in Epistolis: καὶ ἔρως καὶ νέμεσις ὀξεῖς θεοὶ καὶ στρεφόμενοι: ubi Nemesim et Amorem rite conjunxit,

nam ejus Deæ simulachra, veluti et Cupidinis, apud Smyrnæos alata fuerunt, teste Pausania, quod ejus numen, ut idem addit, in iis potissimum appareret, qui amore capti sunt. 'Communes' porro 'Deos' dixit similiter ac Pindarus in Nemeis: Κοιναὶ γὰρ ἔρχοντ' ἐλπίδες Πολυπόνων ἀνδρῶν. Sic Apuleius in libro de Mundo 'communem stellam' Cyllenium appellat: quod, quia, aliis minus intellectum, occasionem dedit locum in suspicionem corruptelæ vocandi, breviter explicare constitui. Ac primum communis appellari potest Mercurius, quod cuicunque se Planetæ conjunxerit; cum eo vires suas communicet, et noxius salutarisve fiat pro noxiæ aut salutaris stellæ applicatione et aspectu. Est enim sidus versipelle, ut cum Plauto loquar, eoque per aquæ elementum apud Platonicos designari solitum. Notandum autem quod minus tritum est, hinc caussam a quibusdam desumi, cur eloquentiæ præses appelletur; quod nos docuit Joannis Salisberiensis Policratici sui, sive De nugis curtalium, lib. II. cap. XIX. 'Mercurius vero talis est, qualem vicini Planetæ permiserunt: cum et ipse convertibilis naturæ sit, potentioribusque cohæreat. Unde plerique eum præsulem eloquentiæ opinantur, eo quod illa juncta sapientiæ plurimum prosit, malitiæ sociata noceat plurimum.' Neque hæc apud alium scriptorem facile reperias, quæ ille haud dubie, ut pleraque omnia, hausit ex aliquo eorum qui nunc non exstant. Epitheti 'communis' et altera ratio e secretiore Astrologorum doctrina peti potest, qui inter erraticas stellas Solem Jovemque diurnas appellarunt, nocturnas autem Lunam et Venerem. Φθορίους vero et interitus caussam adferentes Saturnum et Martem, hunc nocturnis, illum diurnis attribuerunt, bonis siquidem beneficisque stellis id ipsum, per quod boni effectores sunt, eripiunt: nam et Saturnus, ut pote rigoris genitor, diurnum calorem a Sole ac Jove quodammodo aufert; et Mars humorem illum genitalem, quo Luna et Venus pollent, exsiccat. Mercurium porro communem diei, noctisque, et stellarum, quæ tenebris aut luci præsunt, esse voluerunt. Potest etiam allusisse videri Apuleius ad illam Græcorum, κοινὸς ὁ Ἑρμῆς, quod adagionis vim in se habet, quoque Plutarchus et Lucianus utuntur. Quid quod æquam potestatem in cælo et apud inferos illi tribuunt Poëtæ? unde 'superis Deorum Gratus et imis' Horatio, 'commune profundis Et superis numen' Claudiano dicitur. Quod tametsi non tam ad Mercurii sidus quam ad numen pertinet, tamen addere visum est, ne cui eo nomine tantum id elegantius videretur, quod id nos fugisset.

Vs. 23. *Tu mihi sola domus, tu, Cynthia, sola parentes*] Plane Homericum est: ita enim Andromache apud illum Iliad. Z. Ἕκτορ ἀτὰρ σύ μοί ἐσσι πατὴρ, καὶ πότνια μήτηρ, Ἠδὲ κασίγνητος, σὺ δέ μοι θαλερὸς παρακοίτης. Huc quoque pertinet illud Eleg. XVIII. lib. II. 'Cum tibi nec frater, nec sit tibi filius ullus, Frater ego et tibi sim filius unus ego.'

El. XIII. vs. 23. *Nec sic cælestem flagrans amor Herculis Heben*] Duo hic observanda sunt, primum 'flagrans' cum accusativo junctum, deinde 'flagrans amor Herculis' positum pro Hercule amore incenso, ut 'error Herculis,' pro errante Hercule, infra Eleg. XX. sic 'hiatum leonis' pro leone hiante invenias apud Lucretium lib. V. 'equorum vires,' pro valentibus equis apud Manilium lib. V. παλαιγενέων κλέα φωτῶν, pro inclytis Heroibus apud Apollonium; 'fugam servorum,' pro servis fugitivis, in l. 2. ff. de lege Fabia.

Vs. 28. *Nec sinet abduci*] In libro

clarissimi Modii erat, *adduci*, quod probo; pendet enim ἀπὸ κοινοῦ 'præteritos fastus.'

El. XIV. vs. 15. *Nam quis divitiis adverso gaudet amore? Nulla mihi tristi præmia sint Venere*] Non longe abludit hinc illud Mimnermi: Τίς δὲ βίος, τί δὲ τερπνὸν ἄτερ χρυσῆς Ἀφροδίτης; cujus meminit Horatius Epistol. lib. I.

El. XV. vs. 9. *At non sic Ithaci digressu mota Calypso Desertis olim fleverat æquoribus*] Sic infra Eleg. XX. 'Quæ miser ignotis error perpessus in oris Herculis indomito fleverat Ascanio.' Ovidius Fastor. III. ex persona Ariadnes: 'En iterum fluctus similes audire querelas.' Lycophron in Cassandra: Τί μακρὰ τλήμων εἰς ἀτημόνους πέτρας, Εἰς κῦμα κωφὸν, εἰς νάπας δυσπλήτιδας Βάζω, κενὸν ψάλλουσα μάστακος κρότον; id est: 'Sed quid misella longum ad ignaras petras, Salumque surdum, et asperas cautes loquor, Sonos inanes murmuris rauci ciens?' Similiter profundit questus suos apud Sophoclem Philoctetes, loco quem paulo post citabimus. Alia quædam ad hanc rem pertinentia dixi in Catullum.

Vs. 32. *Sis quodcunque voles, non aliena tamen*] Sic Tibull. 'Perfida, sed, quamvis perfida, cara tamen.'

CAPUT V.

Senecæ locus a prava aliorum correctione vindicatus, et alibi correctus. 'Aura frigida Eoo gelu,' ἔγχαυρον. 'Semper amans.' Fabula remotior de pinu. 'Divini fontes.'

El. XVI. vs. 12. *Turpior et secli vivere luxuria*] Locus hic commode mihi in memoriam revocat illum Senecæ Epist. LXXXIX. 'Quid inquiris, an Penelope impudica fuerit, an verba seculo suo dederit?' In quo miror invenisse viros doctos quod offenderet, et suspectam faceret Latinitatem ejus locutionis: 'verba seculo suo dare.' Atqui, si exempla requirunt, ingero illis Ovidium Amorum lib. III. Eleg. XIII. 'Da populo, da verba mihi: sine nescius errem, Et liceat stulta credulitate frui.' Plane enim, similia hæc, 'populo' et 'seculo dare verba.' Ac fortasse scripsit Seneca: *an Penelope pudica fuerit*, ut opponantur inter se, pudicam esse, et verba dare iis quibus pudicam se esse persuaserat.

Vs. 24. *Frigidaque Eoo me dolet aura gelu*] Allusio ad etymon auræ, quod est, quasi ἀπὸ τῆς ἠῶ ῥέουσα: unde et ἔγχαυρον diluculum appellat Apollonius in Argonauticis; id quod alii λυκόφως, περὶ γὰρ τὸν τοιοῦτον καιρὸν, ut tradit Apollonii Scholiastes, αἱ αὖραι πνέουσι, καὶ τοῦτο δὲ ἐκ τοῦ Ποιητοῦ· Αὔρη δ' ἐκ ποταμοῦ ψυχρὴ πνέει ἠῶθι πρό.

Vs. 47. *Sic ego nunc dominæ vitiis et semper amantis Fletibus*] Malim, *semper-amantis*, ut sit ὑφέν. Sic Lucretius: 'semper-florentis Homeri.'

Eleg. XVII. vs. 2. *Nunc ego desertas alloquor Halcionas*] Sic Elegia sequenti: 'Et quodcunque meæ possunt narrare querelæ, Cogor ad argutas dicere solus aves:' innuens deesse sibi frequentiam hominum, quibus querelas suas (in quibus omnis adversa fortuna habet levamentum, ut Seneca loquitur) exponere possit. Ita conqueritur et Philoctetes apud Sophoclem: Ὦ λιμένες, ὦ προβλῆτες, ὦ ξυνουσία Θηρῶν ὀρείων, ὦ καταρρῶγες πέτραι, Ὑμῖν τάδ', οὐ γὰρ ἄλλον οἶδ' ὅτῳ λέγω.

El. XVIII. vs. 20. *Arcadio pinus amica Deo*] Vere 'amica;' ut pote quem Boreæ amatori item suo, tunc quum puella adhuc esset, longe præferret; unde Thrax ille injuriæ impatiens deprehensam forte solam spatioso campo saxo allisit; quam infeliciter moribundam exceptam intra gremium suum tellus in arborem cognominem commutavit, cujus frondibus postea

tempore præcinctus semper spectatus est Arcas Deus. Quæ fabula exstat apud Constantinum Geoponic. xi. et tangitur a Nonno in Dionysiacis: neque movissem, nisi neglexissent monere, qui cætera in enarrandis fabulis diligentissimi, ita ut hæc sola pene illis cura curata. Quod autem libri nonnulli *amata* legunt pro *amica*, minus placet. Præcessit enim: 'Si quos habet arbor amores;' id est, si quando amor etiam arbores tetigit, veluti Pitym puellam, quæ, quod Pani se amicam præstitit, in arborem commutata est.

Vs. 27. *Pro quo divini fontes*] Frontinus de Aquæductibus: 'Fontium memoria cum sanctitate adhuc exstat et colitur.' Hinc a Cicerone secundo de Legibus 'fontis ara' memoratur, in tertio de Natura Deorum 'fontis delubrum.' Janus Gruterus, amicus meus, et curiose doctus has literas, legit *Clitumni fontes* in Suspicionibus, quod non improbo. Cæterum *divini* eadem sententia putem retineri posse, ut Clitumnus ipse intelligatur per hos *divinos fontes*, numen præsens atque etiam fatidicum, cuique eo loco adjacet templum priscum et religiosum, ut auctor est Plinius in Epistolis.

LIBER II.

CAPUT VI.

Locus Propertii restitutus. 'Lyræ carmen digitis percurrere.' 'Muta favilla.' 'Ignorare.' Apuleio lux. Ariadnes chorus. 'Tamen' pro, tandem.

Illud, quod in ipso secundi libri limine occurrit: El. i. vs. 9. *Sive lyræ carmen digitis percussit eburnis:* ut a vera germanaque scriptura degenerasse credam, facit locutionis ejus insolentia, *digitis carmen percutere:* quam si consideres, nihil verius arbitrabere conjectura nostra: *Sive lyræ carmen digitis percurrit eburnis.* Sic Virgilius in Culice ex correctione magni Scaligeri: 'Mollia sed tenui percurrere carmina versu.' Et Ovidius Amorum lib. ii. Eleg. x. 'Hæc querulas habili percurrit pollice chordas.'

Vs. 77. *Taliaque illacrymans mutæ jace verba favillæ*] Sic supra: 'Quæ tu viva mea possis sentire favilla.' Horatius: 'Debita sparges lacryma favillam Vatis amici.'

El. ii. vs. 4. *Juppiter, ignoro pristina furta tua*] 'Ignorare' hic est, aspernari et cognoscere nolle, quasique mentione indignum negligere. Qualem ejus verbi notionem notavit in illo Plauti Amphytr. Janus Guilelmius: 'Quem omnes mortales ignorant, et ludificant, ut lubet.' Cui addo similiter accipi id verbum apud Ciceronem Orat. pro Roscio Amerino: 'A me autem ii contenderunt, qui apud me et amicitia, et beneficiis, et dignitate plurimum possunt: quorum ego neque benevolentiam erga me ignorare, nec auctoritatem aspernari, nec voluntatem negligere debeam.' Hinc lucem capit Apuleii illud Milesi. v. 'Jamque ista, quæ ferimus, non parentibus nostris, ac nec ulli demonstremus alii; imo, nec omnino quidquam de ejus salute norimus.'

El. iii. vs. 18. *Egit ut Evantes dux Ariadna choros*] Alludit ad simulacrum Dædali, de quo Homerus Iliad. Σ. Ἐν δὲ χορὸν ποίκιλλε περικλυτὸς Ἀμφιγυήεις, Τῷ ἴκελον οἷόν ποτ' ἐνὶ Κνωσσῷ εὐρείῃ Δαίδαλος ἤσκησεν καλλιπλοκάμῳ Ἀριάδνῃ. Id apud Gnossios fuisse ex albo lapide constructum auctor est Pausanias in Bœoticis.

Vs. 27. *Nunc Pari tu sapiens et tu Menelaë fuisti, Tu, quia poscebas, tu, quia lentus eras*] Parissimum huic illud Ovidii III. de Arte: 'Aut Helene, quam non stulte, Menelaë, reposcis; Tu quoque non stulte, Troice raptor, habes.'

El. v. vs. 5. *Inveniam tamen e multis fallacibus unam Quæ fieri nostro carmine nota velit*] 'Tamen' hic interpretor, tandem: quomodo et Nonius illud in Pacuvii Peribœa, 'Tamen obfirmato animo mitescit metus,' exponit.

Vs. 11. *Non ita Carpathiæ variant Aquilonibus undæ, Nec dubio nubes vertitur atra Noto, Quam facile irati verbo mutantur amantes*] Sic infra Eleg. IX. de inconstantia muliebris animi: 'Non sic incerto mutantur flamine Syrtes, Nec folia hiberno tam tremefacta Noto, Quam cito feminea constat non fœdus in ira.'

CAPUT VII.

De Laide collati inter se aliquot scriptorum loci. 'Multa arena porrectus.' Propertius quinquies castigatus: illustratus et Claudianus.

El. vi. vs. 1. *Non ita complébant Ephyreæ Laidos ædes, Ad cujus jacuit Græcia tota fores*] Plutarchus in Amatorio: Ἴστε δήπουθεν ἀκοῇ Λαΐδα τὴν ἀοίδιμον ἐκείνην καὶ πολυήρατον, ὡς ὑπέφλεγε πόθῳ τὴν Ἑλλάδα, μᾶλλον δὲ ταῖς δυσὶν ἦν περιμάχητος θαλάσσαις. Quo videtur respexisse Claudianus lib. I. in Eutropium: 'Haud aliter juvenum flammis Ephyreia Lais E gemino ditata mari.' Lubet et sequentia attexere, ut illustrem: 'Cum serta refudit Canities, jam turba procax noctisque recedit Ambitus, et raro pulsatur janua tactu, Seque reformidat speculo damnante senectus, Stat tamen atque alias succingit leno ministras.' Idem enim de Laide tradit et Synesius in Epistola quadam, ubi inter cætera ait: Καὶ προὔδοθη τῆς τέχνης, ἧς ἐπειδὴ τὴν ἐργασίαν ὑπὸ χαλαρᾷ ῥυτίδι κατέλυσε, τὰς ἐν ἡλικίᾳ παιδοτριβεῖ καὶ τοῖς ξένοις ἀντικαθίστησιν.

Vs. 12. *Me soror, et cum qua dormit amica simul*] Ἀκολουθίαν sermonis considera, et nihil verius arbitrabere emendatione nostra: *Me soror, et cum qua dormit amica simul:* quasi dicat: Me lædit etiam amica aliqua tua, cum tecum dormit, o Cynthia: ineptum enim esset, cum proximo versu sermonem ad ipsam dixerit, subito velut sui oblitum loqui de ea in tertia persona.

Vs. 13. *Omnia me lædent*] Mallem: *lædunt.*

El. vii. vs. 7. *Nam citius paterer caput hoc discedere collo*] Scripserim libens: *abscedere.*

Vs. 20. *Hic erit et patrio sanguine pluris amor*] Huc pertinet illud ejusdem: 'Nescit amor priscis cedere imaginibus.'

El. viii. vs. 33. *Viderat informem multa Patroclon arena Porrectum*] Imitatio Homerica est: sic enim ille Il. H. Βλάψε δέ οἱ φίλα γοῦναθ', ὁ δ' ὕπτιος ἐξετανύσθη. Agathias Scholasticus Anthol. I. Σὺ δ' εἴρεο θεῖον Ὅμηρον, Πῶς τὸν Πριαμίδην ἐξεκύλισσα πέδῳ. Martialis lib. I. 'Et volucrem longo porrexit vulnere pardum.'

El. ix. vs. 25. *Hæc mihi vota tuam propter suscepta salutem*] Inscriptio vetus:

DEÆ SYRIÆ
SACR.
VOTO SVSCEPTO
PRO SALVTE.

El. x. vs. 23. *Sic nos nunc inopes laudis conscendere carmen*] 'Scandendi' verbum videtur postulare, ut scribamus *culmen.*

El. xi. vs. 2. *Ludet, qui sterili semina ponit humo*] Malim: *Ludit:* quamvis commode etiam reponere possis cum magno Scaligero *Laudet.*

CAPUT VIII.

Elegia Propertii de Amore tota penicululatius excussa. Amantes pue-

ris comparantur, idque a Platone esse ostensum: indidem Plautus illustratus: itemque Ovidius paulo post. Aliquot locorum cum Græcis contentio comparatioque. Epigramma quoddam ex Amoribus meis insertum per occasionem.

Ventum est ad Amoris descriptionem in Poëta nostro Umbro, quæ, veluti Cupidinis clavo affixum, me coget sibi diutius immorari non invitum: ita suavis est et delenefica. Ait primo:

El. xii. vs. 1. *Quicunque ille fuit, puerum qui pinxit amorem, Nonne putas miras hunc habuisse manus*] Idem fere Theophylactus in Amatoriis: Ἐπαινῶ τοὺς ζωγράφους. ὑποπτέρους γὰρ τοὺς ἔρωτας ἀναγράφουσι, καὶ τέχνῃ διαμορφοῦσι τὰ πράγματα, καὶ τοῖς πλάσμασι τὴν ἀλήθειαν τερατεύονται. Quæ maxime pertinent ad illum versum: 'Idem non frustra ventosas addidit alas.'

Vs. 3. *Is primum vidit sine sensu vivere amantes*] Amantes pueris comparat, quod et prudentia careant instar puerorum, et in puerilibus nugis ac curis occupentur. Quod et ante hunc fecit Plato in Philebo, ubi caussam, cur amantium perjuriis ignoscat Juppiter, hinc deducit, ita scribens: Ὡς δὲ λόγος καὶ ἐν ταῖς ἡδοναῖς ταῖς περὶ τὰ ἀφροδίσια, αἳ δὴ μέγισται δοκοῦσιν εἶναι, καὶ τὸ ἐπιορκεῖν συγγνώμην εἴληφε παρὰ θεῶν, ὡς καθάπερ παίδων τῶν ἡδονῶν νοῦν οὐδὲ τὸν ὀλίγιστον κεκτημένων. Quem locum citat Athenæus libro xii. sed corrupte: itaque hinc emendetur. Facit ad hanc comparationem et illud Plauti in Mercatore, ubi amator senex, tanquam elementarium puerum, in ludum se ire cœpisse jocatur, bella translatione: 'de. Hodie ire in ludum occœpi litterarium. Lysimache ternas scio jam. ly. Quid ternas? de. Amo.' Nam amori præter cætera accedunt, ut in Prologo dixit ibidem Plautus: 'Ineptiæ, stultitiæque adeo, et temeritas, Incognitia, excors immodestia, Petulantia, cupiditas, et malevolentia.' Quæ omnia in ætatem et affectus puerorum optime quadrant.

Vs. 7. *Scilicet alterna quoniam jactamur in unda*] Sic Amorem fluctibus ac tempestati assimilat Meleager Anthol. vii. Κῦμα τὸ πικρὸν ἔρωτος, ἀκοίμητοί τε πνέοντες Ζῆλοι, καὶ κώμων χειμέριον πέλαγος. Neque abludit hinc illud Catulli: 'Tanto te absorbens vortice amoris Æstus in abruptum detulerat barathrum.' Hinc Horatius ad amantem: 'Quanta laboras in Charybdi?'

Vs. 13. *In me tela manent, manet et puerilis imago, Sed certe pennas perdidit ille suas: Evolat hei nostro quoniam de pectore nusquam*] Hæc omnia pene ad verbum expressa a Paulo Silentiario Antholog. vii. Μηκέτι τις πτήξειε πόθου βέλος, ἰοδόκην γὰρ Εἰς ἐμὲ λάβρος Ἔρως ἐξεκένωσεν ὅλην. Μὴ πτερύγων τρομέοι τις ἐπήλυσιν. ἐξότε γάρ μοι Λὰξ ἐπιβὰς στέρνοις πικρὸν ἔπηξε πόδα, Ἀστεμφὴς, ἀδόνητος ἐνέζεται. οὐδὲ μετέστη Εἰς ἐμὲ συζυγίην κειράμενος πτερύγων. Unde lucem capiet Ovidius amorum ii. Eleg. ix. cum scribit: 'O in corde meo desidiose Puer.' Quod argumentum animi caussa et ipse tractavi auxique variis inventionibus in Epigrammate quodam meo quod apponam:

Illapsus tacitis pennis Puer ales in alto
  Corde tuam graphice scalpserat effigiem;
Vis oculi quum, Vita, tui cor sustulit omne,
  Et cum corde tuam sustulit effigiem.
Jamque duce errabam amisso, poteramque nec umbram
  Vel reperire tui vel reperire mei,
Lampade quum duplici gemina sub nocte premebat
  Abripiens profugo me mihi sævus Amor;
Lumina dum nobis geminum vibrantia fulgur,
  Lumina sidereis æmula luminibus,

Allaxere facem, qualis post nubila fessis
Esse Helice nautis aut Cynosura solet,
Monstrantes iter igne suo, vestigia possem
Qua reperire mei, qua reperire tui.
At Venus (attonsis quoniam non avolat alis,
Nudus ut in rapto corde remansit Amor,
Hinc dominæ flammis, hinc pectoris ustus ab æstu,
Queis auxit proprias in sua damna faces)
Jam duce cassa suo quærit, neque repperit usquam,
Cum Domina Puerum, cum Puero Dominam.

Sed ut ad Poëtam nostrum redeamus, quod sequitur.

Vs. 17. *Quid tibi jucundum siccis habitare medullis? Non ego, sed tenuis vapulat umbra mea*] Paria facit cum illa Ovidiana expostulatione ad Cupidinem Elegia quam citavimus modo: 'Quid juvat in nudis hamata recondere tela Ossibus? ossa mihi nuda reliquit amor.'

CAPUT IX.

'Gallicus,' pro Phryge. 'Nox longa.' 'Verrere,' 'everrere.' Propertiano versui mutata distinctione subsidium allatum. 'Sicca luna.' 'Candere canis.' 'Venire.' Alia quædam.

El. XIII. vs. 48. *Gallicus Iliacis miles in aggeribus*] Recte *Gallicum* pro Trojano accipere possumus. Stephanus de Urbibus: Γάλλος, ποταμὸς Φρυγίας· οἱ περίοικοι Προμαθίδαν Ποταμογαλληνοί, οὓς παρατίθεται ὁ Πολυΐστωρ ἐν τῷ περὶ Φρυγίας τρίτῳ.

El. XV. vs. 12. *Si nescis, oculi sunt in amore duces*] Eleganter Philostratus in Epistolis: Οἱ ὀφθαλμοὶ ξύμβουλοι τοῦ ἐρᾶν. Hinc Plotinus Philosophus Ennead. III. lib. V. cap. III. ἔρως, ait, quasi ὅρασις.

Vs. 24. *Nox tibi longa venit, nec reditura dies*] Vide sis quæ notavi ad illud Catulli: 'Nox est perpetua una dormienda.' Ubi versum Senecæ ex hoc loco emendamus. Nunc addo exemplum Silii Italici lib. VIII. 'Dii longæ noctis, quorum jam numina nobis Mors instans majora facit.'

Vs. 44. *Nec nostra Actiacum verteret ossa mare*] Malo cum doctissimo Scaligero *verreret*, eleganti locutione. Eandem quoque vocem Cornelio Severo restituo in Ætna: nam et apud illum in mendo cubat: 'Scrutamur rimas, everrimus omne profundum.' Male vulgo editur: *evertimus*.

Vs. 50. *Omnia si dederis, oscula pauca dabis*] Languet sententia ita ut concipitur in omnibus, quas quidem vidi, editionibus: quam ergo mutata distinctione hoc modo: *Omnia, si dederis oscula pauca, dabis:* quasi dicat: Omnia a te mihi data putabo, ut Cicero loquitur, si modo pauca oscula dederis.

El. XVI. vs. 15. *Ergo muneribus quivis mercatur amicam*] Prævalet apud me lectio illorum codicum qui habent: *muneribus quivis mercatur amorem:* et videtur altera velut interpretamentum hujus esse.

El. XVII. vs. 15. *Nec licet in triviis sicca requiescere Luna*] Plinius lib. XVII. cap. XIV. 'Inseri autem præcipit pira ac mala per ver, et per solstitium diebus L. post vindemiam. Oleas autem et ficus per ver tantum, Luna sitiente, hoc est, sicca.'

El. XVIII. vs. 5. *Quid si jam canis ætas mea candeat annis*] Hinc Apuleius Metam. V. dixit, 'candenti canitie lucidus.'

Vs. 30. *Mi formosa satis, si modo sæpe venis*] Peculiaris quædam notio est hujus verbi 'venire' apud hunc Nostrum. Supra: 'Sic hodie veniet, si qua negavit heri.' Paulo post: 'Hic unus dolor est ex omnibus acer amanti, Speranti subito si qua venire negat.'

El. XXII. vs. 9. *Sive vagi crines puris in frontibus errant*] Idem sub initium hujus libri, 'Seu vidi ad frontem sparsos errare capillos.'

Vs. 34. *Hic ego Pelides, hic ferus Hector ego*] Scilicet in hac Veneris palæstra: quod et Tibullus de se prædicat: 'Hic ego dux milesque bonus.' Hinc potitus amica exclamat noster Callimachus alibi: 'Hæc mihi devinctis potior victoria Parthis: Hæc spolia, hæc Reges, hæc mihi currus erunt.'

Vs. 41. *Nam melius duo defendunt retinacula navem*] Plerumque a nave comparationes sumit in amatoriis rebus. Supra Eleg. IV. loquens de secundo amore: 'Tranquillo tuta descendis flumine cymba.' Eleg. XIV. 'Nunc ad te, mea lux, veniet mea littore navis Servata: an mediis sidat onusta vadis?' Quod videtur esse a Græco fonte: sic enim Meleager Anth. VII. Ἡ φίλερως χαλεποῖς Ἀσκληπιὰς οἷα γαληνοῖς Ὄμμασι συμπείθει πάντας ἐρωτοπλοεῖν. Sed et sententiam hanc de gemina anchora habere auctorem sapientissimum Socratem, cujus hæc apud Stobæum verba sunt: Οὔτε ναῦν ἐξ ἑνὸς ἀγκυρίου, οὔτε βίον ἐκ μιᾶς ἐλπίδος ὁρμιστέον, observavit eruditissimus Lipsius.

CAPUT X.

Invidiæ obnoxia minus diuturna. De 'arundine Stygia' varie agitatum. Patris interpretatio, itemque Beroaldi, excussa et firmata novis auctoritatib. Juvenali lux. 'Canna' genus navis. 'Cannicarii.' 'Tangere ad ossa.'

El. XXIV. vs. 39. *Nil ego non patiar: nunquam me injuria mutat*] Sic Petronius in Satyrico: 'Nec me contumeliæ lassant: quod verberatus sum, nescio; ejectus sum, lusum puto, modo redire in gratiam liceat:' quo pertinet et illud Elegia proxima: 'Ultro contemtus rogat, et peccasse fatetur Læsus, et invitis ipse redit pedibus.'

El. XXV. vs. 34. *Invidiam quod habet, non solet esse diu*] Gnome ostendens ea diu durare non posse quæ invidiæ obnoxia sunt, quamvis in speciem minus vera, tamen auctores suos habet. Seneca in Suasoriis: 'Scias licet ad finem pervenisse, quæ ad invidiam perducta sunt.' Strabo de templo Delphico loquens: Ἐπίφθονος δ' ὢν ὁ πλοῦτος δυσφύλακτός ἐστι, κἂν ἱερὸς ᾖ.

Vs. 35. *At si sæcla forent antiquis grata puellis*] Forte *antiqua his grata puellis.*

El. XXVI. vs. 37. *Quicunque et venti miserum vexastis Ulyssem*] Huc pertinent, quæ de verbi 'vexare' notione scribuntur a Gallio lib. II. cap. VI.

El. XXVII. vs. 13. *Jam licet et Stygia sedeat sub arundine remex*] Triplicem interpretationem ad hunc locum attulit Pater. Quod si quis secundam malit de calamis et arundinibus crescentibus forte ad ripam Stygis, non deerit illi Virgilii auctoritas, quæ hoc astruere videatur Georg. IV. 'Quos circum limus niger, et deformis arundo Cocyti, tardaque palus innabilis unda Alligat.' Neque abludit hinc illud Mimnermi ap. Athenæum XIII. Ἀΐδεω δ' ἔπλευσε, &c. Ad quem fragorem pertinet et illud Ovidii: 'Quique per infernas horrendo murmure valles Impar juratæ labitur amnis aquæ.' Nec rejicienda Beroaldi sententia, qui cymbam Charontis intelligi putat, quandoquidem antiquitus ex arundine navigia conficiebantur. Plinius lib. VII. cap. II. in India ait esse 'arundines tantæ proceritatis, ut singula internodia alveo navigabili ternos interdum homines ferant:' et cap. LVI. ejusdem libri, naves fieri 'in Nilo ex papyro, et scirpo, et arundine.' Cui accedunt etiam Diodorus, Solinus, Mela. Neque mirum, cum arundo apud Jurisconsultos etiam arborum nomine

continueatur, et ejus nomine furti agi possit, ut dicitur in L. Vitem ff. arborum furt, cæs. Hinc Juvenalis Satyra v. 'Illud enim ventris datur alveolis, quod Canna Micipsarum prora subvexit acuta.' Ad quem locum glossæ veteres nondum editæ, quas beneficio viri docti et humanitate præstabilis Philippi Ratalleri Georgii Filii habeo: 'Canna genus navis, unde et cannicarii dicuntur:' quos 'cannicarios' haud facile alibi reperias. Sed, ut navis hæc ex arundine fuerit, videtur abnuere alius ejus Poëtæ interpres a Pithœo editus; explicat enim: 'Genus navis quæ Gandeia dicitur, ut sit Gandeia Micipsarum, id est, Afrorum, Gandeiam enim soli Afri, id est, Zamæi, vel, ut alii, Byzaceni, ut alii, Barcæ invenerunt.'

El. xxviii. vs. 8. *Quicquid jurarunt, ventus et unda rapit*] Tibullus: 'Venti temeraria vota Aëriæ et nubes diripienda ferant.' Vide porro quæ ad hanc rem attuli in Catullum cap. x. quibus adde hoc Philodemi Anthol. vii. *Νῦν δ' ὁ μὲν ὅρκιά φησιν ἐν ὕδατι κεῖνα φέρεσθαι.*

El. xxix. vs. 35. *Apparent non ulla toro vestigia presso, Signa voluptatis non jacuisse duos*] Huc pertinet illud Aristæneti Epistola ultima: *Ἐξανέστη τῆς εὐνῆς καὶ τὴν στρωμνὴν ἀνετάραξε, παντελῶς συγχέουσα τὸ ἔρεισμα τοῦ δευτέρου σώματος, ὅτι κατηγόρει μηνύματα συζυγίας.*

El. xxx. vs. 18. *Turpia cum faceret Palladis ora tumor*] Philostratus: *Ἡ δὲ Ἀθηνᾶ καὶ τοὺς αὐλοὺς ἔῤῥιψεν, ὡς τὸ πρόσωπον αὐτῆς συγχέοντας.*

El. xxxi. vs. 5. *Hic equidem Phœbo visus mihi pulchrior ipso Marmoreus tacita carmen hiare lyra*] Distichon hoc loco mihi alienum videtur, neque enim præcessit quidquam quo referri possit illud, 'Hic:' itaque sub finem collocandum puto post ultimum distichon, hoc modo: *Deinde inter matrem Deus ipse interque sororem Pythius in longa carmina veste canit. Hic equidem Phœbo visus, &c.* Nam cum primo de porticu templo adjuncta, de Belidum imaginibus, de templi structura, de armento Myronis circum aram, hinc de aureo Solis curru, de eburneis foribus, in quibus Brenni et Niobes historiæ sculptæ, dixisset; commode subjungit de ipsa togati Apollinis statua tanto artificio fabrefacta, ut, ipsam naturam provocans, vivere, spirare, et canere videretur.

El. xxxii. vs. 13. *Et creber pariter platanis surgentibus ordo*] Malim: *Et creber platanis pariter surgentibus ordo.*

El. xxxiv. vs. 60. *Quem tetigit jactu certus ad ossa Deus*] Alibi: 'Descendit vulnus ad ossa meum.' Archilochus: *Δύστηνος ἔγκειμαι πόθῳ ἄψυχος Χαλεπῇσι Θεῶν ὀδύνῃσιν ἕκητι Πεπαρμένος δι' ὀστέων.* Theocritus Idyll. iii. *Ὅς με κατασμύχων καὶ ἐς ὀστέον ἄχρις ἰάπτει.*

LIBER III.

CAPUT XI.

'Via sacra.' 'Mentem Lyæo vincire:' eam metaphoram sumptam ab Hesiodo, cujus exemplo etiam Plauti lectio asserta. Prodigiosum Lunæ deliquium. De Solis luctu quiddam novum. 'Pleiadum spissus ignis, chorus.' Horatius explicatus.

Lib. iii. El. iii. vs. 50. *Qui volet austeros arte ferire viros*] Sic lib. iv. 'Cum ferit astutos comica mœcha Getas.'

El. iv. vs. 22. *Mi sat erit media plaudere posse via*] Vetus Modii et nonnullæ editiones *Sacra* habent, non *media*. Notum triumphantes per viam Sacram in Capitolium ire solitos;

Noster supra: ‘Actiaque in Sacra currere nostra via.’

El. v. vs. 6. *Nec miser æra paro clade, Corinthe, tua*] Hæc item lectio est a codice clarissimi Modii, cum altera valde intricata sit et obscura.

Vs. 21. *Me juvat et multo mentem vincire Lyæo*] Ab Hesiodo est sumpta hæc translatio, sane pulchra. Ita ille de vino: *Σὺν δὲ πόδας χεῖράς τε δέει γλῶσσάν τε νόον τε Δεσμοῖς ἀφράστοισι.* Hinc fulcitur veritas lectioni Plautinæ in Pseudolo: ‘Sed scio, tu oleum haud magnipendis, vino te devincis.’

Vs. 34. *Solis et atratis luxerit orbis equis*] Videsis notata a me in Tibullum cap. v. ubi, quod monui de defectu Solis, qui aliunde quam a Lunæ interventu fit, non parum stabiliri potest eo, quod et Lunam interdum deficere dicant scriptores, cum tamen nullam a terræ umbra obscurationem patitur, sed vel nigra vel sanguineo colore suffusa hominibus apparet. Hoc docemur a Xiphilino in Vitellio, ubi scribit: *Ταραχῆς οὖν καὶ κατὰ τοῦτο πολλῆς ἐν τῷ τοῦ Βιτελλίου στρατοπέδῳ οὔσης, ἐπηύξησεν αὐτὴν ἡ σελήνη τῆς νυκτὸς ἐκλιποῦσα, οὐχ ὅτι καὶ ἐσκιάσθη (καίτοι τοῖς θορυβουμένοις καὶ τὰ τοιαῦτα φόβον φέρει), ἀλλ' ὅτι καὶ αἱματώδης καὶ μέλαινα, ἄλλα τέ τινα χρώματα φοβερὰ ἀφιεῖσα ὤφθη.* Porro lugere Solem in deliquio videntur sensisse Veteres, quod cum ex hoc loco colligi potest, tum ex Augustino de Civit. Dei lib. III. cap. xv. ubi agit de Romuli morte: ‘Quasi vero si luctus ille Solis fuisset, non magis ideo credi deberet occisus, ipsumque scelus aversione etiam diurni luminis indicatum.’

Vs. 36. *Pleiadum spisso cur coit igne chorus*] Spissum ignem tribuit his stellis, quod sint in se conglobatæ, et *βότρυος δίκην προσανακεκλιμέναι*, ut Theo loquitur in Aratum: unde et nomen illis *ὅτι πλησίον ἀλλήλων κεῖνται*, ut inter alia ibidem addit. Hinc Manilius lib. IV. ‘Pleiadum parvo referens glomerabile sidus.’ Cur autem ‘Pleiadum chorum’ dicat, ut et Horatius lib. IV. Carminum: ‘Indomitas prope qualis undas Exercet Auster, Pleiadum choro Scindente nubes,’ neutrubi explicant Commentatores. Puto autem hanc subesse caussam, quod Pleiades existimentur choream dicere stellis, ut tradit Hyginus, quam Electra post Trojam captam dolore permota deseruit, et a cæteris sese removit, ne lascivire videretur in luctu.

CAPUT XII.

Quædam Propertiana cum Alcyphronis Epistolis collata. Locus ex Callimacho expressus. ‘Pennæ’ et *πτέρυγες* pro augurio nova significatione. ‘Prœlia’ pro prœliatoribus, et similia. ‘Serere, condere prœlia.’

El. VI. vs. 13. *Ac mœstam teneris vestem pendere lacertis*] Malim: *An mœstam.* In Modii codice erat: *At mœstam.*

Vs. 32. *Pœna erit ante meos sera, sed ampla, pedes*] Alludit ad illud vulgatum: *Ἡ Νέμεσις παρὰ πόδας βαίνει.*

El. VII. vs. 45. *Viveret ante suos dulcis conviva Penates, Pauper, at in terra, nil ubi flere potest*] Alciphron in Epistola Glauci ad Galatiam eadem dicit: sed paulo latius: *τί οὖν, ὦ γύναι, οὐ σωφρονοῦμεν, καὶ ὀψὲ τοῦ καιροῦ φεύγομεν τὴν πρὸς τὸν θάνατον γειτνίασιν; καὶ ταῦτα ἐπὶ παιδίοις ζῶντες· οἷς εἰ καὶ μηδὲν μέγα παρέχειν δι' ἀχρηματίαν ἔχομεν, τάδε ἕξομεν καὶ χαριούμεθα, τὸ τὰς τρικυμίας καὶ τοὺς ἐκ βυθοῦ κινδύνους ἀγνοῆσαι, γεωργίᾳ δὲ συντραφῆναι, καὶ τὸν ἀσφαλῆ καὶ ἀδεῆ βίον ἀσπάσασθαι.* Contrariam sententiam habet in Epistola Eustoli ad Elationem: *Κρεῖττον γὰρ ἐπανήκειν ἐκ Βοσπόρου καὶ Προποντίδος νεόπλουτον, ἢ καθήμενον ἐπὶ ταῖς τῆς Ἀττικῆς ἐσχατιαῖς λιμώδες καὶ αὐχμηρὸν ἐρυγγάνειν.*

Vs. 47. *Non tulit huic pectus stridorem audire procellæ*, (ita enim divinitus

emendavit Jos. Scaliger) *Et duro teneras lædere fune manus. Sed thyæ thalamo aut Oriciæ terebinthi, Effultum pluma versicolore caput*] Alciphron de Adolescente quodam urbanis deliciis innutrito: Οὐ γὰρ ἀνεχόμενος τῶν ξύλων τῆς ἀλιάδος ἐπί τε ταπήτων τινων ξενικῶν καὶ ἐφεστρίδων κατακλιθεὶς, οὐ γὰρ οἷός τε ἔφασκεν εἶναι κεῖσθαι ὡς οἱ λοιποὶ ἐπὶ τῶν καταστρωμάτων, et quæ sequuntur.

El. x. vs. 8. *Et Niobes lacrymas supprimat ipse lapis*] Expressit pene ad verbum illa Callimachi Hymno in Apollinem: Καὶ μὲν ὁ δακρυόεις ἀναβάλλεται ἄλγεα πέτρος, Ὅστις ἐνὶ Φρυγίῃ διερὸς λίθος ἐστήρικται, Μάρμαρον ἀντὶ γυναικὸς ὀϊζυρόν τι χανούσης.

Vs. 11. *Tuque o cara mihi felicibus edita pennis*] Guilielmus Canterus in Novis Lectionibus, 'pennis,' id est, avibus interpretatur. Ego simpliciter 'pennas' pro augurio accipio, et agnosco transmarinam Venerem, quam e Callimacho, non inspectam aut observatam aliis, eruo primus. Sic enim ille Hymno in Lavacra Palladis: Γνωσεῖται δ' ὄρνιθας, ὃς αἴσιος, οἵ τε πέτονται Ἤλιθα, καὶ ποίων οὐκ ἀγαθαὶ πτέρυγες: ubi πτέρυγες augurium interpretor, quomodo videtur etiam Politianus intellexisse, quum vertit: 'Cognoscet volucrum quæ prospera, quæque volatu Irrita, cujus item triste sit augurium.' Itaque ἀγαθαὶ πτέρυγες respondent Propertii 'felicibus pennis.'

El. xi. vs. 9. *Colchis flagrantes adamantina sub juga tauros Egit, et armigera prælia sevit humo*] Imitatus videtur hunc locum Statius Papinius Thebaidos i. 'Trepidum si Martis operti Agricolam infandis condentem prælia sulcis Expediam.' 'Prælia' autem pro præliatoribus ponit, ut 'conjugium' pro conjuge, 'hospitium' pro hospite. Sic Cicero in iii. de Legibus 'vincula' pro vinctis; Manilius lib. iv. 'triumphum' pro triumphatrice dixit; νοσήματα Aristophanes ἀντὶ τοῖς νοσήλοις; 'ministeria' pro servis et ministratoribus Jurisconsulti sæpe; 'noxam' pro reo qui nocuit, Iidem §. 1. Institut. de Noxal. Actionibus.

Vs. 47. *Quid nunc Tarquinii fractas juvat esse secures*] Similis indignatio Claudiani in Eutropium: 'Eutropio fasces adservabantur ademti Tarquiniis?'

CAPUT XIII.

Tentata nonnulla Propertii loca aut restituta. 'Æratus eques.' 'Ferreus cataphractus.' 'Clibanarii' proprie Parthi. 'Vacui amantes.' 'Vacans mulier.' 'Reprehendere' pro, sistere. 'Demosthenis arma.'

Quod de aurato equo legitur Elegia ad Posthumum:

El. xii. vs. 11. *Neve tua Medæ lætentur cæde sagittæ, Ferreus aurato seu cataphractus equo*] Quamvis commode explicare possis ex istis Virgilianis: 'Spumantemque agitabat equum, quem pellis aënis In plumam squamis auro conserta tegebat:' tamen vix est, ut non corruptum censeam, quum præcesserit 'Ferreus,' et cataphractos definiat Servius, 'qui et ipsi muniti ferro sunt, et equos similiter munitos habent.' Itaque legendum suspicor: *Ferreus ærato seu cataphractus equo.* Confirmat suspicionem nostram Claud. de vi. Consul. Honorii: 'Ut chalybe indutos equites, et in ære latentes Vidit cornipides.' Curtius lib. iv. 'Equitibus equisque tegumenta erant ex ferreis laminis serie inter se connexis:' et similiter Sallustius Historiarum iv. 'Qui prætergrediebantur equites cataphracti, ferrea omni specie: equis paria operimenta erant: quæ lintea ferreis laminis in modum plumæ adnexuerunt.' Ita enim connectenda duo Fragmenta monuit Pater. Quo pertinet etiam quod ferreum cataphractum dicat hic Noster, alludens fortasse ad etymon Clibanariorum,

quod est in Onomastico Petri Danielis, ut citatur a Turnebo in Adversariis, 'Clibanarii, quasi tunica ferrei:' nam et loquitur de Medis sive Parthis Propertius: et Clibanarios Persicam vocem esse tradunt Lampridius et Ammianus; quibus adde, quod in Notitia Imperii Equites primi Clibanarii Parthi inter Vexillationes Comitatenses VII. sub dispositione viri illustris Magistri militum Præsentalis recenseantur.

El. XIII. vs. 19. *Quæ viva sequatur Conjugium*] 'Conjugium' pro conjuge, ut 'matrimonium' pro matrona apud Livium lib. X. Plura in hanc rem minus vulgata congessimus superiore capite.

Vs. 59. *Proloquar, atque utinam patriæ sim verus aruspex*] In nonnullis editionibus legas: *vanus aruspex:* quod verissimum puto. Neque enim optat aut imprecatur mala patriæ suæ, sed prædicit tantum: sic lib. IV. ex persona vatis cujusdam: 'Vera sed invito contigit ista fides.'

El. XV. vs. 29. *Sæpe vago Asopi sonitu permota fluentis*] Aptius ad sententiam fuerit: *vaga*.

El. XVII. vs. 11. *Semper enim vacuos nox sobria torquet amantes*] 'Vacuos,' id est, amica carentes. Sic lib. I. Eleg. XIII. 'Tu, quod sæpe soles, nostro lætabere casu, Galle, quod abrepto solus amore vacem.' Sed et 'vacare' pro, viro carere, apud eundem est lib. II. El. IX. 'At tu non una potuisti nocte vacare, Impia, non unum sola manere diem.' Hinc explicandus, id quod alii non notarunt, Martianus Jurisconsultus, cum 'vacantem mulierem' pro vidua sumit in L. 5. §. 2. ad leg. Jul. de vi publ. Tacitus quoque eodem sensu Annal. XIII. 'Sed, ubi mulier vacua fuit, nectere moras.'

El. XIX. vs. 9. *Quam possit vestros quisquam reprehendere cursus*] 'Reprehendere' hic, sistere, compescere, ac remorari significat; ut et apud Lucretium lib. VI. 'Quod nisi respirent venti, non ulla refrenet Res, neque ab exitio possit reprehendere euntem.'

El. XXI. vs. 27. *Persequar aut studium linguæ, Demosthenis arma*] Huc pertinet, quod Orpheus in Hymnis appellat Mercurium γλώσσης δεινὸν ὅπλον. Hinc Cicero lib. I. de Inventione: 'Qui vero ita sese armat eloquentia, ut non oppugnare commoda patriæ, sed pro his pugnare possit, is mihi vir et suis et publicis rationibus utilissimus atque amicissimus civis fore videtur:' et alibi de eloquentia loquens: 'Quid tam necessarium, quam tenere semper arma, quibus vel tectus esse possis, vel provocare improbos, vel te ulcisci lacessitus?' Sed et 'telis disciplinarum armari' dixit Vitruvius lib. I. 'artibus armari' Tacitus sive Quintilianus in Dialogo de Oratoribus, 'Legibus armari' Justinianus in Proœmio Institutionum. Id quod quam inepte reprehendatur a Florido quodam, hinc patet.

El. XXIII. vs. 19. *Me miserum, his aliquis rationem scribit avari*] In Modiano codice erat, *avarus*, quod placet: et confirmant illa Ovidiana: 'Inter ephemeridas melius tabulasque jacerent, In quibus absumtas fleret avarus opes.'

El. XXIV. vs. 5. *Mistam te varia laudavi sæpe figura, Ut, quod non esses, esse putaret amor*] Faceret veteris Codicis auctoritas, legerem: *Cum, quod non esses, esse putaret amor:* nam tale quiddam videtur sententia postulare. Alludit porro ad versus suos de Cynthia: 'Ut Mœotica nix minio si certet Ibero, Utque rosæ puro lacte natant folia.'

Vs. 7. *Et color est toties roseo collatus Eoo*] Hinc Paulus Silentiarius ad amicam: Εἰ καὶ ἐς ἀντολίην πρὸς ὁμόχροον ἷξεαι ἠῶ.

El. XXV. vs. 14. *Ah speculo rugas increpitante tibi*] Claudianus in Eu-

tropium lib. I. 'Seque reformidat speculo damnante senectus.'

LIBER IV.

CAPUT XIV.

'Collis et herba.' 'Decus et ordines.' Sallustius explicatus. Ædes Apollinis Palatini: de ea capiendum Manilii locum. Castigatus Festus. Stabilita Scaligeri correctio. Alio versu e variantis scripturæ vestigiis, forte an melior, certe nova lectio constituta. De 'quinque stellis' quædam monetæ non protritæ. Item de nova 'quinque zonarum' notione allata et eruta nonnulla plane nova.

Quod in secundo statim versu occurrit hujus libri: Lib. IV. El. I. vs. 2. *Ante Phrygem Æneam collis et herba fuit*] Dictum eadem figura, qua a Virgilio XI. Æneidos: 'Volat igneus æquore Tarchon Arma virumque ferens.' Et in II. Georg. 'Pateris libamus et auro.' Sic capio et illud Sallustii Histor. lib. I. ubi de Cinna loquens ex persona Philippi inquit: 'Cujus in urbem reditu decus atque ordines omnes interierunt.'

Vs. 3. *Atque ubi navali stant sacra palatia Phœbo*] De æde Apollinis Palatini loquitur, quam libro II. sic describit: 'Tum medium claro surgebat marmore templum Et patria Phœbo carius Ortygia. Atque aram circum steterant armenta Myronis, Quatuor artificis vivida signa boves. Auro Solis erat supra fastigia currus, Et valvæ Libyci nobile dentis opus.' Ita enim eos versus digerendos censeo. De donis in hoc templum collatis puto intelligendum Manil. lib. V. 'Hinc Augusta nitent sacratis munera templis Aurea, Phœbeis certantia lumina flammis, Gemmarumque illi radiantes lucibus ignes.' Nam et 'Aurea munera' referri videntur ad aureum illum Solis currum: et 'lumina,' ad Apollinem: quin et 'Phœbeis certantia flammis' conspirat cum eo: 'Phœbo visus mihi pulchrior ipso.'

Vs. 20. *Qualia nunc curto lustra novantur equo*] Emendatus Festus ubi ait: 'October equus appellatur, qui in campo Martio mense Octobri immolatur quotannis Marti.' Illud enim *quotannis* videtur assutum ab homine aliquo male feriato et ignaro moris prisci: itaque commode deleri potest. Quinto anno id sacrificium fieri solitum constat ex ipso Festo, et hoc Propertii loco.

Vs. 36. *Hac, ubi Fidenas longe erat ire, via*] Ita præclare emendavit vir omni præconio major Jos. Scaliger, cum antea *vias* legeretur nullo sensu: *longe via*, id est, longinqua via. Dictum autem *longinqua via erat ire Fidenas* eodem modo, quo alibi ab eodem: 'Non datur ad Musas currere lata via.' Tollenda vero distinctio post 'ire' hoc modo: *Hac, ubi Fidenas longe erat ire via*. *Via* enim non auferendi, sed nominandi casu positum.

Vs. 38. *Sanguinis altricem nunc pudet esse lupam*] In veteri Modiano est *non pudet*. Sed longe aliter concepta lectio in editionibus antiquis: *Sanguinis altricem non putat esse lupam*. Fuerit fortasse: *Sanguinis altricem nec putat esse lupam:* ut hoc dicat: adeo degenerasse Romam a prisca illa et horrida simplicitate majorum, in omne luxuriæ genus prolapsam, ut originis suæ pæne oblita sit, neque meminerit amplius altricis illius lupæ, cujus lacte Romana mœnia in tantum creverunt.

Vs. 107. *Aspicienda via est cæli, verusque per astra Trames, et ab zonis quinque petenda fides*] Josephus Scaliger in doctissimo Commentario suo

ad Manilii librum v. posteriorem versum ita citat: *Limes, et a stellis quinque petenda fides:* sive ea ab ingenio sive a veteri codice lectio est: nam neque hoc addit, neque ullam caussam; quæ fortasse hæc est, quod in stellarum apotelesmatis quinque zonæ locum non habeant. Cæterum per *quinque stellas*, si hanc admittimus, intelliget Planetas quinque. Quum enim Planetæ septem dicantur, Solem tamen et Lunam in numerum venire errantum Veteres noluerunt: sed *κατ' ἐξοχὴν, φῶτα*, reliquos errantes *ἀστέρας* appellarunt. Caussam habes apud Theonem Ptolomæi Commentatorem. Hinc Cicero lib. I. de Natura Deor. 'Deos enim octo esse dicit: quinque eos, qui in stellis vagis nominantur: unum qui ex omnibus sideribus, quæ infixa cælo sunt, ex dispersis quasi membris simplex sit putandus Deus; septimum Solem adjungit octavamque Lunam:' et alibi eodem libro: 'Quid? Solis numquidnam, aut Lunæ, aut quinque errantium siderum simile vidisti?' Manil. lib. III. 'Solem Lunamque vagasque Evincant stellas.' Julius Firmicus lib. I. cap. IV. 'In quo Sol et Luna, quinque etiam stellæ erraticæ, quæ Planetæ a Græcis vocantur, certa ac definita semper agitatione discurrunt.' Macrobius in Somnium Scipionis lib. I. cap. XVII. 'His illud adjiciendum est, quod præter duo lumina et stellas quinque, quæ appellantur vagæ.' Ex quibus omnibus liquido commonstrasse me puto, Veteres, Sole et Luna exclusis, quinque duntaxat stellas in errantium censum venire voluisse. Quod nobis substernetur tanquam in fundamentis, ad superstruenda quædam non vulgaria, neque aliorum commentariis trita: quæ ad intelligentiam hujus loci primi observavimus. Dux mihi ad veri cubilia lectio illa altera, quam modo protuli, quæ si in aliquo scripto codice fuerit, puta velut glossema fuisse hujus vulgatæ, et quidem doctum Glossema: neque enim quivis intelligat *zonas* hic capi pro ipsis stellis, sive potius stellarum orbibus. Atque id ita esse colligo ex istis. Orpheus Hymno in Stellas ait inter cætera: *Ἑπταφαεῖς ζώνας ἐφορώμενοι, ἠερόπλαγκτοι.* Proclus lib. IV. Commentariorum in Timæum: *Ὁ δὲ θεουργὸς οὗτος οἴεται σαφῶς εἰπὼν τὸν δημιουργὸν ἓξ ἀνακρεμάσαι ζώνας, ἕβδομον ἡλίου μεσεμβολήσαντα πῦρ.* Neque aliter explico illud Claudiani lib. III. de Laudibus Stiliconis, ubi de Roma loquitur; 'Quæ luce metalli Æmula vicinis fastigia conserit astris: Quæ septem scopulis zonas imitatur Olympi.' Nihil itaque in Propertio mutandum, sed in sententia quam antea videbatur præ se ferre et in qua misere allucinatus est Commentator alioqui doctus. Quid enim attinebat hic agere de quinque Mundi plagis ambientibus distinguentibusque terram pro ratione caloris vel frigoris, quæ in prædictionibus istiusmodi usum nullum habent? Facit porro ad explicationem nostram illud veteris Poëtæ in Epigrammatis Græcis: *Ἀπλανέες δ' ἑκάτερθε, καὶ ἀντιθέοντες ἀλῆται Ἀνδρομένης γενεῆς πᾶσαν ἄγουσι τύχην.*

CAPUT XV.

Castigatus Propertii locus vitii manifestus certiori conjectura. Helena *κρὲξ* Lycophroni. Cornicis occursus inauspicatus in nuptiis. J. Lipsii emendatio certa. Fragmentum Pervigilii alterius. Cur Venus *ποικιλόθρονος* Sapphoni.

El. III. vs. 8. *Te modo munito Sericus hostis equo*] Ita Beroaldus correxit, cum antea *Henricus hostis* legeretur. At in Scaligeri Codice *Beticus* erat, in Modiano *Duricus*, ex quibus mihi in mentem venit scribendum, *Te, modo munito Persicus hostis equo.* Vel si id minus alicui arridet, *Parthicus hostis:*

et quidem aut vera est restitutio nostra, aut proxime veram. De cataphractis et clibanariis Parthis dixi supra, quæ etiam ad hunc locum faciunt.

Vs. 60. *Seu voluit tangi parca lucerna mero*] Hunc referri posse videtur illud Meleagri Antholog. VII. Ναὶ φιλάγρυπνον λύχνον ἐμῶν κώμων πολλὰ πύντα μέλη.

El. V. vs. 6. *Concordique toro pessima semper avis*] Sic Lycophron. Helenam κρέκα, id est, nuptiis infaustam avem et δυσοιώνιστον, appellat his versibus: Οὓς μή ποτ' ὦ Ζεῦ σῶτερ ἐς πάτραν ἐμὴν Στείλαις ἀρωγοὺς τῇ δυσαρπάγῳ κρεκί. Videtur autem, quum ait 'pessima avis,' alludere ad solitariæ cornicis occursum, qui sinistri ominis erat in nuptiis; eoque auspicato concordiæ societatisque præsagio accinere identidem consuevisse Veteres ipso nuptiarum die, Ἐκκόρει, κορὴ, κορώνην, testatur Orus Apollo in Hieroglyphicis: unde et nos in Epithalamio quodam: 'At procul hinc absit viduo cum turture cornix, Concordi mala scæva toro.' Ut igitur Helena κρεκί, sic cornici inauspicatæ item avi, cum sola apparet, assimilatur hæc anus.

El. IX. vs. 57. *Magnam Tiresias aspexit Pallada vates, Fortia dum posita Gorgone membra lavat*] Non possum non vehementer probare maximi Lipsii, quam nobis per litteras indicavit, conjecturam, sive magis oraculum: *Magno Tiresias aspexit Pallada vates*. *Magno*, id est, cum magno suo pretio et malo, nempe luminibus ab ea orbatus. Brevis illa, ἐλλειπτικὴ, et e puro Latio dignissima Poëta nostro phrasis.

El. XI. vs. 16. *Et quæcunque meos implicat unda pedes*] Sic alibi: 'Et quæcunque meum degravat unda caput.'

Vs. 79. *Et si quid doliturus eris, sine testibus illis, Cum venient, siccis oscula falle genis*] Nam, ut Martialis ait: 'Ille dolet vere, qui sine teste dolet.'

Sequitur Pervigilium Veneris, [Vid. Catull. sup. p. 323.] quod colophonem et fastigium imponet his Notis: in quo tantum pauca et levia monebo post accuratissimam castigationem clarissimi Lipsii; quod antequam faciam, non abs re videor facturus, si Fragmentum nondum editum ex altero quodam Pervigilio Veneris elegantissimo, sed nimis Latino hic apponam, quod a nobili ac docto adolescente Hieronymo Groslotio Lisleo integrum alicubi in Gallia extare comperi. Ceterum is hos quatuor tantum versus in memoria habebat, quos nobis recitavit. Eorum intercalare erat primum Trochaicum: 'Nemo tentis mentulis det, nemo nervis otium. Ecce passeres salaces, ecce rauci turtures Hac super virente myrto nos amoris admonent Cum puellis dulce inire vesticontibernium. Nemo tentis,' &c. Vocem 'vesticontibernium' etiam Petronius utitur: 'Et quid agebas, inquit, frater sanctissime? quid vesticontubernium facis?' Hoc quid sit, explicat Epigrammatarius Græcus: Ἡδὺ δὲ καὶ δυοῖν κρύπτη μία τοὺς φιλέοντας Χλαῖνα. Sed ad rem veniamus.

Vs. 7. *Cras Dione jura dicet fulta sublimi throno*] Hinc ποικιλόθρονον vocat Ἀφροδίτην. Vide Sappho: quamvis id vel de variegata et florida Veneris veste accipi possit, argumento illius Homerici Iliad. X. Ἐν δὲ θρόνα ποικίλ' ἔπασσε: vel de variis pharmacis, quæ mortalibus propinat Venus, 'curis hominum gaudia miscens' ut Catullus loquitur. Nam, cum πολύθρονος dicatur multa habens θρόνα seu pharmaca, ejusdem vocabuli vim ad ποικιλόθρονον etiam extendi posse ratio suadet.

Vs. 14. *Ipsa surgentes papillas*] Ros-

tum puto *surgentes*, quod interpretor tumescentes ac sororiantes, et veluti strophio obnitentes, atque, ut cum Catullo dicam, luctantes. Eas 'horridulas' vocat Plautus in Pseudolo: 'Papillarum horridularum oppressiuncula.'

Vs. 26. *Unico marito modo*] Quid si *mariti-nodo*, ut sit *ὑφέν*?

Vs. 45. *Detinent, et tota nox est pervigila cantibus*] Alii *pervigilata*. Sic Tacitus 'vigilatam convivio noctem' dixit XIII. Annalium.

FINIS NOTARUM VARIORUM.

RECENSUS EDITIONUM

SEX. AURELII PROPERTII.

[Ex Ed. Bipont. 1798.]

1482 PROPERT. Elegiarum libri, edente Ant. Volsco, 4. In fine: Impressit fidelissime Eucharius Silbert ante Idus Martii MCCCCLXXXII.

1488 Propertius. Venet. fol. repet. ed. 1482.

1494 Propertius et in eum commentarii a Phil. Beroaldo editi. Impress. Venetiis per Symonem Bevilaqua Papiensem MCCCC-LXXXXIV, die XXVI. mensis Junii, fol.

1510 Vertumnus, Paris. 4, ap. collegium Plessejacum.

1512 Vertumnus, Paris. ex offic. Ascens.

1585 Prop. Elegiæ. Paris. Gorbin. 4.

1702 Propert. Amstel. ap. Henr. Wetsten. 4. (cura Jani Broukhusii.)

1727 Propertii Elegiarum Libr. IV. curis sec. Jan. Broukhusii. Amst. 4.

1755 Propertius ed. Vulpio cum Passeratii et Broukhusii notis selectis et erudito commentario suo, 4. Voll. II, simillimo iis, quos in Cat. et Tib. dederat.

1771 Elégies de Properce traduites par Mr. de Longchamps; cum textu Lat. Amst. 8. Sed est potius periphrasis.

1778 Propert. varietate lectionis et perpetua annotatione illustratus a Frid. Gottl. Barthio. Accedunt indices rerum ac verborum locupletissimi. Lipsiæ, 8 maj.

1780 Sex. Aurelii Propertii Elegiarum libri IV. cum commentario perpetuo Petri Burmanni Secundi, et multis doctorum notis ineditis. Opus Burmanni morte interruptum Laurentius Santenius JC. absolvit. Traj. ad Rhen. ap. Barth. Wild. 4. Ad hanc ed. curandam, decem Mss. copias Heinsianas, omniaque eruditionis librorumque præsidia, quæ paucis editorum contingere solent, habuit Burmannus parata. Basis est contextus Broukhusianus. Commentarius est thesaurus doctrinæ criticæ atque philologicæ. Quæcumque enim a viris doctis ad interpretationem atque intelligen-

tiam poëtæ s. in editis libris, s. ineditis, passim notata deprehendit vir doctus, aut a viris eruditis adhuc vivis accepit; ea omnia ad ornandam hanc editionem largissime contulit. Ultimam vero elegiam, a Burmanno nondum explicitam, Santenius doctissimo illustravit commentario. Textum hujus editionis et nos recepimus.

1782 Propertii Monobiblos, seu Cynthia, Elegiæ XXII. Lat. et Angl. c. not. Londini, 8.

Nic. Heinsii notæ in Propertium, sæpe laudatæ Broukhusio, lucem viderunt ad calcem Adversar. Heinsianor. a Pet. Burmanno sec. editorum pag. 693. seq. Loca quædam Propertii emendata vel illustrata in Miscell. observatt. Dorvill. pluribus voll. I. pag. 131. s. 291 s. 429. s. II. pag. 98. III. in auctar. pag. 433. sq. V. pag. 113. sq. 297. sq. et T. III. pag. 1. Trajectiones, quas in Propertio observasse sibi visus est Jos. Scaliger, nolim veras præstare, et subscribo Salmasii judicio in observatt. ad jus Atticum ita scribentis p. 408. 'Nihil mutandum est in scriptis auctorum, nec transponendum sine magna causa, præcipue si veterum librorum auctoritas non suffragetur. Vidi multas Criticorum pares transpositiones in aliis auctoribus similiter hariolantium, quos omnes falsos esse mihi constat, in Horatio, in Manilio, in Propertio et aliis.' Idem Salmasius de Hellenistica p. 142: 'Propertius totus scatet Hellenismis. Præter infinita dicendi genera ex Græco expressa, non dubitavit dicere Dryasin pro Dryadibus, Thyniasin pro Thyniacis, Hamadryasin pro Hamadriadibus. Nec Ovidius timuit Troasin dicere pro Troadibus in Epistola quadam: 'Troasin invideo.'' De Pentametrorum clausulis polysyllabis, eorumque ratione, adi P. Burmannum sec. in præfat. erudita ad Lotichii poëmata, ubi et p. 8. qualis commentarius in Propertium optandus sit, disputat, item an Propertius sit Elegiæ princeps. In ipsis ad Lotichium notis sæpe Propertium vel emendat vel illustrat.

De Propertii editionibus æque ac de codicibus jam diximus aliquid sub Tibullo et Catullo. Separatim impressas, et a Bipontinis prætermissas, hic loci breviter notabimus.

Propertius, sine anno, loco, et typographi nomine. Hæc editio inter antiquissimas et rarissimas editiones Propertii habenda est; et, ut nonnulli putant, fortasse sit editio princeps.

Sexti. Aurelii. Propertii. nautæ. Umbri. incipit liber. ælegiar. vel. monobiblos ad Tullum. &c. sub. anno. Domini M. CCCC. LXXII. mensis. Februarii. pet. in 4to.— Hæc a Brunet in Manuel du Libr. Vol. III. p. 154. memoratur.

Propertii Elegiarum Libri IV. de qua editione sic J. C. Brunet: 'Edition très précieuse, impr. sans chiffres, récl. ni signatures, avec les caractères de Th. Ferrand, imprimeur de Bresse vers 1473.' Hæc etiam a Brunet memoratur in pag. supra citata.

Propertius cum commentariis Beroaldi. In fine: Commentarii in Propertium a Philippo Beroaldo, editi anno salutis 1486. impressi vero Bononiæ in commune a Benedicto Hectoris Librario et Platone de Benedictis impressore solertissimo, civibus Bononiensibus. Fol. 1487. Repetita fuit a. 1490. Vide Specimen Historico-criticum editionum sæc. XV. ab Audiffredi. Editio hæc rara est: ea vero usus est editor Cantabrigiensis (1702.) in textu recensendo et corrigendo.

Propertius, Lugd. Bat. 1591. 16mo.

Propertius non ineleganter versus est in Italicam linguam a Guido Riviera. Videnda est in Italicis Versionibus Poëtarum Latinorum impr. Mediol. a. 1731. in Tom. XXVII.

Auctor anonymus Anglicæ versionis Monobibli quæ prodiit 1782. (vid. sup.) versionem Anglicam perantiquam, per Diamond quendam, a rumore (eam non viderat) in præfatione memorat. Eam non contigit nobis inspicere; et quidem nulla *omnium* Propertii elegiarum versio Anglica nobis innotescit.

Valde commendatur versio Germanica cui titulus: Properz Elegien übersetzt, Lips. 1798. 8vo. Præbet hæc versio elegias XXXVI. Auctor ejus de Knebel.

S. Aurelii Propertii Elegiarum libri quatuor. In usum scholarum suarum ad textum Burmanni Secundi edidit J. Baden. Hafn. 1798. 8vo. Repetita est Hafn. 1804, 8vo.

Barthius memorat inter codices peregrinos unum Hispanicum. Editores vero et critici ne vel unam editionem aut Tibulli aut Catulli aut Propertii indicant; nec quidem in 'el Ensayo de una Bibliotheca de Traductores Españoles, por D. Juan Antonio Pellicer,' ulla horum poëtarum amatoriorum versio se præbet: quod ne miremur vetant quæ jam supra dicta sunt de Ovidii Arte Amatoria.

Versio Theotisca quarundam elegiarum Propertianarum notatur a Schummelio in der Uebersetzer bibliotheca.

Est etiam Franco-Gallica elegans quarundam Propertii elegiarum versio, a M. Gillet de Moivre.

Inter versiones singularum elegiarum Anglicas quædam etiam notandæ sunt in Miscellaneis Poëmatiis et Versionibus a variis auctoribus Oxoniensibus, Lond. 1685. 8vo.

Neque prætermittendæ sunt elegiæ aliquot a viris criticis in linguam Græcam conversæ, sub finem editionis Barthii subjectæ; nempe, I. 15. interpr. Feder. Morell. II. 12. interpr. Henr. Stephan. II. 27. interpr. Jos. Scalig. III. 17. interpr. eod.

Omnia Propertiana metrice dare et illustrare cœpit Frid. Car. de Strombeck Germanice, sub tit. Die Elegischen Gedichte des Properz, Latein und Deutsh, mit erklär. Anmerk. Brunsvic. et Lips. 1803. 8vo. Tom. I. continet librum primum elegiarum. Idem interpres jam vulgaverat, Properz Kornelia übersetzt, &c. 1801. 4to. maj. an vero versionem suam perfecerit Strombeck nescimus.

Sexti Aurelii Propertii Carmina. Recensuit, illustravit Christianus Theophilus Kuinoel. Lips. 1805. 2 vol. 8vo. Quod ad interpretationes hujus editionis spectat, critici Germanici inter se non consentiunt; et quidem de his rebus sæpius non bene audit hæc editio. Apud alios vero majoris æstimatur tam ob textum quam ob commentarium, (vide Brunet,) ideoque in edendo Propertio textum Kuinoelis pro optimo adhuc duce secuti sunt, ut etiam nos.

Donne Baron metrice vertit in linguam Gallicam, Quinze Elégies de Properce suivies de Fragmens de David et d'autres poésies diverses. Paris. 1812. 16mo.

S. Aurelii Propertii Carmina. Emendavit ad Codicum

meliorum fidem et annotavit Carolus Lachmannus. Lips. 1816. 8vo. Arte critica multum se exercuit Lachmannus in hac editione: curæ fuit ut textum genuinum, si posset, restitueret, et quamvis ipsis codicibus, præter unum, non uti licuerit, variantes eorum lectiones bene examinavit, in præfatione eosdem luculenter descripsit, et ex editionibus maxime antiquis quatuor critice excussit. Viris criticis tamen hæc editio non in omni parte placuit.

Forsan sperandum est Im. G. Huschkium suam editionem, de qua incepta Lachmannus loquitur, ad umbilicum perduxisse; sed de opere perfecto nihil audivimus.

Paucula quædam scripta, melioris nempe luti, subjungimus in quibus Poëmata Propertii illustrantur.

Mitscherlichii Lect. in Catullum et Propertium, 12mo. Gött. 1786.

Huschkii Epistola critica in Propertium, Amst. 1792. 8vo.

Frid. Astii Observationes in Propertii carmina et in Elegiam ad Liviam Augustam. Goth. 1799. 12mo. Valde æstimantur.

Chr. Theoph. Kuinoelis Observationes in Propertium, Spec. I—III. Giess. 1801. Hæc est quasi promulsis editionis Kuinoelianæ supra notatæ.

Animadversiones in quædam Lucani et Propertii publici juris fecit Ernest Kästnerus, Jenæ 1812. 8vo. maj. de quibus Harlesius: 'Sagax quidem ingenium non produnt hæ animadversiones; varia tamen Propertii loca in iis probabiliter tractantur.'

Laudes suas obtinuit Ern. Car. Chr. Bachii Epistola Critica. Gothæ 1812. 8vo.

Animadversiones in Propertium et Tacitum edidit Jo. Theophr. Herbst, Jenæ 1815. 8vo maj. de quibus Harlesius: 'tres tantum pertractavit editor elegias, ea tamen ratione ut acumen suum criticum satis probaverit.'

Observationum in Propertii Carmina Specimen edidit Car. Frid. Aug. Nobbe, Lips. 1818. 8vo. de qua prædicat

C. F. H. Klügling: 'Præclara Commentatio, in qua partim locus vexatus, II. 13. 25. (II. 10. 25. Scalig. III. 4. 8. Lachmanni) illustratur, partim de tota elegiarum Propertii collectione intelligenter disputatur.'

Hisce liceat adjungere Observationes Anglice scriptas in Propertium, in Vita Propertii in Biographia Classica, Lond. 1740. 8vo. vol. I.—Observationes criticas in Propertium per virum cl. J. Jortin, S. T. P. in tractatibus suis philologicis, criticis, et miscellaneis, Lond. 1790. 8vo. vol. II.—Observationes in Propertium a viro docto Thoma Harmar in observationibus suis in Scripturas sacras, &c. et auctores classicos, &c. Lond. 1807. 8vo. vol. III. et IV.

Explicit, qualecumque sit, nostrum de Catullo, Tibullo et Propertio, poëtis triumviris ob descriptionum amœnitates et poëseos elegantias maxime celebribus, et in amatoriis lusibus facile inter Romanos poëtas principibus. Et quidem eosdem nosmet admiramur; at simul minime iis editoribus et criticis consentimus qui omnia et singula horum poëtarum in usum scholarum et studiosæ juventutis commendant, et hujusmodi lecturas defendunt. At nec sumus ex iis quibus editiones 'expurgatæ' vel 'castratæ' sunt curæ. Satis sit cum lectoribus egisse nos ut qui cum viris criticis, non cum pueris, agere videbamur. Omnia, talibus judicibus, sua habeant utilia, vel in moribus hominum explicandis, in veterum vitæ rationibus denarrandis, vel in historiis eorum, antiquitatibus et locorum sitibus describendis; immo in amoribus, si modo legitimis, depingendis et illustrandis. Cum vero in *turpe nefas* ruunt, non hujusce est sæculi istos delirantes sequi. Et tamen utilitatem suam etiam talia possent suppeditare; adeo ut nobis præcipue gratulemur iis temporibus incidisse, aliter satis ferreis, quibus nullus poëta talia auderet scribere, neque lector ullus posset tolerare.

RECENSUS CODICUM MSS.

SEXTI AURELII PROPERTII

QUI IN BIBLIOTHECIS BRITANNICIS ASSERVANTUR.

In Bipontina Notitia Literaria nihil percipimus de Propertii codicibus Mss. Si quis de iis apud exteros servatis aliquid scire cupiat, consulat excerpta ex præfationibus Barthii, Santenii, et Lachmanni, supra p. 3. sqq. vel Codicum Elenchum qui Frid. Gottl. Barthii editioni Propertianæ (Lips. 1777.) præfigitur, ubi notulæ quædam ad eosdem attinentes extant, plerumque cum Catullianis et Tibullianis conjunctos; ab iis enim separatim raro inveniendi sunt Propertiani. Similiter et nos Propertiana quædam nostra, qualiacumque fuerint, cum Catullianis et Tibullianis jam dedimus; hæc paucula separatim daturi.

Rarus etiam est Propertii codex, nisi cum Catullo aut Tibullo, vel cum utroque, conjunctus, in Bibliothecis Publicis Britanniæ: et quid sibi velit Barthius qui codicem Propertii in Mss. Eccles. S. Petri Eboracensis bis appellat (Elench. Codd. pp. XXXVI. XXXVII.) non quidem persentimus. Appellat vir cl. Montefalc. p. 681. at in ista pagina is non codd. apud cathedralem Eboracensem, sed Vossianos memorat. Cl. nimirum Vossii codices numerosi et pretiosi, tam Græci quam Latini, diu apud nostrates remorabantur: controversia vero inter hæredes ejus et bibliothecæ emtores finita, in publica bibliotheca Universitatis Lugduno-Batavensis tandem locati sunt, ubi nunc asservantur.

Codices in Museo Britannico.

In *Biblioth. Harl.* vol. II. N. 2550. cod. chartac. sæc. XV. Sexti Aurelii Propertii libros quatuor continet, cum notulis quibusdam.

Vol. III. N. 5246. cod. qui Propertii Opera continet. Sub initio Aurelius Propertius *Nauta* dicitur: de quo errore ex vs. 38. eleg. 24. lib. II. male lecto propagato vide Scaligerum et alios in loc. In fine leguntur hi versus:

Hoc tibi summe Pater transcriptum, Paule, volumen,
Quod tibi perpetuum nostri fore pignus amoris,
Obsecro, materiæ quando sunt vatis erotes.

Paulus forte Papa hic intelligendus.

Inter *Burneienses* N. 242. cod. eleganter scriptus et illuminatus, membran. sæc. XV. pp. 189. Sub finem exhibet paucas collationes ad edit. Jo. Ant. Vulpii, Patav. 1755.

N. 241. cod. illuminatus, membran. sæc. XIV. cum collationibus quibusdam ad pagg. edit. Joan. Ant. Vulpii, Patav. 1755.

Libri impressi cum notis Mss.

Nullus Propertii codex, ut videtur, apud Oxonienses latet. Extant vero editiones cum notis Mss. nempe, Ald. 1502. 8vo. D. 250. 251. Linc.—Ald. 1515. 8vo. D. 253. Linc.—Gryph. 1542. 8vo. D. 254. Linc.—et editioni cum scholiis M. Ant. Mureti notæ quædam Mss. insertæ sunt.

Inter *Dorvilliana* X. 1. 6. 9. videnda est collatio Propertii ex editione Broukhusii cum cod. Dorvill. sæc. XV. pp. 26.

X. 2. 1. 14. Propertius Broukhusii Amst. 1702. 4to. ch. max. cum notis Mss. in libros duos priores ex Hemsterhusiano exemplo descriptis.

INDEX
IN
PROPERTIUM.

INDEX VERBORUM

IN

PROPERTIUM.

Prior numerus Librum, alter Elegiam, Tertius vero elegiæ Versum denotat.

B.

C.

D.

E.

I.

L.

M.

N.

O.

T.

V.

Z.

INDEX NOMINUM

IN

PROPERTIUM.

Primus numerus Librum, secundus Elegiam, tertius Lineam, denotat.

D.

E.

F.

G.

L.

M.

N.

FINIS.

8

2